NAZ. CENTR
R. BIBLIOTECA VITT. EMAN. II
204
5 C
18
ROMA

Google

204. 5. [illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTI PATRES VINDICATI A VVLGARI SENTENTIA,

quæ illis in controuerſia de Immaculata VIRGINIS Conceptione imputari ſolet,

VINDICE

F. FRANCISCO BIVARIO,
Mantua-Carpetano, S. Theologiæ Magiſtro,
Ciſtercienſi Monacho, ac in Rom. Curia pro
alma regulari Obſeruantia Hiſpaniarum
Procuratore Generali.

PRODIT NVNC PRIMVM.

LVGDVNI,
Sumptibus Iacobi Cardon & Petri Cauellat.

M. DC. XXIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS

Approbatio Religionis.

EX commiſſione Reuerendiſſimi Patris F. Andres de Trugillo Obſeruantiæ ſancti Bernardi in Hiſpania Generalis. Vidi librum qui inſcribitur, *Bernardus & Anſelmus vindicatus*, in quo originalis Ciſtercienſis Ordinis in ſanctos Patres noſtros Bernardum & Anſelmum pietas,& par pietati ſtudium elucet,quod vtrumque in cæteris quæ habet author plurima iam matura prælo latiùs aliquando patebit. Dat. Romæ ex noſtro Monaſterio ſanctæ Crucis in Hieruſalem Ordinis Ciſtercienſis die 22. Decembris 1623.

DON HILARION RANCATVS.

Approbatio Theologorum.

NOS infraſcripti ſacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, nos librum qui inſcribitur, *Sancti Patres vindicati à vulgari ſententia, quæ illis in controuerſia de immaculata Virginis Conceptione imputari ſolet, Vindice F. Franciſco Biuario, Mantua-Carpetano*, &c. perlegiſſe, in quo nihil fidei orthodoxæ Catholicæ, atque Apoſtolicæ contrarium animaduerſum. Lugduni 6. Iulij. 1623.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT Epiſc. Damaſci.

Fr. CLAVDIVS COCHET Dominicanæ familiæ Lugdun. Alumnus & Prior.

R. D. D. Thomæ de Meſchatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Opus inſcriptum, *Sancti Patres vindicati à vulgari ſententia, quæ illis in controuerſia de immaculata Virginis Conceptione imputari ſolet, Vindice F. Franciſco Biuario, Mantua-Carpetano*, &c. à Theologis approbatum vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni die 16. Auguſti 1623.

MESCHATIN LA FAYE.

Summa

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate ſancitum eſt, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra decem annos, à prima editionis die computandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inſcribitur, *Sancti Patres vindicati à vulgari ſententia, quæ illis in controuerſia de immaculata Virginis Conceptione imputari ſolet, Vindice F. Franciſco Biuario, Mantuæ-Carpetano*, &c. præter IACOBVM CARDON & PETRVM CAVELLAT, Bibliopolas Lugdunenſes, aut illos, quibus ipſimet conceſſerint. Prohibitum inſuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus

nibus ſuis ſubditis, eundem librum extra regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dictorum IACOBI CARDON & PETRI CAVELLAT. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliíſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum S. Germani die 22. Iulij 1623.

De mandato Regis,

Signatum

THOMASSIN.

INDEX

Digitized by Google

INDEX TITVLORVM ET PARAGRAPHORVM.

BERNARDI VINDICATI LIBRI PRIORIS PROBANTIS

Epiſtolam de feſto Conceptionis ad Lugdunenſes Canonicos datam, germanum eſſe S. Bernardi fœtum,

§. 1. QVIBVS *auctoritas Epiſtolæ nutare videatur.* *pag.* 5

§. 2. *Tametſi B. Bernardo multæ epiſtolæ à Nicolao ſuppoſitæ fuerint, hanc tamen germanã eſſe ſtyli diſcrepãtia inprimis cõuincit.* 13

§. 3. *Ex archiuis Claraualliſ, Bibliotheca Vaticana, & epiſtolis Petri Cellenſis, idem conuinci.* 21

Petri Cellenſis ad Nicolaum epiſtola. 28

Epiſtola Nicolai ad Petrum Cellenſem. 37

Altera Petri ad Nicolaum epiſtola. 41

§. 4. *Ex prædictis epiſtolis haberi verum epiſtolæ noſtræ authorem; & quæ in contrarium facere videbantur, non habere vim.* 41

§. 5. *Nicolaum, dum maculam pectori Bernardi impingit, mendaciſſimum deprehendi.* 49

* 4 LIBRI

LIBRI POSTERIORIS PROBANTIS

Bernardum in Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes minime præſeruationi Virginis ab originali peccato reſtitiſſe, & alibi non ſemel ſubſcripſiſſe,

§. 1. QVid Caniſius, quid Catherinus de Bernardi mente ſenſerint. 63

§. 2. Quid Cardinalis Baronius de Bernardo exiſtimarit. 68

§. 3. Exponitur ad litteram epiſtola ipſa, quò mens mellifluì Doctoris lucidiùs deprehendi queat. Epiſtola S. Bernardi ad Lugdunenſes Paraphraſis. 74

§. 4. Haberi ex epiſtola, de Conceptione carnali duntaxat fuiſſe Bernardum loquutum. 89

§. 5. Conſtare teſtimoniis variis ſacrarum litterarum, Conceptionem inter amplexus coniugum reperiri, & hoc ſolum in multorum proprietate idiomatum ſignificare. 95

§. 6. Inſigni D. Anſelmi doctrina Bernardi mentem illuſtrari.

§. 7. Controuerſiam Bernardi cum Lugdunenſibus non fuiſſe de contractione aut præſeruatione peccati originalis in anima Virginis; ſed de feſto Conceptionis carnalis. 109

§. 8. Præcipuos aduerſæ doctrinæ, ac Theologiæ ſcholaſticæ, principes, Alexandrum, Albertum, D. Thomam, ac Bonauenturam, non alio quàm noſtro ſenſu Bernardum intellexiſſe. 115

§. 9.

§. 9. *Si qui Patres nomine Conceptionis vſi ſint, non aliter, ac Bernardus debere intelligi: & quo ſenſu nunc accipiendum.* 127

§. 10. *Multis locis præſeruationem Virginis ab originali contagio aſſeruiſſe Bernardum; & contra eam numquam vel leuiter ſcripſiſſe.* 132

§. 11. *Sententiam immaculatæ Conceptionis ex multis, variiſque doctrinis S. P. Bernardi deduci.* 150

§. 12. *Reuelationem de feſto Conceptionis cælitus B. Petro conuerſo Villarienſis monaſterij factam, ad idem non leuiter conducere.* 161

§. 13. *Bernardi, vt creditur, precibus ſpecialem Ordinem immaculatæ Conceptionis fundatum in Eccleſia, ſub eiuſdem Bernardi inſtituto.* 166

Breuis Apoſtolici ſuper erectione ordinis immaculatæ Conceptionis copia. 171

ANSELMI

VINDICATI

LIBRI PRIORIS

PROBANTIS

S. Anſelmum præcipuum fuiſſe feſtiuitatis Conceptionis promulgatorem,

§. 1. *Tanto id authoritatis pondere fulciri, vt in dubium verti non liceat.* 181

§. 2. *Proponitur reuelatio primigenia, quæ feſto Conceptionis initium dedit.* 189

S. Anſelmi de Cõceptione B. Mariæ epiſtola. 191

§. 3. *Quidquid de Guillermo Normaniæ duce, & Anglorum Rege, déque bello à Dacis inito in epiſtola narratur, verum eſſe.* 194

* 5 §. 4.

§.4. *Abbatem illum, cui feſtum fuit reuelatum, fuiſſe Herluinum, Beccenſis cœnobij Patrem; cuius tunc temporis D. Anſelmus erat Prior.* 201
§.5. *Haberi ex dictis, S. Anſelmum, primum omniũ Conceptionem Virginis celebraſſe; eiúſque feſtum per Angliam & Gallias propagaſſe. Agitur etiam de Authore feſti Eccleſia Lugdunenſis.* 214
§.6. *Scripſiſſe Anſelmum ſermonem de feſto Conceptionis; & quis ille ſit.* 221
S. Anſelmi Epiſcopi in die Conceptionis B. V. Mariæ ſermo. ibid.
§.7. *Quibus auctoritas huius ſermonis demonſtretur.* 225
§. 8. *In quo Anſelmi & Bernardi de Conceptione diſſidium fuerit.* 233
§.9. *Exſtare adhuc bonam partem libri de Conceptione Virginis ab Anſelmo elaborati.* 237
S. Anſelmi de Conceptione B. Mariæ liber. 238
§. 10. *Altera pars epiſtolæ S. Anſelmi ad Epiſcopos Angliæ proponitur.* 245
S. Anſelmi de feſto Conceptionis B. V. Epiſtola. ibid.
§. 11. *Cenſura prædictorum miraculorum.* 249
§. 12. *Proponitur officium Conceptionis vetuſtiſſimũ, à S. Anſelmo (vt creditur) compoſitum: & reuelationis eius eximium teſtimonium.* 252
Primitiuum Conceptionis B. V. officium. 253

LIB. POSTERIORIS

PROBANTIS

Anſelmum numquam contradixiſſe myſterio immaculatæ Conceptionis B. Virginis,

Vindi

Vindicantis pariter cum Anſelmo SS. Doctores Io. Damaſcenum, Greg. Nazianzenum, Ambroſium, Fulgentium, Bedam, Chryſippum, Rupertum, Ricardum & Bernardinum.

§.1. *Videri quidem Anſelmum in libro*, Cur Deus homo, *Conceptioni immaculatæ contrarium; ſed verè non eſſe.* 262

§.2. *Poſuiſſe quidem in Virgine vſque ad Annuntiationem peccati fomitem, (hauddubium quin ligatum) ſed minimè peccatum originale.* 270

§. 3. *Exponitur ad litteram celebris illa Anſelmi ſententia, Decēs erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, &c.* 282

§.4. *Teſtimonio cuiuſdam diſcipuli eiuſdem S. Doctoris, ſenſum noſtrum egregiè confirmari.* 287

§.5. *Appendix aliorum Patrum vindicatorum, qui cum Anſelmo purgationem in Virgine docentes, neutiquam de peccati originalis, ſed de fomitis extinctione loquuti ſunt.* 292

1. *S. Ioannes Damaſcenus.* ibid.
2. *S. Greg. Nazianzenus.* 296
3. *S. Ambroſius.* 297
4. *S. Fulgentius.* 298
5. *S. Beda.* 299
6. *S. Chryſippus Hieroſolymitanus.* ibid.
7. *Rupertus Abbas Tuitienſis.* 301
8. *Ricardus de S. Victore.* 306
9. *S. Auguſtinus.* 309

AVGVST.

AVGVSTINI
VINDICATI

§. 1. *Quid aliis, quidve nobis de mente Auguſtini probabilius videatur.* 310
§. 2. *Auguſtini doctrinis conſtare, quòd ſi nunc viueret, feſtum in gratiam immaculatæ Conceptionis celebraret.* 313
§. 3. *Nuſquam Auguſtinum conceptioni immaculatæ contrarium extitiſſe.* 316
§. 4. *Subſcripſiſſe Auguſtinum aſſertoribus immaculatæ Conceptionis in c. 36. libri de natura & gratia.* 327
§. 5. *Idem ſenſiſſe Auguſtinum lib. 5. contra Iulianũ Pelagianum.* 339

ILDEFONSI
VINDICATI

§. 1. *Tametſi diuerſimodè de S. Ildefonſi mente iudicatum ſit: nihil tamen vſpiam contra Immaculatam ſcripſiſſe, certum eſſe.* 347
§. 2. *Perſpicuis Immaculatæ ſubſcripſiſſe in libro contra eos qui diſputant de perpetua virginitate S. Mariæ, & de eius parturitione.* 351
§. 3. *Idem ex aliis eius operibus haberi.* 360
§. 4. *Quàm verè ob defenſionem Virginis de S. Ildefonſo dictum ſit,* Enſis in offenſis, erat Abbas Agalienſis? *Quòd inde veritas Immaculatæ Conceptionis elicitur.* 365

Digitized by Google

Digitized by Google

BERNARDVS
VINDICATVS
A VVLGARI SENTENTIA,
quæ illi in controuerſia de Immaculata DEIGENITRICIS Conceptione imputari ſolet.

Pio ac Beneuolo
LECTORI
VINDEX.

NVNQVAM æquo animo ferre potui, BERNARDVM noſtrum præcipuum iactari vulgò maculatæ Conceptionis aſſertorem, cùm eius mens longè aliò tendat, quàm vulgus putet; & nihil minus

 voluerit,

Digitized by Google

voluerit, quàm Immaculatam propugnantibus contraire. Ab ea calumnia ſanctum Patrem vindicare, nec omitti potuit, nec alium æquè decuit Vindicem, quàm eiuſdem Doctoris alumnum. Dederàm primùm inter amicos BERNARDVM VINDICATVM; ſed vrgent ipſi, imò & Virginis cauſa, communis iuris opuſculum noſtrum fieri, vt, quæ doctrinis Bernardi præcipuè fulcita credebatur, vlteriùs, eo deficiente fulcro, ſubſiſtere non valeat. Addebant illi, Auari animi eſſe, communes diuitias priuatim retinere: & eum Eccleſiæ Doctorem, qui vbique calumniam paſſus fuerat, apud paucos in angulo Orbis vindicare ſat non eſſe. Accipiat proinde Fidelium vniuerſitas apem mellifluam ſine aculeo; BERNARDVM, inquam, cætera Virginis

bellè,in controuerſia quoque Conceptionis immaculatæ nihil ſiniſtrè loquentem. En laboris aſſumpti præcipuum ſcopum. Semel autem tantæ cauſæ defenſione ſuſcepta, cæteros Patres ab eadem calumnia oportuit vindicare, qui minùs recte interpretati negotium nobis faceſſere credebantur; præſertim promulgatorem feſti ANSELMVM, AVGVSTINVMque bonorum dogmatum præceptorem: iis DAMASCENVM, RVPERTVM, ILDEFONSVM, & alios adiunxi; & pro coronide S. DOMINICVM noſtræ, piæque ſententiæ, eximium aſſertorem probaui. Perlege Lector, & fruere: ſpero etenim in Domino, qui dedit, longè aliud te iudicium de mente Patrum laturum in Conceptionis cauſa, quàm hactenus fortè tuliſti. Quidquid

minùs bene dictum inueneris, mihi imputa; cætera bonorum omnium largitori, & canali gratiæ ſuæ, pro cuius ſeruitio, & gloria deſudo. VALE.

LIBER

Digitized by Google

LIBER PRIOR

PROBAT

EPISTOLAM DE FESTO Conceptionis ad Lugdunenſes Canonicos datam, germanum eſſe S. BERNARDI fœtum.

§. 1. *Quibus auctoritas Epiſtolæ nutare videatur.*

CVm nihil æquè ſcandalum ingeſſerit hactenus de immaculata Conceptione Deiparæ Virginis diſceptantibus, atque epiſtola illa toto Orbe celeberrima, quæ inter cæteras S. P. Bernardi 174. habet locum, ne ampliùs ea innixus quiſquam reputet, ipſum Doctorem mellifluum communi, ac piæ ſententiæ contraire, placet de eius autoritate primùm, deinde de eius vero ſenſu ad vnguem vſque diſſerere; & certis magníſque fundamentis, quàm longè diſtet Bernardus à vulgari, qui ei attribuitur, demonſtrare; quàm

piè de Beatæ Virginis immunitate à peccato etiam Originali ſentiat, quanta dexteritate cõtrouerſiam diſcuſſerit; denique quàm huius ſæculi auctores in eius ſententia ieiuni manſerint. Cæterùm ſi epiſtola illa ad Lugdunenſes Canonicos data Bernardi partus legitimus non eſſet, ſed illi dolo malo ſuppoſitus, non oporteret diſcruciari in ſenſu eius legitimo peruestigando. Quare priuſquam ad illum transeamus, quid de auctore ipſius ſentiendum, oportet diſcutere.

Nemo eſt qui neſciat, à nonnullis in dubium verti de auctore epiſtolæ ad Lugdunenſes Canonicos ſcriptę, fueritne alius à D. Bernardo? Et quidem perdoctus Petrus de Hojeda in c. 14. §. 2. & 3. Informationis ſuæ pro immaculata Sanctiſſimæ Virginis Conceptione (quem poſtea Ægidius Luſitanus ſequutus eſt in libro de eadẽ re, & alij non pauci) multa congerit, vt oſtendat, longè à Bernardi mente alienam eſſe, atque idcirco ab aliquo nebulone inter legitimas immiſſam, vt inde auctoritatem ipſi in odium immaculatæ Conceptionis conciliaret.

Petr. Hojeda.

Ægid. Luſitan.

Primùm quidem credibile non eſt (ait ille) tam altam menti Bernardi inſediſſe ignorantiam, quòd aſſeueraret, hactenus in Eccleſia Dei ignotum fuiſſe myſterium Conceptionis, & priſcorum Patrum notitiam effugiſſe; quod ſanè paruam admodum notitiam in tanto Doctore arguit rerum Eccleſiaſticarum, & lectionem Patrum minorem. Ait ſiquidem author epiſtolæ: *Miramur ſatis, quòd viſum fuerit hoc tem-*

pore

pore quibuſdam veſtrûm, mutare colorem optimum, nouam inducendo ſolemnitatem, quam ritus Eccleſia neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio: Nunquid Patribus doctiores, aut deuotiores ſumus? quî fieri quiuit, vt Martyrologia Adonis, Vſuardi, & Bedæ, quæ vulgatim in Gallia legebantur, ſubterfugiſſent oculos Bernardi, monachi præſertim Benedictini, ſicut illi, in quibus tamen de feſto Conceptionis Virginis mentio fit VI. Idus Decembris? & Vſuardus quidem, vt minimum, Gallus erat, ſicut Bernardus; & à tempore Caroli Magni in Eccleſiis Galliæ legebatur. Atque hoc ſolum ſupereſſe debebat, ne quis de Bernardo ſuſpicaretur, feſtum Conceptionis Virginis à Lugdunenſibus celebrari ſolitum, inauditum tota antiquitate ſibi viſum fuiſſe; præſertim cùm valde credibile ſit ad manus Bernardi Martyrologium ſancti Hieronymi perueniſſe, vtpote quod non ſolùm Beda & Vſuardus viderunt, ſed etiã Calixtus II. & Petrus Equilinus, vt ille in Prologo Tranſlationis S. Iacobi teſtatur, hic verò lib. 8. Catalogi. c. 119. & lib. 11. c. 30. Rurſus ignorare nequiuit Bernardus S. Anſelmi epiſtolam ad Epiſcopos Angliæ, & quæ inibi narrat miracula ac reuelationes, quibus Anſelmus ipſe & cæteri totius Angliæ Epiſcopi feſtum immaculatæ Conceptionis admiſerunt in ſuis Eccleſiis: eò vel maximè, quòd in Epiſtola ipſa ad Lugdunenſes data, mentio eiuſmodi reuelationum fiat, illis verbis, *ſed profertur ſcriptum ſuperna, vt aiunt, reuelationis*. Habuiſ-

Calixt. II.

Petr. Equilin.

ſe verò S. Doctorem rerum Anglicarum notitiam non vulgarem, multæ ipſius ad Anglicanos Principes & Præſules ab ipſo datæ epiſtolæ conuincunt, nimirum epiſtola 116. 117. 138. & aliæ: vt omittam frequentiſſimum fuiſſe, vicinitate regnorum cogente, Galliæ & Angliæ cõmercium, & communicationem, ne vel ſuſpicio leuis oriri poſſit de ignorantia feſti Conceptionis in Gallia, quod ſolemniſſimo ritu apud Anglos celebrabatur. Quod cùm ita ſit, credat, qui volet, Bernardum tantopere diſſimulaſſe hac in re, & quaſi nihil omnino ſciret, epiſtolam Lugdunenſibus ſcripſiſſe. Ad hæc Gallia Narbonenſis non minus quàm Hiſpania Breuiario ac Miſſali Gothico reformationis S. Iſidori vtebatur, quandoquidem ad Reges Gothos Hiſpaniæ eius dominium ſpectabat, vt ex hiſtoria Gothorum ab eodem D. Iſidoro edita liquet; in Breuiario verò, ac Miſſali Gothicis feſtum Cõceptionis celebratur; Bernardus etiam & in Anglia Narbonenſi, & tota Hiſpania fundauit monaſteria ſui ordinis, & res vtriuſque regionis calluit; & Narbonenſem tractum prædicando contra Henricum hæreſiarchã percucurrit; &(quod Cæſarius Ciſtercienſis, vetuſtiſſimus author, & ordinis Bernardi monachus ſcribit homilia in Dominicam tertiam poſt Pentecoſten, & Mariana in hiſt. Hiſp.) Hiſpanias adiit, vbi de inſtitutione Iſidori celebrabatur; & ſi nõ adiit, diſcipulos multos, vt minimum illac miſit, & à Petro Cluniacenſi in Hiſpania exiſtente accepit litteras, quæ apud ipſum extant lib. 9. epiſtola

Cæſ. Ciſterc.

Maria-na.

Petr. Cluniac.

ſtola 16. & memoria eius itineris extat apud Bernardum epiſt. 227. Liquet etiam Bernardum cum Eccleſia Orientali communionem habuiſſe, & Gallos frequentaſſe illam Bernardi tempore, vbi tamen ſolemne ſatis erat Conceptionis feſtum. Ergóne tantam oſcitantiam Bernardo tribuemus, vt ſolus ipſe toto Oriéte & Occidente penè feſtum celeberrimum ignoraſſet? aut ſimulato corde, quod bene ſibi notum erat, occulere voluiſſet? & hoc iniquum, & illud obliuioſum redderet hominem. Hæc ferè Hoieda. ſed & alia in eam ſententiam congerit. D. Bern.

2. Multa ſunt (inquit) in epiſtola ad Lugdunenſes, quæ à modeſtia S. Bernardi longè abſunt; vt quòd celebrantes Conceptionem, ſimplices, ignorantes, abſque conſilio, & præcipites vocet, dicens: *Non ita præcipitanter, atque incōſultò paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum.* Quòd erroris ac ſuperſtitionis notâ feſtum inurat, *Et antè quidem apud aliquos errorem compereram, ſed diſſimulabam, parcens deuotioni, quæ de ſimplici corde & amore Virginis veniebat; verùm apud ſapientes, atque in famoſa, nobilique Eccleſia, & cuius ſpecialiter filius ſum, ſuperſtitione deprehenſa, neſcio an ſine graui offenſa, etiam veſtri omnium, diſſimulare potuerim.* Minimè modeſtia Bernardi dignum, aut conſentaneum videtur ſuperſtitioſum vocare, quod tot tantæque Eccleſiæ per Orbem vniuerſum diſperſæ celebrabant. Et qui ſcurrile verbum in Religioſi ore blaſphemiam nuncupabat, minimè reuelationes ſacras deriderer; deridet verò auctor epiſtolæ cùm inquit, *ſed*

ſed profertur ſcriptum ſupernæ (vt aiunt) reuelationis : quaſi & quiuis non queat, ſcriptum æquè producere, in quo Virgo videatur, idipſum mandare de parentibus ſuis. Ergóne quiuis poterit reuelationem ſupponere? Non minus quàm Bonauentura, erat Bernardus humilis ac modeſtus, & tamen ille dum 3. ſent. diſt. 3. q. 1. in eaſdem incidit reuelationes, modeſtiſſimè de ipſis agit, & feſtum Eccleſiarum reueretur, ab ipſis ducẽs originem; tametſi oppoſitum ipſe ſequatur. Quare dubium non ſit, Bernardum reuelationes has non deriſurum, ſi in eas incideret, quidquid poſtmodum de re ipſa ac myſterio iudicauerit.

Bonauẽtura.

3. Rurſus author epiſtolæ, quiſquis ille ſit, ſatis manifeſtè innuit, S. Dauidem ſanctificatum fuiſſe in matris vtero, priuſquam naſceretur, quòd Pſal. 70. dixerit, *In te confirmatus ſum ex vtero : de ventre matris meæ tu es protector meus*; & cuiuis integrum relinquit, ſuper hoc quidquid voluerit ſentire, & non aliter quàm Ieremiam & Ioannem ſanctificatum in vtero prædicare. *Et de Ieremia ſiquidem lego, quòd priuſquam de ventre exiret, ſanctificatus ſit. Et de Ioanne Baptiſta non ſecùs ſentio, qui ex vtero Dominum in vtero ſenſit. Videris etiam tu, an & de ſancto Dauid idipſum liceat opinari, pro eo quod dicebat Deo : In te confirmatus ſum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus. Item, de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me.* Neque verò defuit qui ea vſus ſit licentia; ita vt neceſſum fuerit, interpretes pro virili pugnare, ne nouitati inſolenti

aſſueſce

aſſueſcerent homines aſſentiri; id quod poſt Lyram egregiè præſtitit doctiſſimus, & mihi pro beneuolentia ſpecialiter colendus P. Lorinus in illorum explanatione Pſalmorum. Quid autem conſequentiæ habet, in negotio ſanctificationis vterinæ adeò laxare habenas, vt Dauidi quoque, qui grauiſſima poſtmodum commiſit crimina, idipſum contigiſſe, probabiliter aſſeratur; in re autem Virginis Matris tam rigidum ſe præbere cenſorem, id de Bernardo credibile non eſt. Lyra. Lorin.

4. In vniuerſa B. Bernardi hiſtoria, quam eius diſcipuli, aut amici, Guillelmus Paradinus, & Goffredus accuratiſſimè deſcripſerunt, nec verbum de hac Bernardi cum Lugdunenſibus controuerſia reperies; imò verò apud nullum eius temporis auctorem; nemo enim eiuſdem controuerſiæ meminit. Sola hæc epiſtola inter omnes hiſtoriographos incedit, ſola illos accuſat oſcitantiæ. Quis hoc niſi inuitus concedat? Deſcripſit poſtea Guillelmus Paradinus res Lugdunenſes, vbere ſatis tractatu; de Bernardo autem cum Lugdunenſibus altercante, nec leuiter egit. Adde coæuos nobiliſſimos Bernardi fuiſſe Petrum Venerabilem, Hugonem de S. Victore, ac Richardum eius Eccleſiæ Canonicum regularem, Algerum Scholaſticum ac monachum Cluniacenſem, Hildibertum Turonenſem Antiſtitem, Brunonem Carthuſianorum parentem, ac Petrum Bleſenſem: nemo autem illorum in Lugdunenſes inuexit, nemo feſtum Conceptionis leuitatis, nouitatis, aut ſuperſtitionis notauit;

uit;altiſſimum apud omnes de hac re ſilentium. Solúſne ergo Bernardus in Virginis feſta ſe oſtendit infeſtum? Quod ſi tam acriter in Lugdunenſes tela conuertit, haud dubium quin plures ea de re ad ipſos epiſtolas dediſſet, ipſi verò aliqua in ſuum allegaſſent fauorē, & Bernardo reſcriberent; nec enim vna contenti epiſtola, ab incepto reſilirent. Vbi igitur eiuſmodi epiſtolæ ſunt? Nam quæ ad eandem controuerſiam ſpectant, ſimul cuſtodiri ſolent.

5. Quod ad ſtylum ipſius epiſtolæ ſpectat, tametſi in multis conatus ſit author Bernardi ſpiritum imitari, nequiuit tamen (ait ille) in omnibus Bernardum ad viuum ſe præbere: nam ſcholaſtica argumentandi formula vſus fuit; quæ planè à perpetuo Bernardi vſu abhorret; ſed & nullibi apud Bernardum reperitur, pro Virgine ſcribere iuuenem *glorioſam*, eo nomine ſubſtantiuè accepto, vt Grammatici loquuntur; in hac verò epiſtola non ſemel eo vſus eſt; *Et ſi licet loqui quod Eccleſia ſentit,* (*ait*) *dico Glorioſam de Spiritu ſancto concepiſſe, non tamen & conceptam fuiſſe*; & inferiùs: *Libenter Glorioſa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falſa videtur induci ſanctitas.* Qui dicendi mos reperitur in fabellis illis vetularum, quibus Ægyptiæ mulieres ad Glorioſam ſæpe dicuntur acceſſiſſe.

6. Illud demum (inquit Hojeda) difficile videtur explicatu, cur potiùs Lugdunenſem, quàm alias totius Galliæ Eccleſias, ſuper Conceptione Virginis non celebranda monuerit

Bernar

Bernardus. Si vrbis nobilitate motus dicitur, nobilior erat Narbona,vt Strabo lib.4.Geographiæ teſtatur; ſi eo quòd filius eius ſpecialis aſſerebatur,vt notant illa verba, *in famoſa, nobilique Eccleſia,cuius ſpecialiter filius ſum*; potiùs Lingonenſi ſcribendum illi erat, quæ nimirum lib. 4. vitæ S. Bernardi c.4. domeſtica ipſius vocatur Eccleſia, *Elegit eum domeſtica Lingonenſis Eccleſia* ;erat ſiquidem domus Claræuallis in Epiſcopatu Lingonenſi. Debuiſſe autem ſcribere itidem, vel potiùs ipſi, inde conſtat, quòd in Martyrologiis Vſuardi,Adonis,& Bedæ omnes legerent,Conceptionem B.Virginis. Strabo.

Hæc ſunt quæ doctiſſimum Patrem Hojedam coëgerunt reſilire à communi ſententia, quæ epiſtolam ad Lugdunenſes Bernardo ſemper aſcripſit. Mirum verò eſſe non debet, ſi in Bernardi operibus aliqua ſuppoſititia reperiantur, cùm id quoque cæteris Doctoribus Eccleſiæ contigerit. Perquirenti autem authorem epiſtolæ legitimum, ilicò Nicolaus ille occurrit, eiuſdem S. Bernardi à ſecretis, qui falſato ſigillo multas epiſtolas ſub eius nomine ſcripſit, vt ipſe Bernardus conqueritur epiſt.284.de quo fusè à nobis agendum eſt, quia eius cognitio plenam notitiam cauſæ conciliabit.

§. 2. Tametſi B. Bernardo multæ epiſtolæ à Nicolao ſuppoſitæ fuerint, hanc tamen germanam eſſe ſtyli diſcrepantia inprimis conuincit.

Arriſit

ARriſit mihi, fateor, aliquando præfata ſententia, & probabiliſſimam iudicaui, cùm Hiſpanis loquerer hac de re: ipſa verò accuratiùs inſpecta, & ad limam iterùm data, proculdubio mihi eſt, epiſtolam ad Lugdunenſes Bernardi noſtri legitimum eſſe partum, ac minimè ſuppoſitum; proinde aliter procedendum eſſe in controuerſia Conceptionis. Et vt ab ouo (vt dicitur) exordiamur, fatemur quidem plures epiſtolas ſub nomine Bernardi ab ipſa Claræuallis domo in diuerſas mundi partes euolaſſe, quæ tamen alterius longè authoris erant, in odium, vt par eſt credere, ipſius Bernardi ſcriptas; aut, quod mihi probatur magis, vt aliqua negotia facilè expedirentur, quibus S. Doctor fauere nequiret; de his ſiquidem admonuit Bernardus Dominum Papam Eugenium epiſt. 284. vbi poſtquam commendauit illi negotia Sanſonis Remenſis Archiepiſcopi, Epiſcopi item Attrebatenſis & Abbatis de Auuecurt, & pro Betunienſi, Sueſenenſi, & Cameracenſi Decanis preces fudit, hæc ſubdit: *Periclitati ſumus in falſis fratribus, & multæ litteræ falſatæ ſub falſato ſigillo noſtro in manus multorum exierunt; &, quod magis vereor, etiam vſque ad vos dicitur falſitas peruolaſſe. Hac neceſſitate abiecto illo, nouello quod cernitis de nouo vtimur, continente & imaginem noſtram, & nomen. Figuram aliam tanquam ex noſtra parte iam non recipiatis, niſi fortè pro Epiſcopo Clarimontis, cui ſub altero ſigillo litteras dedi, cùm nec dum iſtud haberem.* In falſis fratribus periclitatus fuit nonnunquam Bernardus, ſed mirum eſſe non debet,

bet, cùm Apoſtolus ſimile paſſus fuerit. Inter Apoſtolos duodecim vnus non defuit Iudas Magiſtri proditor, & inter ſeptem primos Diaconos vnus Nicolaus Apoſtata nequam: quid ſi inter multa diſcipulorum millia, Bernardum Nicolaus alter ſupplantare conatus ſit? Fortè ſic diuina ordinatum prouidentia, ne vel in hoc Bernardus Domino ſuo diſſimilis videretur. Diſſimulauit aliquandiu ipſe, ſi fortè corde compunctus rediret ad cor, & idcirco nomen eius hactenus ſubticuerat; ſed ille, cuius inter Sanctos ſors non erat, apoſtaſiam fecit, & re in vulgus propalata hanc Bernardus Eugenio Papæ dedit epiſtolam, inter ſuas numero 298. *Nicolaus ille exiit à nobis, quia non erat ex nobis. Exiit autem fœda poſt ſe relinquens veſtigia. Et ego longè antè hominem noueram, ſed expectabam, vt aut Deus eum cõuerteret, aut inſtar Iudæ, ipſe ſe proderet; quod & factum eſt. Præter libros, denarios, & aureos multos, in ipſo exitu eius, inuẽta ſunt ſuper eum ſigilla tria, vnum eius proprium, alterum Prioris, tertium noſtrum, ipſumque non antiquum, ſed nouellum, quod ob ipſius dolos, & furtiuas ſubreptiones mutare nuper coactus fueram. Hoc enim eſt quod vobis tacito nomine ſcripſiſſe me memini, quia videlicet periclitati ſumus in falſis fratribus. Quis poſſet dicere ad quàm multas perſonas ſub nomine meo me ignorãte, quæ voluit, ſcripſit? Quis mihi det, vt ipſa curia veſtra ad purum purgetur fæce mendaciorum eius? Quis mihi det, vt vel eorum innocentia, qui mecum ſunt, ſatis valeat excuſari apud circunuentos, & præuentos impudentiſſimis eius mendaciis? Vobis quoque ali-*

quoties

quoties in eadem falſitate ſcripſiſſe, & non ſemel, partim conuictus, partim & confeſſus eſt. Nam in fuga ipſa comprehenſus vtpote habens ſuper ſe ſigilla tria, libros, & denarios multos, requiſitus de multis à Bernardo ipſo, de quibuſdam conuictus, quædam & confeſſus eſt; præſertim aliquoties Eugenio ipſi nomine Abbatis ſui mentito ſcripſiſſe. *De turpitudinibus eius, quibus terra ſordet, & facta ſunt omnibus in parabolam, ſuperſedeo polluere labia mea, & veſtras aures; ſi ad vos venerit (nam hoc gloriatur, & amicos ſe habere confidit in Curia) mementote Arnaldi de Brixia, quia ecce pluſquam Arnaldus hic. Nullus perpetua dignior incluſione, nihil ei perpetuo ſilentio iuſtius.*

Fuerat iſte Nicolaus olim monachus Cluniacenſis ſub diſciplina Petri venerabilis, & inde ad Ciſterciẽſes in Claræuallenſi cœnobio tranſitum fecerat; id quod ipſe Petrus lib. 6. epiſt. 7. fatetur Nicolao ſcribens in hæc verba: *Dilexi te quandiu noſter colore fuiſti, ſed & nunc quantum ad me, colore (vt puto) non corde mutato, non minus te diligo. Maluiſſem te meum, quàm alterius, ſed quia vbique Dei es, meum quoque te vbique reputo.* Cæterùm, quod ad rem magis facere videtur, fatemur rurſus, doctiſſimum fuiſſe, & in diuinis ac humanis litteris verſatiſſimum. De eo, dum ad Bernardum ſcribit ipſe Petrus epiſt. 36. lib. 6. *Cum hoc*, inquit, *de ſcripturis, aut ſanctis, aut Philoſophicis, quibus vſque ad ſummum refertus eſt, in Domino deliciari quæro.* Rurſus ad ipſum Nicolaum epiſt. 37. ſequenti, non dubitat dicere: *Qui meam de te eſuriem ſatiare*

Petr. Cluniac.

tiare

tiare nequeo, ſaltim hoc breui tempore, iucundo, ac breui colloquio releuabo. Verè iucundo, verè dulci; nam ſi talis eſt ſtylus tuus, qualis eſt animus tuus? ſi talis littera tua, qualis eſt lingua tua? Imitaris Apoſtolum Apoſtolicus. Quales, inquit, ſumus abſentes, tales erimus & præſentes. Vtrumque igitur fuit in Apoſtolo, & viuax ſpiritus in epiſtola, & viuificans ſermo in lingua. Vtrumque hoc & in te æqua lance natura poliuit; vtrumque & ſuperaddita gratia condiuit, ita vt præter vim quandam viuo innatam ſermoni, nihil vltrà citráque, nihil plus minúſve ipſe acer, & æmulus ſcrutator inueniat. Et hæc quidem in cauſa fuere, vt Bernardus ipſum ſibi conſtitueret à ſecretis, vt ex his, quæ Petrus ipſe Cluniacenſis ſcribit lib.6. epiſtolis 7. 35. & 47. liquet, in quo etiam libro extat (8. in ordine) quædam S.Bernardi ad Petrum ipſum; ad calcem cuius ſecretarius epiſtolæ hæc addit. *Ego Nicolaus veſter ſaluto vos in æternum, & vltrà, & domeſticam illam familiam, quæ lateri & ſpiritui veſtro adhæret.* Quanti verò Nicolaum fecerit Bernardus initio conuerſionis ſuæ, illud vel maximè demonſtrat, quòd de re grauiſſima acturum cum ſanctiſſimo, nimirum de condemnatione Abaylardi hæretici, miſerit ipſum ad Innocentium II. cum epiſt. 189. vbi de confidentia, quam de ipſo faciebat, hæc ait: *Nec perſonæ veſtræ, nec curiæ, in Curia illa pepercit;* (Abaylardus) *quod meliùs Nicolaus iſte meus, imò & veſter viua referet voce.* Veſtrum verò illum vocat, eo quòd Innocentius ipſe Benedictinus monachus ex nigris eſſet, vt Baronius probat tomo

Rurſus Petr. Cluniacenſ.

XII. anno Domini 1130. quo etiam loquendi genere iterum Bernardus vſus eſt, dum ad Petrum Cluniacenſem dedit aliam num. 4. inter epiſt.lib.6.eiuſdem Petri.

Verùm hinc ſuſpicio non leuis oriri videtur, epiſtolam ad Lugdunenſes, ſcriptam ab iſto Nicolao, quandoquidem conſtat plures ſub nomine Bernardi cõfinxiſſe, & in hac multa videãtur concurrere, quæ Bernardi doctrinam, ac modeſtiam non redoleant, quæ ſuprà commemorata ſunt. Videtur etiam ſtylum ipſum Bernardi Nicolaum induiſſe, vt ex eius epiſtolis liquet, quæ nuper inter ſcripta Veterum Patrum locum acceperunt. Exemplo adduci ſolet illa, quæ ſub num.34. extat in lib. 6. Petri Cluniacenſis, nimirum; *Patri ſuo Domino Cluniacenſi frater Nicolaus. Indica mihi quem diligit anima mea, quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? Quando videbo te? Quando conſolaberis me? Conſolaberis, inquam, quia conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis, donec videam, & deſideratam, & deſiderandam præſentiam tuam: & triſtis eſt anima mea vſque ad te. Minimè quidem deſerit, quocumque iero, dulciſſima tui memoria; ſed quanto memoria dulcior, tanto abſentia moleſtior eſt. Iraſcor occupationibus meis, quibus factum eſt, non vt vellem, ſed vt non poſſem, & etiam vt neſcirem. In cauſa fuit cauſa fratris tui Domini mei Vizeliacenſis Abbatis, ad quam ex præcepto tuo oportuit me pugnare ad beſtias, vt non preualeret homo. Additus eſt iuxta Prophetam annus ad annum, euoluta ſunt ſolemnitates, & dies pro anno datus eſt mihi; ex quo non vidi, non*

dicam

dicam Dominum, ſed dilectum. Cedit quippe faſtus, cùm accedit affectus, & perſonalis reuerentia deperit, cùm cœperit familiaris amicitia perorare. Honoret ſanè qui horret, qui ſtupet, qui miratur: vacant hæc omnia penes amantem. De te autem iam mihi pridem perſuaſum eſt hoc, cuius altitudo adæquata eſt, cuius ſingularitas adſociata eſt, ita vt exemplo eſſe poſſit, & his qui fuerant in exemplo. Et cætera, quæ eò tendunt, vt Petrum perſuadeat, ſummopere ſibi expedire, quòd à Bernardo facultatem impetraret conueniendi illum. Deſiderabitne quiſpiam maiorem cum Bernardi ſtylo ſimilitudinem? Nam & miram in dicendo ſuauitatem, & Scripturæ ſacræ centonibus ſingulari texuit narrationem dexteritate; quæ duo in ſtylo Bernardi excellere videntur. Sanè Petrus Cluniacenſis, doctiſſimus & ipſe, cùm has Nicolai litteras accepit, melleas ipſas nuncupauit in epiſt. 35. ſequenti, quæ eſt reſponſiua huius, dicens: *Legi melleas litteras tuas.* Nec verò ſolus Petrus Venerabilis hoc epitheto litteras Nicolai donauit, nam etiam Petrus Abbas Cellenſis in epiſt. 3. ſuarum, Nicolaum ipſum ſic alloquitur; *Nicolao ſuo Petrus ſuus. Mirabili conditas ſapore litteras auiditati meæ componitis quoties ſcribitis.* Quòd vero ipſum Nicolaum, & non alium intelligat, ex ſubiunctis liquidum fit, nam poſt pauca ait: *Iſti ſunt tui, imo mei Claræuallenſes, verè tu ex illis es.* Ita prorſus & mihi hactenus viſum, Nicolaum Magiſtri ſui, ſi quis alius, imbibiſſe ſtylum: ſed deprehenſus eſt ſapiens in aſtutia ſua, & formoſa Rachel fura:a Petrus Cellenſ.

fuerat idola patris ſui. Quid hoc? Mirum eſſe non debet ſi ſimilis videatur Nicolai ſtylus ſtylo Bernardi, cùm furatus fuerit loquendi modos: periodos, ac ſententias integras Bernardi ad ſua transferens ſcripta, ex centonibus ſcriptorum illius quaſi ex alienis plumis ea ornare conatus. Timere autem debuerat illud de cornicula apud Horatium lib. 1. epiſt. epiſt. 3. quo ſuus noſtérque Bernardus vſus fuerat in Declamationibus ſuper Euangelium, *Ecce nos reliquimus omnia.*

Horatius.

Ne cùm fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum,
Furtiuis nudata coloribus.

Vide nunc (amice lector) quot plumas à Bernardo furatus fuit Nicolaus in ea epiſtola. Primùm quidem ex epiſtola 144. accepit illud; *Triſtis eſt anima mea vſque ad te. Minimè quidem deſerit me,* &c. Ibi enim ſic loquitur Bernardus ſuis Claræuallenſibus; *Triſtis eſt anima mea vſque dum redeam, & non vult conſolari vſque vos. Minimè quidem deſerit me quocunque iero, dulcis memoria veſtri, ſed quanto memoria dulcior, tanto abſentia moleſtior.* Rurſus illud: *Iraſcor occupationibus meis*, (deſumptum eſt ex epiſtola Bernardi 91. vbi inquit, *iraſcor occupationibus meis,*) *quibus impedior intereſſe conuentui veſtro.* loquebatur ad Abbates Sueſſione congregatos. Deinde illud: *Honoret ſanè qui horret,* &c. mutuatus fuit à ſermone 83. in Cantica, vbi Bernardus ſic loquitur. *Ab amando quippe amor, non ab honorando denominatur. Honoret ſanè qui horret,*

qui

qui ſtupet, qui metuit, qui miratur : vacant hæc omnia penes amantem. Denique illud : *Cuius altitudo*,&c. in ſermone 64. in Cantica, ſcriptum reperit : quo loci hæc Bernardus ait : *Denique ſemetipſum exinaniuit ; vt ſcias amoris fuiſſe, quòd plenitudo effuſa eſt, quòd altitudo adæquata eſt, quòd ſingularitas aſſociata eſt.* Facile eſſet non ſolùm illi has, ſed alias etiam Bernardi plumas auferre, ſi per ſingulas quærerentur. Tolle tamen ab illius epiſtola ſolas has, & mouebit Cor-Nicula riſum, furtiuis nudata coloribus. Nam loca Scripturæ, quibus vtitur, minimè ſale Bernardi condîta ſunt, & ſine ſapore trahuntur. Hinc verò inferre liquet neſciſſe Nicolaum Bernardum redolere, niſi furaretur, & plumas ipſius integras induiſſet ; quare certum ſit epiſtolam ad Lugdunenſes nequiuiſſe à Nicolao doloſè ſcribi, quandoquidem ea non ex centonibus aliarum compacta eſt, ſicut illa quam ſcimus Nicolai, ſed de nouo in conflatorio illo auri formata, cuius nunquam Nicolaus clauem habuit, qui ſolùm adulterare nouit, aurum verum Bernardi ſuo plumbo ſuperinducens.

§. 3. *Ex archiuis Clarauallis, Bibliotheca Vaticana, & epiſtolis Petri Cellenſis, idem conuinci.*

DVo præterea ſunt quæ omnino conuincunt auctorem epiſtolæ ad Lugdunenſes fuiſſe Bernardum. Alterum eſt, perſeuerare hactenus in archiuis & Bibliotheca Clarçuallen-

ſibus in libro originali epiſtolarum S. Doctoris, vt monachi eiuſdem cœnobij conſtanter aſſeuerant; & ob hoc iam pridem omnia Bernardi opera collata ſunt cùm archetypis Claræuallenſibus, vt in editione Lugdunenſi apud Ioannem Cleyn anno 1515. *quæ vera ipſius authoris, quæque ad ſcriptitia fuerint lector agnoſceret*, vt titulus ipſius impreſſionis monet. Reperitur etiã inter cæteras S. Bernardi germanas epiſtolas, quæ in variis, ac diuerſis manuſcriptis Codicibus in Bibliotheca Vaticana ſeruantur, quas hac de cauſa egomet diligenter perlegi: extant verò in ſiniſtro cornu in pluteo 26. ſub numeris 162. 163. 164. Tametſi epiſtola ad Lugdunenſes non ſemper ſit 174. inter cæteras Bernardi, nam in codice 162. eſt in ordine 176.
Baſſolis. Nec mirum, cùm in eo, quo vſus eſt Baſſolis in 3. d. 3. q. 1. §. quantum ad 2. erat in ordine 136. Nec erit locus ſuſpicionis Nicolaum reliquiſſe illam inter Bernardinos codices, cùm apoſtaſiam fecit; non enim eſt credibile auſum ipſum fuiſſe in loco communi ponere, quam furtiuè, & clanculò compoſuiſſet, imò potiùs nihil æquè curaſſet, quàm ab oculis Abbatis & monachorum ipſam abſcondere, ne in furto comprehenderetur. Accedit quòd Bernardus ipſe, quando hominem deprehendit, ac eiecit à ſe, modis omnibus curaſſe, purgare ſe à calumniis quas ab illo vbiuis paſſus fuerat; vnde & ſummum Pontificem præmonuit, velle ſe ab eius calumniis repurgare. *Quis mihi det* (ait) *vt ipſa Curia veſtra ad purum purgetur fæce menda-*
ciorum

ciorum eius? Quis mihi det, vt vel eorum innocentia qui mecum ſunt, ſatis valeat excuſari apud circunuentos & prauentos impudentiſſimis eius mendaciis? Quòd ſi ea, quæ longè à ſe poſita erant, purgare ſtuduit Bernardus à mendaciis & falſitatibus Nicolai, multo magis quæ intra domum erant, ſcripta ſcilicet ſua, certum eſt purgauiſſe, & quòd igni committeret huiuſmodi purgationem, ſi intra monaſterium à Nicolao relicta fuiſſet.

Alterum ſit, conſtare nobis aliunde, idque graui teſtimonio duorum, (è quibus vnus quidem amicus, alter inimicus Bernardi erat, vterque tamen familiaris) ipſum in ea fuiſſe ſententia, vt Conceptio Virginis abſque peccato non fuerit, & quòd de Conceptione illius nequaquam feſtum eſſet celebrandum, niſi priùs ab Apoſtolica ſede approbaretur. Hoc ſi ita monſtrauerò, nemini dubium deinceps erit, de vero authore epiſtolæ ad Lugdunenſes. Verum id quidem; ſed qui ſunt illi ſcriptores, qui eius controuerſiæ, ac ſententiæ Bernardi meminerunt? Nam & hoc nobis in ſuperioribus obiiciebatur, apud neminem illiûs temporis reperiri de eiuſmodi hiſtoria, nec leue verbum. Sanè Petrus ille toto orbe notiſſimus, primùm quidem Abbas Cellenſis monaſterij, deinde Remenſis, demum Carnotenſis Epiſcopus, cui cum D. Bernardo non minima neceſſitudo fuit, vtpote ad quem ipſe dedit epiſtolam 293. cuius titulus, *Petro Abbati de Cella pro monacho Caziacenſi, qui tranſierat apud Claram vallem*: Et ini-

tium, *Vnde mihi ſcripſiſtis, ita reſpondeo vobis.* Hic igitur pro Bernardo pugnauit in controuerſia Conceptionis; Nicolaus verò Bernardo inuiſus, pro immaculatæ Conceptionis feſto contra Bernardum: pugnas autem ipſas & controuerſias habemus in libris epiſtolarum ipſius Petri Cellenſis, in lucem editis Pariſiis anno 1613. ſtudio Iacobi Sirmondi Societatis Ieſu alumni. Et quidem Nicolaus ille, de quo tam multa diximus, dum vixit Bernardus, digitum ori ſuo timore perculſus impoſuerat; eo autem ad ſuperos tranſlato, iniquitatem quam dolore conceperat, euomuit, linguam exacuit, & non valens in aliis Bernardum reprehendere, in epiſtolam quam Lugdunenſibus dederat, improbantem feſtum Conceptionis, ſtylum & dentem conuertit, & more rabidi canis, vt potuit lacerauit. Præter odium in diſciplina conceptum contra Bernardum addebat calcaria Nicolao, patria natiuitatis ſuæ; erat ſiquidem in Anglia natus, vbi ſolemne admodum erat feſtum, quod acriter à Bernardo reprehendebatur. Vnde occaſionem nactus, quam quærebat, religionis, ac deuotionis Marianæ, pallio retexit impietatem; ſed non impunè: nam è veſtigio ſurgens Cellenſis (iam Remenſis factus Abbas) Bernardi cauſam ſuſcepit, defendit, tutauit pro virili; nô quidem negans Bernardi ſententiam, ac ſcripta eadem de re, ſed eis omnimodò ſubſcribens; attribuénſque Anglicæ leuitati, quòd facilè abſque Romani Pontificis iudicio Conceptionem Virginis celebraret, Gallicæ verò

graui

grauitati, quòd ſine eo non ſolùm ab ea abſtineret, ſed eam haberet ſuſpectam. Vide totam hanc hiſtoriam in epiſtolis prædictis.

Præmittam tamen ex ipſis quæ probant non cum alio Nicolao, Petrum Cellenſem de Conceptione Virginis geſſiſſe bellum, ſed cum antiquo ſecretario S. Bernardi. Scripſerat quidem epiſt. 1. libri 4. Petrus Cellenſis ad Nicolaum ſub titulo iſto: *Suo ſuus*; & inter alia: *Quid non faciat Nicolaus, qui de nigro factus eſt albus.* Quod ſanè eidem Nicolao Petrus Cluniacenſis dixerat: *Dilexi te quandiu noſter colore fuiſti*, &c. Ipſi etiam dedit Cellenſis epiſtolas 2. & 3. eiuſdem libri 4. ſub titulo, *Nicolao ſuo Petrus ſuus.* In tertia verò dixit, *Mirabili conditas ſapore literas auiditati meæ componitis*, &c. & inferiùs, *Iſti ſunt tui, imo mei Claraualleſes; verè tu ex illis es.* Et hæc quidē ſcribebat illi, priuſquam à bono propoſito reſiliret: nunc autem quid? In Epiſtola 4. ſequenti hæc habentur: *Suo ſuus, ſemper ſuus. Stella quandoque de cœlo ad ima videtur defluere. Quia verò minus iacula feriunt, quæ præuidentur, mando, & moneo, vt caueas tibi à labiis iniquis, & à lingua doloſa. Apud nos enim quadam de te diſſeminata ſunt, quibus fortè niſi clypeum cautæ prouiſionis oppoſueris, lædi in Curia poteris. Summi nempe quidam viri cuidam de Curia, qui apud nos eſt, (vt ipſe audiui) inſuſurrauerunt, te de Curia dixiſſe quædam inhoneſta, & te falſum Legatum Domini Papæ in his partibus geſſiſſe. Quæ neſcio vtrùm ſint magis falſa, quàm maligna, vel è conuerſo. Sapiens es, eſto tibi in his ſapiens.* O hominis portentum! ô ſecretarium

Petrus Cellenſ.

Petr. Cluniac.

rium infidum! ô fictum legatum! Mentior ſi de his non loquebatur Bernardus, cùm Eugenio Papæ ſcripſit, *Quis mihi det, vt ipſa Curia veſtra ad purum purgetur face mendaciorum eius?* Fugit tandem impius nemine perſequente, & ad nigredinem primam reuerſus, priſtinúmque ſuauitatis ſtylum oblitus, 5. accepit à Cellenſi epiſtolam libri 6. ſub titulo, *Alij Nicolao*, vtpote qui in alium colore & moribus mutatus fuerat. Ibi verò hæc: *Iam in diſſuetudinem penè abierunt reciprocæ ſalutationes* (ſuo ſuus) *quas tu bonus ſub ouina pelle mihi ſolebas mittere, & ego qualis qualis tibi. Neſcio vtrùm modò ſis melior, quàm tunc: vetuſtior tamen & nigrior es. Prouolutus ergo pedibus teterrimi idoli peto indulgentiam de nullo reatu.* Iam tunc concordiam veterem noua diſcordia de mediis vtriuſque cordibus fugauerat; atque in illo vehementi ſpiritu, qui contexit naues Tharſis Cellenſis, dederat Nicolao in Anglia eo temporis degenti epiſtolam 4. eiuſdem libri 6. cuius initium, *Iniqua ſorte*, &c. quæ conſtat ſcripta circa annum 1171. quo D.Thomas Cantuarienſis Antiſtes martyrio coronatus fuerat, nam inquit inter alia, *Video viſcera miſericordiæ Dei noſtri, fines veſtros copioſa benedictione reſperſiſſe: pretioſi namque Martyris Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi occaſus, orientalem nobis feneſtram aperuit, & de fidei ac patientiæ ſua ſplendore Anglicas tenebras illuſtrauit.* Non leue indicium olim dederat Anglici natalis, cùm minimè veritus fuerat Nicolaus diſcordiæ zizania inter Bernardum & Petrum Venerabilem ſeminare, vt

Abbatem

Abbatem quemdam Angliæ,Bernardi nomine, apud Petrum ipſum,ſub quo Anglus reum agebat,vltra iuſtum defenderet ; in quadam ſiquidem epiſtola Bernardi poſt preces minas inſeruit; qua accepta non leuiter in Bernardum Petrus exarſit , quouſque humillimam ab eo ſatisfactionem accepit, quæ extat lib.6. epiſt. ipſius Petri Venerabilis n.4. in epiſtola verò 5. hæc inquit Petrus. *De reliquo , vnde me motum prudentia veſtra putauit,hoc fuit. Pro negotio, quod vobis bene notum eſt , cuiuſdam Anglici Abbatis continebant littera veſtra ; Quaſi (inquiunt ,) ſubuerſum ſit iudicium , & de orbe perierit iuſtitia , & non ſit qui eripiat inopem de manu fortiorum eius,egenum & pauperem à diripientibus eum.* Quod tamen conſtanter negauit Bernardus dictaſſe;*Credite*,inquiens, *amanti, quia neque ex corde meo ortum eſt,nec ab ore meo extortum eſt.*Et hęc dixerim, ne fortè quis putet cum alio eiuſdem nominis Monacho Petrum Cellenſem controuerſiam iniiſſe de Conceptione Beatiſſimæ Virginis, non verò cum eo Bernardi ſecretario, qui correctionem eius nó ſuſtinens,iniquo animo fuit ſemper erga ipſum.Hic igitur in Angliam ſuam fuga,vt credo,lapſus, & in cœnobio S. Albani ad nigrum habitum iterum admiſſus , Petrum prædictum tunc temporis Remenſem Abbatem , quem ſciebat Bernardi doctrina & amicitia cumulatum, à quiete ſuſcitat : epiſtolam ſatis prolixam eidem ſcribit,Bernardum quaquauerſum lacerans,quòd Conceptionem Virginis feſtum apud Gallos pullulans præcidiſſet. Ita

ex

ex reſponſione Petri Remenſis deſumitur, nam prima illa epiſtola Nicolai non extat. Sed iam accipe ipſam reſponſionem, quæ in lib.6. ipſius eſt ſub numero 23.

Epiſtola Petri Cellenſis ad Nicolaum.

Petrus S.Remigij Nicolao Monacho S. Albani.

VAcvi & vacuantis animi eſſet, ſingulis quæ in litteris tùis ſunt, recapitulatis, ſigillatim ad verbum reſpondere. Summam itaque reſponſionum mearum conſtringens,& potioribus epiſtolæ tuæ dictis adſtringens,pacis & bonæ patientiæ pactum, priùs hinc inde interpono, ne quis noſtrûm cuiuſlibet commonitionis ſcintillâ, pro quolibet verbo aduratur, vel inflammetur.

Sola mihi S. Bernardi iniuria donetur, & quæcunque & vndecunque vis iacula conglomera, ſiue vt meam ruſticitatem confundas, ſiue vt de ſenſu meo viliſſimas ſententiarum quiſquilias excutias,ſiue vt theſauros tuos homini pauperi aperias, ſiue vt neſciêtem doceas, & ſenſus tuos fortiſſimis aſſertionum repagulis ſtabilias. Aggredior igitur phantaſmata tua,lenocinantia quidem pulchritudinis ſpecie, ſed titubantia ſtabilis fundamenti egeſtate. Quidquid enim Scripturæ baſibus auctoritatum non ſupponatur,nullius roboris ſtabilitate fulcitur. Nec indignetur Anglica leuitas, ſi eâ ſolidior ſit Gallia maturitas. Inſula enim eſt circunfuſa aqua,

aqua, vnde huius elementi propria qualitate eius incolæ non immeritò afficiuntur; & nimia mobilitate in tenuiſſimas & ſubtiles phantaſias frequenter transferuntur, ſomnia ſua viſionibus comparantes, ne dicam præferentes. Et quæ culpa naturæ, ſi talis eſt natura terræ? Certè expertus ſum, ſomniatores plus eſſe Anglicos, quàm Gallos. Cerebrum namque humidius fumoſitate ſtomachi citiùs inuoluitur, & quaſlibet imagines in ſeipſo depingit, quæ ab animali virtute, vtcumque ſpirituali deferuntur; & ex occupatione omnium tam naturalium, quàm animalium, ſeu ſpiritualium virtutum, infra iudicij veritatem confinguntur, vt phantaſmata, ſeu ſomnia appellentur. Non ſic cauernoſa, non ſic aquatica Gallia, *id eſt, non eſt tam cauernoſa & aquatica, vt Anglia*, vbi ſunt montes lapidei; vbi ferrum naſcitur, vbi terra ſuo pondere grauatur. Quid ergo? Non citò à ſuo ſenſu mouentur, & veritatis auctoritatibus tenaciùs innitũtur. Meus eſt (inquit Dominus) Galaad, id eſt, aceruus teſtimonij; & in ore duorum, aut trium teſtiũ ſtabit omne verbum. Leue eſt ergo omne verbum, quod neque teſtimonio ſolidũ, neque auctoritate verum eſt: nec eſt alicuius momenti quidquid humani ſenſus ingenioſa fornax commentata fuerit, ſi examine careat veritatis. Pondus ſiquidem Sãctuarij, quo tã merita, quàm præmia Angelorum appenduntur, clauſura diſpenſabili penes veritatẽ in arca iuſtitiæ, perpetua reconditur cuſtodia. Inde eſt frater Nicolaë, quòd ridendo verum dixiſti, cùm

me

me fixum,te mobilem ſcripſiſti; me petram vocaſti,& concedo,ſi pro conſtantia, non pro duritia intellexiſti. Sum quidem natura, profeſſione, & iam ætate ac voluntate ſicut nomine Petrus,petrinus; radicatus & fundatus in montibus Sanctarum authoritatum,& in medio petrarum,vbi mater Eccleſia nidificat, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Bone amice, quid facit ſtupa, vbi de auro, hyacintho, purpura,cocco bis tincto, & byſſo retorta ſacerdotalis contexitur veſtis; & cælo, ſole, ac luna pretioſior, & purior ſummo ſacerdoti aptatur cidaris? [*Quaſi dixerit,cùm agimus de formatione, ac Conceptione Virginis, non paleis verborum vtendum eſt,ſed pretioſis litterarum ſacrarum auctoritatibus.*] Prorſus nihil ad nos, nihil ad Angelos dignius, & melius de omnibus theſauris ſuis protulit æterna Trinitas,quàm templum Virginale,& Holocauſtum,quod ad immolandum ex eo traxit,& extraxit Verbum Deo Patri coæternum,& conſubſtantiale. Sic corde credo,ſic ore confiteor. Nónne & tu? Imò vehementiùs, ne dicam immoderatiùs tu. Totum te expendis in laudem Virginis; & ego quid? Impendo planè, & expendo, & ſuperimpendo. Tu contendis honorare Conceptionem, & ego prædeſtinationem,ac totam retropropaginem eius. Tu roſam, ego etiam ſpinam. Tu florem & fructum, ego corticem & folium. Tu apparentia, ego latentia. Tu farinam, ego furfurem. Tu panem, ego cinerem. Tu ſolium, ego ſcabellum. Tu ſubſtantiam, ego picturam. Si curſum eius

fas

fas eſſet diſtinguere,& ſequeſtrare in mente diuina,in collegio cunctorum creatorum; mitterem animam ab initio prædeſtinationis, vt ſequeretur adorando, ſancta & ſuprema veneratione colendo eius veſtigia.

Repetenda tibi,imò noua & longa expectanda peregrinatio, non ad S. Thomam Archiepiſcopum in Anglia, ſed ad S. Thomam Apoſtolũ in India; quia ſemper interero cõuenticulis,vbi Dominæ noſtræ digna celebratur commemoratio,ſiue nominetur Cõceptio, ſiue Natiuitas, ſiue Aſſumptio,ſiue alia quęcumque veneratio.

Videtur omnino ſupponere, Nicolaum inuitaſſe Cellenſem, vt accederet ad S. Thomam Martyrem Cantarienſem, ad cuius ſepulchrum frequens fiebat tunc peregrinatio, ibique pretioſi Athletæ Eccleſiam conueniret,in qua ipſe Conceptionis feſtum ſolemniſſimum prædicauerat, & celebrauerat,vtpote magni illius Anſelmi ſucceſſor. Reſpondit autem Cellenſis, ſe non fugere Conceptionem celebrantes, imò ſemper velle intereſſe laudibus Virginis Matris, quocumque cenſeantur nomine: quare non ſolùm in Angliam,ſed etiam in Indiam, ſi neceſſum fuiſſet,ſe profecturum,vbi D.Thomæ Apoſtoli corpus eſt.Subdítque:

Cùm ergo vna gradiamur via, quid ad rem, ſi diuerſa ſit ſemita? Tu ſiniſtram tenes ſemitam [hoc eſt, *minus tritam*] quare murmuras, quia ego teneo dexteram? Si tua tibi diſplicet ſemita, quia & larga, & caritatiua eſt noſtra,cedo & concedo tibi locum iuxta me.

Pro

Prouerbium eſt; Non ſunt dimittendæ veteres viæ propter nouas. Quis Sanctorum, quis antiquorum non ambulauit ſemitam noſtram? Credo, & verè fateor, ſi in hoc erraſſent, & hoc eis Deus reuelaſſet. Quibus enim ſua tam familiariter reuelauit conſilia, vt etiam ad ſupplementum Euangeliorum, Epiſtolarum, & Prophetarum, perpetua ſtabilitate Canones & decreta ſtatuerint, pari penè obſeruantia tenenda cum Euangelio; hoc ſolum tacuiſſet, ſi periculoſum eſſet.

Sed forſan dices mihi: Audéſne tu, qualiſcunque Abbas, occludere puteos ſemper continuandæ deuotionis, & profundiùs quotidie fodiendæ venerationis? Nónne & eodem ſpiritu potantur moderni, quo & antiqui? Nónne (vt ait Hieronymus) in templo Dei quiſque pro virili portione offert, alius aurum, alius argentum, alius lapides pretioſos, alius (vt ad viliora veniam) pilos caprarum, &c. Non erat ab initio natiuitas Virginis in Eccleſia ſolemnis, ſed creſcente fidelium deuotione addita eſt præclaris Eccleſiæ ſolemnitatibus. Quare igitur non ſimiliter, & diem conceptionis obtineat ſedulitas Chriſtianæ deuotionis? Ad quod ego; Cataractas cæli, & fontes abyſſi libentiùs in obſequium Virginis ſoluerem, quàm clauderem; & ſi filius eius Iesvs aliquid omiſiſſet in prærogatiua exaltationis ſuæ Matris, ego ſeruus, ego mancipium, non quidem de effectu, ſed ſaltim affectu ſupplere geſtirem. Mallem certè non habere linguam, quàm aliquid

Hieron.

quid dicere contra Dominam noſtram; antè eligerem non habere animam, quàm vellem extenuare eius gloriam. Licuit quoque, ſempérque licebit, ſponſam Chriſti Eccleſiam, quæ in terris peregrinatur, ſecundùm mutationes rerum, perſonarum, & temporum, variare rationes decretorum, & noua adinuenire medicamina remediorum, & ſtatuere ſanctis, adeptione gloriæ, frequentiam ſolemnitatum. Eſt tamen auro locus, in quo conflatur, & habet argentum venarum ſuarum principia, ſedem Petri, & curiam Romanam, quæ claues cæli principaliter tenet, & clauſura conſiliorum Dei reſerata, diſpenſante Deo, vnguentum gratiæ à capite vſque in oram veſtimenti habet compluere. Hæc ſedes Petri, id eſt, petra, in qua Moyſes deſidet, videlicet lex Dei immaculata, conuertens animas, fragoſa quæque hæreticorum conciliabula elidit, & allidit; prophanas vocum nouitates reſecat, & reſcindit; ſuperflua confodit, & iugulat; hiantia & ecliptica complet, & illuſtrat. Vtinam ſalua veritatis authoritate, lance communis Concilij hæc Domina, & moderatrix totius Chriſtianitatis, conceptionem Virginis libraſſet & approbaſſet, & à mari vſque ad mare hanc propagaſſet, Sole, id eſt, Apoſtolico, & Luna, id eſt, Eccleſia Romana præeunte, tam ſecurè, quàm expeditè in lumine vultus eorum greſſus meos ponerem, & diſponerem, ex hoc videns vitare lubricum, & ſequi ſolidum & ſecurum. Nihil in Eccleſia peſſimius præſumptione erronea, nihil

ſtultius præſumptione temeraria, nihil odibilius præſumptione noxia: vtcumque verò tolerabilis præſumptio pia, ſed non ſatis probabilis. Abſtinere certè, & ab omni præſumptione volo, gradatim tamen ſeruatis diſtinctionibus præmiſſis ſecundùm magis & minus.

Iam deſtitiſſem vltra de præiacenti materia ſcribere, non condemnans errorem tuum (ſi error dicendus eſt, qui de pietate venit) nec me opponens glorioſiſſimæ Dominæ noſtræ, cuius non ſolùm terram, ſed & puluerem lingere ſummas diuitias reputo: præcipuè cùm in calculo epiſtolæ tuæ aſſeras, nullatenus te poſſe moueri ab eo quod ſcripſiſti, dicens: Quod dixi, dixi, quod ſcripſi, ſcripſi; niſi lapidem offenſionis & petram ſcandali in eadem epiſtola tua conieciſſes. Dicis, Dominæ noſtræ animam non ſolùm in paſſione Filij gladio transfixam, ſed etiam in Conceptionis ſuæ contradictione. Hîc bonus dormitauit Homerus.] Id multis impugnat Cellenſis, quaſi propriè ac rigoroſè Nicolaus ipſum affirmaſſet, quæ quia ad rem noſtram non faciunt, prætereo. Subdit:

Hic lapis offenſionis eſt. Petra verò ſcandali eſt, quòd Beatiſſimum Bernardum debita exuis veneratione, & verborum iacula poſt eum emittis, tamquam famam eius poſſis extenuare, vel gloriam euacuare. Bona fide, qua te diligo, & fideliſſima charitate laudo, conſulo & rogo, ne ampliùs in cœlum ponas os tuum, quia niſi caueris tibi, in caput tuum caſurus

ſurus eſt lapis, quo ferreum vis penetrare cælum. An excidit à mente tua, omni ſancto competere: Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo? Super quem certè ceciderit lapis iſte incautè miſſus, conteret eum. Subrides, & fortè nondum correctus labia mordes: Quæ, inquies, huius Bernardi ſanctitas? Quæ religio? Quæ meritorum prærogatiua? Nullus ſum ego ad illius ſancta præconia referre. Vita eius, fama eius, opera, ſcripta, miracula, fides, ſpes, charitas, caſtitas, abſtinentia, mortificatio. Demum in membris eius, ſermo, vultus, habitus, & geſtus eius, & his ſimilia teſtimonium perhibent de eo. Prætermitto iſta omnia, ſi nondum emolliri cor tuum potuit; vnum eſt, in quo clauis in altum defixis, arbitror me te apprehenſurum, & in amorem S. Bernardi liquefacturum: alumnus enim familiariſſimus fuit Dominæ noſtræ, cui non vnam tantùm Baſilicam, ſed totius ordinis Ciſtercienſis Baſilicas dedicauit; ad cuius laudem politiſſimos tractatus, & fœcundos cōpoſuit. Si ergo potes tangere pupillā oculi Dominæ noſtræ, ſcribe contra Bernardū ſuum, cui loquitur ipſa: Qui tangit te, quaſi qui tāgit pupillā oculi mei. Ciſtercienſes quoque nugas neſcio, (vocauerat ipſos Nicolaus nugatores, quòd Bernardum ſuū defenderent) quos præ aliis mortalibus ſeriis, & ſine fine manſuris intendere video. Hi ſunt, qui monetā noſtri, iam in agonia poſiti ordinis, reformarūt. Hi ſunt, qui regulā B. Benedicti penè combuſtā, ſicut Eſdras veterē legem reſtaurauerunt. Hi qui cū Apoſtolo Corinthiis,

 id eſt,

id eſt, agricolis, & ruſticis ſæcularibus oneroſi non ſunt, ſed propriis manibus laborantes ſe & alios pauperes pro poſſe ſuſtentant. Clauſtra illorũ clauſtra Dei ſunt, vbi nocte in Pſalmis, & orationibus parati ſunt ſuſcitare Leuiathã, qui ſub vmbra dormit in locis humentibus, & inde in agro Hierico Principi militiæ occurrunt, qui tenet gladium bis acutum, vt ſuperflua reſecet cogitationum, & operationum. Quærunt ergo cum Ioſue dicentes: Noſter es, an aduerſariorum? Vtilis quæſtio, & inefflagitabilis ſolutio, vtrùm Deus pro nobis, an contra nos? Si autem contra nos, quis pro nobis? Ampliorem prouocat amorem ſi pro nobis, ſolicitudinem & timorem ſi contra nos. Ponamus itaque animam noſtram in manibus noſtris ſi contra nos, quia etſi horrendum incidere in manus Dei poſt ſæculum, melius eſt tamẽ incidere in hoc ſæculo propitiabili, quàm in manus dæmonum. Dicamus itaque cum Iob: Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo. Hæ ſunt nugæ Ciſtercienſium. Hactenus illa de Conceptione, de Bernardo, & eius monachis. Quoniam verò Nicolaus in ſua epiſtola dixerat de Virgine, *Virgo ſingularis vicit omne peccatum, non omne debellando, ſed nullum prorſus ſentiendo*, in expoſitionem illius Auguſt. Auguſtinianæ ſententiæ, *Maiorem ei credimus collatam virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum*, ex lib. de natura & gratia. Hinc mota eſt prolixa nimis quæſtio inter Petrum Cellenſem, & Nicolaum, circa fomitem, an ſenſerit Virgo beata aliquando peccati fomitem,

néćne?

néc ne? Cellenſi affirmatiuam partem tenaciter tenente, eo præſertim, *Quòd ſi ab hora conceptionis* (aiebat) *nulla cùm carne, aut cum hoſte concertatio, ſuperfuiſſet cauſa merendi; & plurimum diſpendium ſuſtinuiſſet*; Quod vſque ad finem epiſtolæ fusè nimis proſequitur. Reddamus verò reſponſionem Nicolai, quæ habetur lib. 9. epiſt. Cellenſis, epiſt. 9.

Epiſtola Nicolai ad Petrum Cellenſem.

Nicolaus Monachus S. Albani Petro Abbati S. Remigij.

INVECTIONIS palliatæ ſaturatus opprobrio, & ironico crapulatus à vino, verè putabam me miſſionem accepiſſe, & fœdus iam cum ſilentio pepegiſſe. Quid ſenſerim ſanè de priuilegio ſingularis integritatis in Virginum Virgine ſcripſeram, & metam ibi fixeram; & ecce meus Petrus de noua materia, nouum ſuſcitat ex inſperato bellum, & omnes Virginis domeſticos prouocat ad indignationem, & doctos in lege Domini ad præſumptionis minus Catholicæ contradictionem. Quandiu tractabatur de articulis, quæ ſit, vel aliter poterant intelligi, ſana vtrimque fide diſſimulabam, & animus noſter, ſi concepit, non peperit iniquitatem. Nunc autem iam tuba canitur, quòd Virgo peccatum ſenſerit, & ſentiendo debellauerit, non diſſimulo, non patienter ago; vix manus teneo quàm in publicum hoſtem irruo.

Sed priùs quàm pro communi omnium Virginis domeſticorum indignatione reſpondeam, lapidem offenſionis, & ſcandali petram confiteor. Lapis itaque lapidem offendit in eo quod dixi: Virginis animam pertranſiuit gladius non ſolùm in paſſione filij, ſed etiam in Conceptionis ſuæ contradictione.] *Hoc ipſe explicat ſe dixiſſe in eo ſenſu metaphorico: poſt quædam autem in eius dicti defenſionem allata, ſubdit:*

Ad petram verò ſcandali de corde veſtro tollendam, pluſculum eſt immorandum; quia res exigit, vt palàm faciam, quod celare propoſueram. Sanctus ille Bernardus, quem dicis, me debita exuere veneratione, & poſt eum verborum iacula emittere, quondam Sanctorum Catalogo adſcriptus, nuper eſt in Eccleſia canonizatus, & ab humano iudicio exemptus, exemptus, inquam, eſt, ne de gloria eius dubitemus; ſed non vt minus de eius dictis diſputemus. De gloria Beati Martyris Cypriani B. Auguſtinus non dubitat; tamen in Spiritus ſancti datione eum erraſſe veriſſimè comprobat: errorem Martyrio deletum ſcribit; & ſic docuit Eccleſiã venerari Martyris gloriam, vt tamen non imitaretur errorem. Ego autem etſi diſſimili ſcientia, ſimili tamen conſcientia, ſic veneror Beatum Confeſſorem Bernardum, vt laudem & amem eius ſanctitatem; qui nec amem, nec laudem eius præſumptionem in Matris Domini Conceptionem. Et ne putes me magis pertinaci, quàm bona conſcientia dicere quæ dico, audi quid ab ipſis Ciſtercienſibus vera religione prӕditis,

prædictis, & Virginem in veritate diligentibus acceperim de S. Bernardo; quorum nomina abſcondo ſub modio, ne odioſos faciam fratrum ſuorum collegio. In Claræuallenſi collegio quidam Conuerſus bene religioſus, in viſu noctis vidit Abbatem Bernardum niueis indutum veſtibus quaſi ad mamillam pectoris furuam habere maculam.] *Penè impatienter audio Nicolaum, ſed impugnationi locus erit inferiùs.* Quē ex admiratione triſtior alloquens, Quid eſt, inquit, Pater, quòd furuam in te maculam video? Et ille; quia de Dominæ noſtræ Conceptione ſcripſi non ſcribenda, ſignum purgationis meæ maculam in pectore porto. Frater viſa Conuentui innotuit, & aliquis in ſcriptum redegit. Relatum eſt in Generali Ciſtercienſi Capitulo, & de communi conſilio ſcriptum periit incendio: maluítque Abbatum vniuerſitas, Virginis periclitari gloriam, quàm S Bernardi opinionem. Non ſic Paulus, non ſic, qui ſe blaſphemum, & iniurioſum inclamitat, vt Redemptoris gloriam amplius extollat. Et certè (vt credo) ea ratione Sanctus in propria perſona viro ſimplici, & de talibus nihil ſcienti apparuit, & culpam ſuam innotuit, vt totius Ciſtercienſis Capituli diſcretio deprehenderet, cum velle ſuum errorem damnari, & virgineæ Conceptionis gloriam prædicari. Igitur ſi ego publico, quod ipſe (vt credo) publicari voluit, hoc non eſt eius famam extenuare, vel gloriam euacuare, ſed eius voluntatem ſuper delicti ſui pœnitentia ſcribere. Porrò facto leui per Purgatorium

tranſitu, intrauit in gaudium Domini ſui; qui in diebus ſuis ſanctitate venerabilis, opinione ſingularis, eloquentia ſuauis, & ſignorum inuocatione, immutationéque mirabilium exſtitit mirabilis. Hæc ergo de Beatiſſimo Abbate Bernardo.

Nunc de ſtatera mea, quæ in hoc quod ſcribitis, videtur mentiri, quòd dixi, Virgo ſingularis vicit omne peccatum, non omne debellando, ſed nullum prorſus ſentiendo, &c.] *Poſt multa in hanc ſententiam, ſubdit:* Quod quidē ſenſit, & ſcripſit, quem laudas authorem in præſenti, Abbas Bernardus. Inde quippe diem Natiuitatis, non Conceptionis virgineæ dicit habere ſolemnem, quia quæ in peccatis concepta eſt, vt vniuerſum genus hominum; ſine peccato nata eſt, vt pauci hominum. Quod ſi intelligis, ſenſit peccatum, id eſt, ſenſit culpam peccati, more noſtro legem membrorum ſenſit, motus pudendos ſenſit, picē titillationis ſenſit, & inquinata eſt ab ea, quod abſit. Ino venerabilis Carnotēſis Epiſcopus in Chronicis ſuis ſcripſit, duodecimo anno ætatis ſuæ Virginem ab Archangelo Gabriele ſalutatam, & ab Spiritu ſancto obumbratam: infra quem ætatis annum non permittit natura moueri pubeſcentium genitalia; terminus igitur pudendi motus ab Spiritu ſancto præuentus, reliquit nos dubios, vtrùm à die Conceptionis, an à die Natiuitatis, an certè à die ſuperuentionis Spiritus ſancti in Virgine, Virgo liberata ſit à contradictione carnis pudendæ.] Omitto cætera,

quia

quia ſolùm in eis, vſque in finem epiſtolæ, agit de fomite peccati.

Huic iterum reddidit Petrus iam ad ſedem Carnotenſem aſſumptus alteram, quæ in lib. 9. epiſtolarum eius eſt ſub numero 10. cuius principium eſt:

Petrus Carnotenſis electus Nicolao S. Albani Monacho.

EPiſtola tua multifariè dentata, dum me acerrimè mordere intendit, &c.] Tota autem de fomite agit; in ea tamen ſolùm ad rem noſtram hæc verba facere videntur. Credo, dico, aſſero, & iuro Beatiſſimam Virginem noſtram in æterna prædeſtinatione, ſingulari priuilegio munitam, nec à ſua Conceptione in aliquo violatam, ſed ſemper manſiſſe, & permanſiſſe illibatam; & ſicut Beata vltra humanam, & cæterorum hominum naturam, ſic ſecreta & incognita manet, vltra omnium notionem, &c. Virginem laudas? Et ego laudo. Prædicas ſanctam? Et ego. Extollis ſuper choros Angelorum? Et ego. Dicis immunem ab omni peccato? Et ego. Credo, & confiteor, plura eſſe apud nos ignota de Virgine ſacroſancta, quàm nota, quia confortata eſt gratia, & gloria; & non poſſumus ad eam.

§. 4. *Ex prædictis epiſtolis haberi verum epiſtolæ noſtræ authorem; & quæ in contrarium facere videbantur, non habere vim.*

CONueniunt igitur, qui penè in cæteris diſſentiunt, Petrus Cellenſis, & Nicolaus, Bernardum ſcripſiſſe contra feſtum Conceptionis, tametſi ipſum ille defendere, iſte offendere conetur. Quinimo Petrus iis duntaxat fundamentis nititur, quibus Bernardus in epiſtola ad Lugdunenſes. Vis ſcire quæ ſint? Primò Petrus feſtum reprobat, quoniam Scripturæ teſtimoniis non fulcitur. *Quidquid enim ſcriptura baſibus auctoritatum* (ait) *non ſupponatur, nullius roboris ſtabilitate fulcitur*. Bernardus verò, *Lego denique Spiritum ſanctum in eam, non cum ea veniſſe.* &c. Secundò Petrus obiicit illud: *Quis Sanctorum, quis antiquorum non ambulauit ſemitam noſtrã? Credo & verè fateor, ſi in hoc erraſſent, quòd hoc eis Deus reuelaſſet.* Quid verò aliud inquit Bernardus? *Nunquid Patribus doctiores, aut deuotiores ſumus? Periculosè præſumimus, quidquid ipſorum in talibus prudentia præteriuit. Nec verò id tale eſt, quod niſi prætereundum fuerit, Patrum quiuerit omnino diligentiam præteriiſſe.* Tertiò Petrus in hac cauſa omnimodis ad Eccleſiæ Romanæ ſedem recurrendum cenſet, & illius ſtandum cenſura, interim verò abſtinendum à celebratione Conceptionis. *Eſt tamen auro locus, in quo conflatur* (ait) *& habet argentum venarum ſuarum principia, ſedem Petri & Curiam Romanã, quæ claues cæli principaliter tenet*, &c. *Vtinam ſalua veritatis authoritate, lance communis Concilij hæc Domina, & moderatrix totius Chriſtianitatis, Conceptionem Virginis libraſſet, & approbaſſet*, &c.

Quæ

Quæ ferè Bernardus ſcripſit, ad calcem ſuæ epiſtolæ inquiens: *Nam ſi ſic videbatur, conſulenda erat priùs Apoſtolicæ ſedis authoritas.* Et infrà: *Quæ autem dixi, abſque præiudicio ſanè dicta ſint ſaniùs ſapientis; Romanæ præſertim Eccleſiæ authoritati, atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ eiuſmodi ſunt, vniuerſa reſeruo; ipſius ſi quid aliter ſapis, paratus iudicio emendare.* Petrus errorem vocat de pietate venientem, celebrare feſtiuitatem Conceptionis; Bernardus verò, *Et antè quidem* (ait) *apud aliquos errorem compereram, ſed diſſimulabam, parcens deuotioni, quæ de ſimplici corde, & amore Virginis veniebat.*

Nicolaus ſimiliter tam manifeſtè de epiſtola ad Lugdunenſes agit, vt probatione non egeat; præſertim cùm inquit, *Quod quidem ſenſit & ſcripſit, quem laudas authorem in præſenti, Abbas Bernardus; inde quippe diem Natiuitatis, non Conceptionis virgineæ dicit habere ſolemnem, quia quæ in peccatis concepta eſt, vt vniuerſum genus hominum, ſine peccato nata eſt, vt pauci hominum.* Qui ſanè ſcopus eſt totius tractatus, & epiſtolæ ad Lugdunenſes. Quare non relinquitur deinceps anſa dubitandi de authore legitimo ipſius. Quinimo cùm iam conſtet Nicolaum, de quo hactenus dubitabatur, contrariæ omnino fuiſſe ſententiæ, eius quæ in ipſa epiſtola propugnatur, ſiquid Bernardo imponeret, potius eſſet quo ſuam confirmaret, quàm quo deſtrueret opinionem; ſciebat ſiquidem præcipuam eſſe illius tunc apud

apud omnes Eccleſias & Doctores cenſuram, quare non vellet, quod ædificabat, authoritate Bernardi deſtruere. Accedit quòd ſi ipſe epiſtolam finxiſſet, negaret Cellenſis eam fuiſſe Bernardi ſententiam, & ita facilè ſe ab argumentis Nicolai expediret; nunc verò tantum abeſt, vt neget authorem Epiſtolæ, quòd nullis aliis fundamentis ipſe ſe munit, quàm eis quæ in epiſtola reperiuntur, vt modò oſtendimus, & vt authoritatem Bernardi tueatur, modis omnibus laborat; nihil ęquè durum reputans, quàm quòd Bernardum exauthorare conaretur Nicolaus; inde enim dixit: *Sola mihi S. Bernardi iniuria donetur, & quacumque & vndecumque vis iacula conglomera, ſiue vt meam ruſticitatem confundas, ſiue vt de ſenſu meo viliſſimas ſententiarum quiſquilias excutias.* Et rurſus: *Petra ſcandali eſt, quòd Beatiſſimum Bernardum debita exuis veneratione, ac verborum iacula poſt eum emittis, tanquam famam eius poſſes extenuare.* Conabatur ſanè quibus modis poterat, famam eius extenuare, dicteriis in ipſum irriſionum eiectis: nam hoc ſibi neceſſarium erat ad ſtabiliendam opinionem ſuam: quo ſanè minimè egeret, ſi Bernardus epiſtolam non dictaſſet.

Minimè igitur hoc iam in dubium verti licet, vt omittam quòd non ſolùm à prædictis authoribus, ſed ab omnibus Doctoribus Scholaſticis, ab Alexandro Alenſi, Alberto Magno, D. Thoma & S. Bonauentura, ac cæteris ſine contradictione pro legitima & germana Bernardi, accepta & venerata eſt; cui etiam veritati nihil

obeſſe

obeſſe poſſunt, quæ Pater Hojeda meditatus fuit, nam quòd aſſeritur, potuiſſe & debuiſſe Bernardum Conceptionis feſtum velut antiquiſſimum noſcere, minimè verum eſt, quandoquidem nec in Martyrologio Adonis, aut Bedæ reperitur, nec Vſuardus legitimus egit de illo, quem enim habemus opera Molani additus eſt in multis, præſertim in feſto Conceptionis, vt characterum diuerſitas, qua ſcribitur, manifeſtè demonſtrat: de Martyrologio Hieronymi in neutram partem ferre poſſumus iudicium, quia non extat. In Breuiario ac Miſſali Gothico Toletano conſtat de nouo poſitum eſſe in impreſſione à Cardinale Ciſneros facta, quod expreſsè aſſerit Alfonſus Villegas tomo 1. floris Sanctorum, dum agit de officio Mozarabe; debetur autem illi fides, vtpote qui multos annos Capellæ Gothicæ Toleti Capellanus fuit, & in eo Miſſali verſatiſſimus. Quare cùm hæc ita ſint, non video vnde Bernardus cognitionem feſti habuerit, velut rei antiquæ, & toto terrarum orbe notiſſimæ. Audio potiùs Petrum Cellenſem Bernardi propugnatorem aſſerentem, oppoſitam ſententiam communi Doctorum calculo comprobatam fuiſſe; & Anglorum leuitate cœptum introduci, ſine Eccleſiæ authoritate. Cur tamen (ait) non eſt reueritus Bernardus epiſtolam S. Anſelmi, & opuſcula eius de immaculata Conceptione? Sanè, quoniam ſine authoris nomine, & ſufficienti authoritate ad manus eius peruenerunt; nam agens de reuelationibus in eis codicibus contétis,

tis, inquit: *Ipſe mihi facilè perſuadeo ſcriptis talibus non moueri, quibus nec ratio ſuppeditare, nec certa inuenitur fauere authoritas.* Et quamuis forſan ſciret ipſe, Anſelmum in Anglia fundamenta feſti Conceptionis ieciſſe, nollebat tamen id ad Gallias ſine Apoſtolicæ ſedis authoritate transferri; credibilius tamen eſt, incertum fuiſſe Bernardum de authore, & ſiquid de Anſelmo diceretur, quaſi rumorem in vulgus ſparſum ad conciliandam feſto authoritatem æſtimaſſe.

Nec mirandum eſt in re adeò graui, acri fuiſſe aculeo præditam mellifluam apem, cùm certò ſciret abſque Eccleſiæ Romanæ authoritate fieri, quod niſi de ipſius facultate minimè liceret. Erat ſanè naturæ & gratiæ dono, pietate, & modeſtia ſupra quàm credi poſſit, Bernardus inſignitus, ſiquis vnquam; vt meritò ad eius ſepulchrum appenſum ſit,

Alloquio mitis, conſilióque bonus.

Et ruſſus.

Mens humilis, blandus ſermo, pudica caro.

Alanus. Eiúſque diſcipulus Alanus Epiſcopus Altiſiodorenſis ſcripſerit in prologo vitæ Bernardi, quam edidit ipſe: *Abſit vt quidquam aſperum vel amarum oliua illa ſuauitatem in domo Domini fructificans, erga quempiam reddat: cuius ſtudij ſemper fuit, dum vixit in hoc ſæculo, omnes homines manſuetudinis ſuæ oleo demulcere.* Cæterùm vbi res ipſa acrem ſpiritum poſtùlabat, acerrimus fuit, cuius rei argumento eſſe poſſunt, quæ de Romanorum

norum priſcorum moribus ſcripſit ad Eugenium lib.4. de conſideratione; & de Iordano Cardinale ad Epiſcopum Hoſtienſem epiſt. 290. & ad ipſum Galliæ Regem Ludouicum mores ſuos taxans epiſt 221. Hæc ſanè & alia multa integritatem ac ſeueritatem animi Bernardini demonſtrant; quæ ſiquis vel leuiter legerit, mirari deſinet, dum videt in epiſtola ad Lugdunenſes aculeata quædam verba; in re nihilominus graui, & quæ matura egebat conſideratione, ac iudicio Romanæ ſedis.

Quæ deinceps obiiciuntur, ſuſpicionem generare poſſent, dum veritas ipſa aliunde non conſtabat; ea verò cognita, propalatáque in publicum, nihil obſtare nobis poſſunt; habemus ſiquidem archiua ipſa Claræuallis, & Vaticanam Bibliothecam, & omnes quotquot in orbe ſunt codices epiſtolarum D. Bernardi, ac demum Cellenſem & Nicolaum eius æui ſcriptores, clamantes pariter Epiſtolæ noſtræ authorem fuiſſe Bernardum. Hoc autem ſemel ſtabilito non eſt neceſſe ad ſingula reſpondere: quidquid enim de Dauidis ſanctificatione ſenſerit, & ſiue ad ſolos Lugdunenſes ſcripſerit, ſiue ad alios, rurſus ſiue hanc ſolam quæ extat, ſiue plures eiuſdem argumenti, non probant non eſſe ſuam, ſed in ea, vel in eo caſu ſic vel aliter ſenſiſſe Bernardum, quod iam non facit ad rem. Exiſtimo nihilominus pro ſanctificatione Dauidis vterina nihil dixiſſe, ſed ſub dubio reliquiſſe, quia ſui inſtituti non erat probare aut improbare alteram quæſtionis eius partem:

&

& ad ſolos Lugdunenſes ſcripſiſſe, quia erat prima præcipuarum quæ feſtum Conceptionis colebat, tametſi quædam aliæ minoris notæ Eccleſiæ id etiam in Gallia celebraſſent; vti liquet ex illis verbis, *Et antè quidem apud aliquos errorem compereram, ſed diſſimulabam, parcens deuotioni, quæ de ſimplici corde, & amore Virginis veniebat; verùm apud ſapientes, atque in famoſa nobilique Eccleſia*, &c.

Quid autem in cauſa fuerit Eccleſiæ Lugdunenſi, vt Conceptionis feſtum celebre haberet, alterius eſt conſiderationis: illud tandem poſt multam de ea re inquiſitionem habitam, compertum habeo, ab ipſo D. Anſelmo id acceptum, qui Lugduni non amplius quàm viginti octo annos priuſquam Bernardus ſcriberet epiſtolam, exularat, vbi & librum de Conceptu virginali, & peccato originali ſcripſit (authore Edinero eius diſcipulo) & in eo illam auream ſententiam, *Decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret*, &c. quæ Doctorem ipſum Angelicum compulit dicere in 1. ſent. diſt. 44. art. 3. ad 3. *Dicendum quòd puritas intenditur per receſſum à contrario, & ideo poteſt aliquid in creaturis inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit. Et talis fuit puritas B. Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit; fuit tamen ſub Deo in quantum erat in potentia ad peccandum.* Cùm verò aliunde certum ſit, Anſelmum præcipuum fuiſſe huius feſti promotorem, de quo multa ſuo loco nobis dicenda erunt, in dubium

Edinerus lib. 2. vitæ S. Anſelmi apud Surium tomo 2.

verti

verti nequit, ipſum docuiſſe Lugdunenſes venerari Virginis Conceptionem. Neque verò quis exiſtimet, tunc primò à Lugdunenſibus celebratam, cùm à Bernardo impugnata feſtiuitas eſt, ſed idcirco eam impugnaſſe, quia illis penè diebus apud Lugdunum in cauſa Lingonenſis Eccleſiæ moratus fuerat, cùm ab Italia, pacato tunc Petri Leonis ſchiſmate in patriam reuertebatur; quod ex cauſa ipſa liquet, inter Epiſtolas Bernardi ſub numero 164. & tamen nuſquam hactenus Lugdunum inuiſerat, vt ex vitæ eius libris palàm fit. Id verò accidit circa annum Domini 1135. nam 1136. vt vult Baronius tomo 12. Annal. Eccleſ. ſcripſit Epiſtolam ad Lugdunenſes poſtquam viderat ipſe, vel à celebrantibus audierat ſolemnitatem Conceptionis. Et ex ordine ipſo Epiſtolarum Bernardi conuincitur, nam ab epiſtola 164. vſque ad 170. incluſiuè agit de cauſa illa Lingonenſi, quæ Lugduni agitabatur, in tribus ſequentibus etiam de rebus Lugdunenſibus, & tandem in ſequenti, videlicet 174. diſputat de feſto Conceptionis ab eiſdem celebrari ſolito. Sed ad alia tranſitum faciamus. Baron.

§. 5. *Nicolaum, dum maculam pectori Bernardi impingit, mendaciſſimum deprehendi.*

SEd nunc cum Nicolao iterum agendum nobis eſt, & denuò conferendæ manus cum hoſte, non quidẽ quòd irreuerenti animo & infrunito in ipſum irruere non ſit veritus, & præ-

ſumptionis nota eum inuſſerit, dum Conceptionis feſtiuitatem impugnauit ad Lugdunenſes ſcribens: hoc enim cùm maledicentiam hominis & iniquum erga S. Abbatem affectum manifeſtiſſimè demonſtret, non eſt cur in eo immoremur; ſatis ſit animum eius cognitum habere; ſed quòd fabellam illam de macula pectorali Bernardi compoſuerit, quaſi gratias accepturus à celebratoribus Conceptionis. Bone Deus, quot machinas in virum ſanctum extruxit, vt eius ſi poſſet famam extenuaret? Primùm ſiquidem maledicentiæ iacula contorſit, dicteria iniecit; ſed cùm hæc forti Cellenſis robore confracta videret, multum magnúmque meritorum eius cumulum obiicientis, & minitantis, ne amplius in cælum os ſuum poneret, quia niſi ſibi caueret, in caput ſuum caſurus eſſet lapis, quo ferreum volebat penetrare cælum, præſertim cùm familiariſſimus alumnus fuiſſet Dominæ noſtræ, ita vt ad ipſum quandoque dixiſſet, *Qui te tangit, tangit pupillam oculi mei:* altiorem erigere deinde conatus eſt machinam, quaſi Babelicam turrim, qua ipſum quoque cælum tangeret, vt vel inde ſanctum eriperet, & vnum eorum qui ſine macula ſunt ante thronum Dei, commacularet. Vide quo pectore erat affectùs erga Beatiſſimum Bernardum ille nebulo Nicolaus, quòd pectus Bernardi fœdare tantopere ſatageret; ſed gratias Deo, quòd ab eodem Bernardo præmoniti ſumus, (imò & ipſe ſummus Pontifex) Nicolaum mendacem ſemper fuiſſe, & patrem eius.

eius. *Quis* (inquit ad Eugenium Papam) *mihi det, vt vel ipſa Curia veſtra ad plenum purgetur fæce mendaciorum eius? Quis mihi det, vt vel eorum innocentia qui mecum ſunt, ſatis valeat excuſari apud circumuentos, & præuentos impudentiſſimis eius mendaciis? vobis quoque aliquoties in eadem falſitate ſcripſiſſe, & non ſemel partim conuictus, partim & confeſſus eſt.* Quam fidem, lector bone, præſtare poterit quis, homini mendaciſſimo? aut qualis teſtis erit, qui de multis grauibúſque mendaciis ab ipſo Bernardo conuictus, quinimo & multa ſponte confeſſus fuit? Quem innocentem ſuis non præuenit, & circumuenit mendaciis? An verò ſoli Bernardo parceret, cui plus omnibus erat infenſus? Etiamſi laudaret ipſum, non crederem, quanto magis dum maculare conatur. O impudens! ſed quis ab eius officina æquè legitimus naſceretur partus, quàm macula? nam ab impuro & turpi turpitudinem exire quis neſciat? Audi Bernardum, *De turpitudinibus eius, quibus terra ſordet, & facta ſunt omnibus in parabolam, ſuperſedeo polluere labia mea, & veſtras aures.* Sed demus gratis fidelem hac in parte extitiſſe hiſtoriographum, mendaciſſimum aliàs notarium (quod qui volet credat) & quæ narrat, vt narrat contigiſſe nimirum, Conuerſum quemdam Claræuallis narraſſe Conuentui, in viſu noctis ſibi viſum fuiſſe Beatiſſimum Patrem macula ad pectus ſignatum, palinodiam decantantem eorum, quæ contra feſtum Conceptionis ſcripſerat; ergóne quia conuerſus id dixit vera fuit viſio? quaſi

Bern.

Bern.

Satanas nequeat ſe transformare in Angelum lucis. Id quod iam olim inſignes Theologi, Ioannes de Neapoli,& Capreolus de eadem reuelatione cenſuerant 3. ſent.diſt.3. quæſt. vnica art.3. in ſolutione octaui. Capreoli verba ſunt. *Ad* 8. *dicit Ioannes de Neapoli quòd illa viſio* (Bernardi cum macula) *eadem facilitate contemnitur, qua probatur, nec propter tales phantaſticas viſiones eſt aliquid dicendum contra doctrinam Sanctorum prædictam: præcipuè cùm frequenter Angelus Satanæ transfiguret ſe in Angelum lucis ad decipiendum ſimplices, qui ignorant aſtutias eius.* Hæc ille & bene. Rogo examini mandetur hæc viſio priuſquam approbetur. At iam ipſe Nicolaus aſſerit non ab vno, vel ab altero Monacho ad incudem fuiſſe reductam, ſed ab vniuerſo Capitulo ordinis Ciſtercienſis, & in eo communi Patrum calculo, non ſolùm falſam, ſed ſilentio dignam: ſcripturam autem eius igni tradendam eſſe, iudicatum fuiſſe. Iudicent quæſo prudentes vtri potiùs credendum ſit vni Nicolao, qui hominem non vidit, an toti Capitulo generali Ciſtercienſi, rem ipſam ad vnguem diſcutienti, & enucleanti? ſed quid ad hæc ille? *Relatum eſt Capitulo generali, & de communi conſilio ſcriptum periit incendio; maluitque Abbatum vniuerſitas virginis periclitari gloriam, quàm ſancti Bernardi opinionem.* O mendacem linguam! quàm iuſtè & ipſa cum ſcripto illo, incendio periret? Ergóne omnes ordinis Abbates erant impij? omnes detractores gloriæ Virginis? *Abbatum vniuerſitas.* Si vnum vel alterum

Ioan. de Neapoli.

Capreolus.

terum iniquum diceret in vniuerſo Ordinis ambitu, non mirarer, nam & ipſe Nicolaus ex Ordine fuit, & mendax erat: cæterùm Abbatum vniuerſitatem nominans, ſpiritum Dei nominat, Sanctorum cœtum, Angelorum contubernium. Vis ſcire quali ſanctitatis munere illis diebus præditum erat Capitulum generale Ordinis Ciſtercienſis? Audi quid Cæſarius ſanctus & vetuſtus ſcriptor ſcribat de eo lib. 7. Dialog. cap. 20. dum de viſionibus ſanctæ cuiuſdam Virginis Quidenſis ageret. *Tempore quodam Capituli generalis, in ipſo Capitulo ſcalam miræ pulchritudinis vſque ad cælum vidit erectam, Dominúmque innixum ſcalæ ſuper Capitulum reſpicientem, cuius latera & gradus tanti ſplendoris erant, vt ſolares radios ſuperarent. Sed quid huiuſmodi viſio ſignificabat? licèt omnia quæ in eodem Capitulo tractabantur ab Abbatibus qui ex diuerſis mundi partibus confluxerant, diuina inſpiratione fierent; haud dubium tamen quin ſancti Angeli deſcendentes & aſcendentes, eadem Chriſto, ob cuius amorem fiebant, nuntiabant. Sequenti Capitulo cùm relata fuiſſet hæc viſio Abbatibus, exultantes in Spiritu ſancto aiebant: Verè terribilis eſt locus iſte, non eſt aliud niſi domus Dei, & porta cæli.* Tam ſancto cœtui, vt cæleſti teſtimonio commendato notam impietatis vult modo Nicolaus meus imponere, ſed quid mirum ſi niger denigrare conetur cygnos; & ſcatens maculis, vt Bernardum commaculet, non vereatur commaculare omnem Abbatum vniuerſitatem? Audi etiam quid ſancta Mectildis aliquando audierit ab

Cæſar.

S. Mectildis.

ipſo Deo. *In die eximij doctoris ſancti Bernardi* (ait ipſa lib. 1. cap. 51.) *dum Miſſa, in medio Eccleſiæ in honorem eius cantaretur, & hac dilectrix Ieſu intenderet his quæ cantabantur; cogitans quid eſſet illud medium Eccleſiæ; Dominus animam eius lumine ſuæ cognitionis illuſtrabat, dicens: Medium ſanctæ Eccleſiæ eſt Ordo ſancti Bernardi, ſuſtentans Eccleſiam velut columna cui tota domus innititur.* Sed hæc miſſa faciamus, & quid Capitulum mouere potuerit ad condemnationem illius viſionis, inquiramus.

Illud ſanè irrefragabile argumentum iudico. Aut Bernardus maculam illam habebat poſtquam in gloriam Domini introductus fuerat, aut priuſquam ad illam admitteretur; inter hæc, cùm ſint extremè oppoſita, medium excogitari non poteſt: ex vtroque autem abſurda multa ſequuntur. Si poſt acceptam gloriæ poſſeſſionem maculam portaſſet, malè profectò Ioannes Apocalypſ. 14. diceret, quòd *ſine macula ſunt ante thronum Dei.* Hoc ita abſurdum exiſtimauit Gabriel Barrelete ſerm. de concept. quòd impium, prophanum, imò & hæreticum iudicauerit, vtpote contra expreſſum Ioannis teſtimonium. Et vt minimum non verè diceret poſſet Conuerſo, quod narrat Nicolaus, *Quia de Domina noſtra Conceptione ſcripſi non ſcribenda, ſignum purgationis meæ maculam in pectore porto.* Quandoquidem non eſt in cælo purgationis locus, nec tempus; nec poſſet perpetuo purgationis ſignum in Bea-

Gabriel Barrelete.

to

to perſeuerare. Quare non hoc Nicolaus dicere videtur, ſed quòd antequam in gloriam admitteretur cum macula illa viſus eſt. At quàm abſurdum id ſit ex ſequentibus iudicato. Quis vnquam de magnis Eccleſiæ luminaribus auſus eſt dicere Purgatorium perpeſſos fuiſſe poſt mortem, antequam in gaudium Domini vocarentur? *Porrò facto leui per Purgatorium tranſitu* (ait ille) *intrauit in gaudium Domini ſui.* Vide quàm prauo animo in Bernardum fuerit, qui in Purgatorium Bernardum immiſit, & quàm ſiniſtrè de meritorum illius prærogatiua ſenſerit. Vis vno verbo audire quanta hominis fuerit ſtulta iniuſtitia? Sanè auſus eſt Bernardum ad purgationem deſtinare, pro re in qua nullum commiſit peccatum; imò verò non modicum meruit gloriæ argumentum, quandoquidem non ideo ſcripſit Epiſtolam illam Lugdunenſibus, quia minus bene affectus eſſet erga Matrem Domini, quis id dicat? aut quem mundus vnquam deuotiorem, & vehementiorem in amore Virginis expertus eſt? *Cùm mihi in manus littera tua venerunt* (ait in epiſtola 86. ad Guillelmum amicum) *Natalis Dominæ noſtræ dies feſtus illuxerat, cuius me totum iure ſibi deuotio vendicans, nil aliud cogitare ſinebat.* Quis dulciùs virginis cecinit laudes? Quis maioribus ab ea præmiis donatus fuit? Abſit, vt hoc in alicuius, quantumuis impiiſſimi, mentem veniat. Nō igitur prauo animo epiſtolam ſcripſit, ſed zelo Dei

repletus, & Eccleſiæ Romanæ cauſam agens; atque prudentiæ mirabilis actum exercuit, docens non licere cuiquam ſine ſedis Apoſtolicæ iudicio nouas in Eccleſia inducere feſtiuitates, præſertim in re ancipiti, dubia & noua. Ergóne propter talem virtutis actum quis ad Purgatorium deputatur? Purgandum potiùs erat igne ſcriptum talis reuelationis, vtpote abſurdis ſcatens mendaciis. Quo videas Capituli Generalis rectitudinem & prudentiam in ferenda ſeu transferenda ſententia de ſancto viro ad chartam mendacis, & impoſſibilis hiſtoriæ.

Adde multa alia ibidem non diſſimili iudicio digna reperiri, quale eſt illud quòd nocte dicatur Conuerſo facta maculæ reuelatio, & tamen vir Dei primo ferè mane vitam cum morte commutauerit. *Hora autem die penè tertia* (ait Gaufredus lib. 5. vitæ ipſius cap. 2.) *ſingularis lucerna ſuæ generationis, Sanctus, ac verè Beatus Abbas Bernardus à corpore mortis in terram viuentium feliciter Chriſto duce migrauit.* Vt autem in viſu noctis maculatus apparuiſſet, neceſſum eſſet, vt toto illo die à Domini ſui gaudio in Purgatorio detineretur, quod quàm abſurdum ſit nemo non videt. Falſum verò oculatus teſtis comprobat, nam & talis non deeſt ad probationem, vt qui vidit, teſtimonium perhibeat, quia verum eſt teſtimonium eius. Trithemius Abbas in Chronico Hiſaurgienſi ad ann. Domini 1153. (cui Dionyſius Carthuſianus in opuſculo quodam adſtipulatus) author eſt,

Gaufredus.

Trithemius.

quo

quo temporis momento D. Bernardus mortis debitum ſoluit, horrendam viſionem Lingonẽſi Epiſcopo factam eſſe, in cuius diœceſi monaſterium Claræuallis ſitum eſt. Apparuit ei quidam Eremita mortuus, ſibi notus, qui cùm fuiſſet Decanus, & diues, omnia ante annos aliquot reliquerat pro Regno cælorum. Hunc cùm Epiſcopus de ſtatu ſuo & diſtrictione diuini iudicij rogaſſet, reſpondit: *Ea hora, in qua ego de corpore migraui, triginta hominum millia ab hac luce tranſierunt, è quibus Bernardus Claræuallis Abbas, qui eadem hora obiit, vnà mecum ad cœlos euolauit, tres alij ad Purgatorium miſſi ſunt, cæteri omnes per ſententiam iuſti Iudicis condemnati ad infernum perpetuò cruciandi deſcenderunt.* Vidit igitur Bernardum rectà ad cœlum volantem ſanctus Eremita, & qui vidit, deſcendit de cœlo vt teſtimonium perhiberet, perhibuit autem non Conuerſo ſimplici, & idiotæ, ſed Epiſcopo loci, cuius teſtimonia credibilia facta ſunt nimis.

Neſcio an maledicentiæ Nicolai præſcia diuina prouidentia ipſum Bernardi obitum præuenerit miris reuelationibus, ne locus eſſet maculæ mendacio. Nam & *Abbas ſatis Bernardo habitatione vicinus, nec minus actione deuotus* (ait Gaufredus lib. 5. c. vltimo) *paucis diebus ante feliciſſimum huius Patris exceſſum, videbat eum pretioſiſſimis ornatum ſacerdotalibus indumentis, & excellenti perfuſum gloria, cum ingenti ſolemnitate ad altare deduci: ad cuius introitum Eccleſia magna magnis reſultans vocibus exclamabat: Puer natus eſt nobis; verè enim puer ipſe erat, mitis, & humilis* Gauffredus.

corde, & ſicut paruulus accipiens Regnum Dei: in cuius merito gratulabūda natali Angelica multitudo omnis pariter Sanctorum Eccleſia, dum nobis videretur mori, ſibi illum naſci, non tam ſonoris vocibus, quàm votis paribus concinens exultabat. Nec mirū, cùm ante multos annos inter Apoſtolorum agmina dum Mediolani exiſteret, viſus ſit à Mediolanenſi ciue, vt narrat author Exordij Ciſterc. lib. 2. c. 16. Prius igitur quàm moreretur, canunt Angelici chori, Puerum ſibi naſci, nimirum innocentia, nunc verò Purgatorio à Nicolaitis traditur impudenter.

Epiſtola Nicolai. Conſiderare quoque opus eſt, locum maculæ deſignari, Bernardi mammillam. *Vidit Abbatem Bernardum niueis indutum veſtibus, quaſi ad mammillam pectoris furuam habere maculam.* Si error fuiſſet, epiſtolam ad Lugdunenſes ſcribere, mentis ignorantia, non tamen pectoris affectus culpandus & puniendus erat, non enim iuſtitia Dei patitur innocenti membro pœnam infligere, nocente impunè relicto. Adde, non videri rationi conſonum, vt is qui mammillam Virginis Deiparæ ſuxit, in mammilla mulctetur: ſuxiſſe autem Bernardum nemo neſcit, quod vtique vniuerſi orbis picturæ ſacræ loquuntur, & grauiſſimo teſtimonio apud Caſtellionem hactenus ſeruato, & à Reuerendiſſimo Domino Edmundo de Cruce Ciſtercienſi Generali iuſtificato cōprobatur. Hoc quia à multis prætermiſſum eſt, qui vitam Bernardi deſcripſerunt, placet ad verbum apponere.

In

In Eccleſia ſancti Beroli caſtri Caſtellionis ſuper Sequenam Lingonenſis diœceſis quadam imago in veneratione & honore Beatæ virginis Mariæ antiquitus extitit constructa: quæ quidem imago ſancto Bernardo filium ſuum obtulit miraculosè in Eccleſia, dicens: Bernarde ſuſcipe puerum meum totius mundi Redemptorem. Deinde quoque vltra omnem humanæ naturæ virtutem, ac ſi Chriſti frater naturalis fuiſſet, manu dictæ imaginis ſuſcepta mammilla, illico Beato Bernardo ſibi deuoto, ore aperto tres guttas lactis ab eiuſdem imaginis mammillis profluentes miraculosè diſtillabat. Quibus ſic ſuſceptis ab eodem dictæ imaginis mammillæ guttis, eiuſdem Dei genitricis orator, & Chriſti filij ſui profeſſor, ac cæleſtis militiæ Confeſſor fidelis, laudes quamplurimas calorum Reginæ, ſancto ſpirante Pneumate, eiuſdem Mariæ opitulante gratia compoſuit. Solet certè lac ſimilitudinem gignere paruuli cum nutrice; quæ autem erit Bernardo cum Virgine ſimilitudo, ſi mammillas cælis puriores ſugens mammillam ipſe maculatam ante Chriſti Tribunal portaſſet? Quod ſi ita fuiſſet, nunquã Virginum choros Virgo mater in tranſitu Bernardi ſui lætabunda duxiſſet, quos tamen duxiſſe ſcribit Philotheus in laudem Bernardi inquiens:

Talia vix breuibus dederat mandata loquelis, (ſcilicet Bernardus diſcipulis)

Saucia ſolicito corda dolore leuans;
Cùm niueus, lachrymas inter gemitúſque ſuorum
Spiritus, abiecto corpore, celſius abit.
Ipſa per Æthereos virgo nitidiſſima tractus

Viſa

Viſa eſt cœleſtes ducere læta choros.
Purpureámque trahens animam ſuper arce locauit
Empyrea, lateri compoſuitque ſuo.

Ipſa igitur Virgo beatiſſima choros virginum & Angelorum duxit, feſtiuum agens diem natalis Bernardi, ipſa animam filioli dilecti traxit à corpore, ipſa ad cælorum leuauit arcem, ipſa ad latus ſuum compoſuit. Quis hic locus maculæ?

Mitto Bernardum non ſolùm Deiparæ ſuxiſſe mammillas; ſed & quandoque ad pectus vulneratum Dei ipſius admiſſum, atque crucifixi Ieſu manibus ſtrictè complexum. id quod S. Meynardus eius diſcipulus vidit; author verò Exordij Ciſtercienſis ſcriptis teſtatus eſt lib. 2. cap. 7. ne quis vel leuiter ſuſpicetur pectus pectore Dominico dignatum, macula poſtmodum fœda reſperſum. Illud tamen omittere non debemus; ſi quando Bernardi pectus ad maculam delendam purgatione indiguit, nequaquam fieri potuiſſe, vt inter cætera eius corporis membra præcipuum obtineret ornatum in gloria: tantum ſiquidem ab eo promerendo abfuiſſet, quòd potius pœna, & purgatione opus haberet. Nunc autem nil æquè ſplendidum, & ornatum non ſemel portare in gloria viſus eſt, quàm pectus. Beatiſſima ſanè virgo Gertrudis bis à ſe viſum fuiſſe refert in feſto ſuo, inſignis ſplendoribus gloriæ circumdatum; ſemel quidem monile pretioſiſſimum ad pectus portans, à

quo

quo mirabilis ſplendoris radij in eos omnes deriuabantur, qui ob eius merita ad inſignem dilectionis gradum prouehi cupiebant; eiſque radiis monile nouum in vniuſcuiuſque pectore gignebatur. Viſus eſt iterum ſuper triplicis coloris fulgidiſſimam veſtem, laminis aureis miræ ac peregrinæ pulchritudinis manus eius & collum ornari; ad pectus verò multo maiorem portare laminam inæſtimabilis valoris, & artis, gemmis pretioſiſſimis roſei coloris intextam; de eiúſque latere ſuper lucida veſte cor in modum bene ſonantis citharæ diſpoſitum habere. En maculam Bernardini pectoris, ſi qua concedenda eſt illi. Non diſſimilem diuina Mectildis habuit de gloria ſancti Doctoris viſionem, quam ipſa refert libro primo de gratia ſpirituali cap. 51. & libens omitto, vt multas alias (in tractatu ſiquidem Hiſpano ſex & viginti ex variis authoribus compilaui in immenſum à viſione illius Nicolaitæ conuerſi diſſimiles) ne diuitiarum copia, ac melle tanta faſtidium lector adſumat; dum tamen hoc mihi tandem concedat, Bernardum nequaquam purgatione pectoris poſt obitum indiguiſſe, qui nimirum nuſquam malum erga aliquem pectus habuerit, immo verò de puriſſimi ſui pectoris meritis, tot nobilitati Chriſtianæ monialia ad pectora collocanda contulerit; nam & illuſtriſſima militarium religionum inſignia, Alcantaræ, Calatrauæ, Monteſæ, Auiſij, Ieſu Chriſti, ac ſancti Mauritij de Bernardi ſacro pectore dimanaſſe

naſſe norunt omnes, qui res Hiſpanicas vel leuiter legerunt. Minimè igitur illud pectus maculis reſperſum putandum eſt,è quo tot puritatis ſigna in Chriſtianorum Principum pectora ortum habuerunt.

Meritò proinde Generale Ciſtercij Capitulum maculam Bernardi audire renuit: vt omittam incredibile prorſus à Petro Cellenſi Gallo, & cui cum Ciſtercienſibus multa neceſſitudo fuit,penitus ignorari, & ab Anglo remotiſſimo ſciri; & quòd nullatenus rem præcipuæ doctrinæ cum edita Conuerſo Bernardus ageret , ſed cum Abbate,aut Epiſcopo aliquo,ſi palinodiam decantare vellet; denique quòd ab Anglis relata ſit, quibus nihil magis cordi erat , quàm feſtum ſuum per fas , nefáſque promouere : hoc enim ſuſpicioſam reddit hiſtoriam.

LIBER

LIBER POSTERIOR

PROBAT

Bernardum in Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes minimè præſeruationi Virginis ab originali peccato reſtitiſſe, & alibi non ſemel ſubſcripſiſſe.

§. 1. *Quid Caniſius, quid Catherinus de Bernardi mente ſenſerint.*

DECERTAVIMVS hactenus pro virili, &, ni fallor, obtinuimus, Epiſtolam ad Lugdunenſes contra celebrantes feſtum Conceptionis Dei parcè, à diui Bernardi officina verè prodiiſſe. Hinc verò multi ſunt, qui credent Bernardum noſtrum immunitatem Diuæ Virginis ab originali peccato nequaquam aſſerere, ſed potiùs deſtruere, quandoquidem reprobat eius feſti celebritatem, quam nimirum *ritus Eccleſia neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio*, quámque *ſancti Patres nunquam agnouerunt, periculosè autem præſumamus quidquid ipſorum in talibus prudentia præteriuit.* Imò verò neque videatur, celebrari

brari poſſe conceptum, qui minimè ſanctus fuit, ſed potiùs in peccato, vtpote cum libidine perfectus, qua originale peccatum propagatur in prolem, quare *vno excepto Domino Ieſu, qui de Spiritu ſancto conceptus fuit, de cætero* (ait Bernardus) *vniuerſos reſpicit ex Adam natos, quod vnus humiliter de ſeipſo, ac veraciter confitetur, in iniquitatibus, inquiens, conceptus ſum.* &c. Et ſubdit: *Cùm hæc itaque ſe habeant, quo pacto aut Sanctus aſſeretur conceptus, qui de Spiritu ſancto non eſt, ne dicam de peccato eſt, aut feſtus habebitur, qui minimè ſanctus eſt? libenter glorioſa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falſa induci videtur ſanctitas.*

Hoc tamen non obſtante duo mihi certiſſima ſunt hac in re; alterum quidem de ſententia Bernardi nihil hoc tempore ſiniſtrum haberi contra immaculatam Virginis Conceptionem, & feſtū quod nunc Eccleſia catholica celebrat: quidquid olim ipſe, dum in viuis eſſet, de myſterio & feſto ſenſiſſet. Et tametſi hoc nobis, pro aris & focis ſacratiſſimum habentibus vtrumque, ſatis ſupérque fuiſſet, Bernardum nunc non habere contrarium; alterum adhuc ſimili, ſeu maiori certitudine compertum mihi eſt, Doctorem mellifluum in dicta Epiſtola neutiquam ſuo tempore impugnaſſe myſterium, & feſtum immaculatæ Conceptionis, quo ſenſu modò celebre in Eccleſia eſt; ſed longè alio, quàm nunc celebratur. Vellem autem vt lectores mei affectum vtriuſque partis deponant, & iuſtum iudicium iudicent; hoc enim ſolo non diffido,

diffido, me voti compotem euaſurum. Vt verò gradatim ad poſteriorem promiſſionem meam producendam, & propugnandam, accedamus, illud quod priori loco propoſui nunc breuiter enodare non pigeat.

Quòd Bernardus produci iam non poſſit, vt feſto Conceptionis immaculatæ contradicat, non vno modo ſed duplici, ac diuerſo, à grauiſſimis doctoribus propugnatum inuenio. Facilis admodum via eſt, quam Petrus Caniſius lib. 1. de Beata Virgine protriuit, inde eliciens Bernardum non obſiſtere, quòd pro Epiſtola ad Lugdunenſes, quæ multis videtur feſto contrária, habeamus ſermonem 4. ſuper *ſalue Regina*, in quo myſterium immaculatæ Conceptionis, conceptis prædicat verbis. Teſtis autem varius nocumentum neutri parti poteſt inferre; argumentum verò variæ eiuſdem ſententiæ ſuæ Bernardus dedit in ſerm. 2. de glorioſa Virginis Aſſumptione, vbi quæſtionem tangens ſub dubio reliquiſſe videtur, inquiens, *Quòd ſi originalem à parentibus maculam traxit, ſed minus à Ieremia ſanctificatam in vtero, aut non magis à Ioanne Spiritu ſanctò repletam, credere prohibet pietas Chriſtiana.* Cèrtè ſi certus eſſet Sanctus de ſententia, quæ illi propter Epiſtolam prædictam imponitur; non diceret ſub conditione, *ſi originalem à parentibus maculam traxit*, &c. Sed abſolutè affirmando ſcriberet, quia originalem maculam à parentibus traxit, non ideo exiſtimandum cum eodem peccato natam eſſe, cùm Ioanni, & Ieremiæ eiuſmodi

Petrus Caniſius.

priuilegium conceſſum fuiſſe ſciamus.

Ambroſius Catherinus.

Alia via inceſſit Ambroſius Catherinus, Campenſis Archiepiſcopus, de ordine præfulgido Prædicatorum aſſumptus, in opuſculo de immaculata Conceptione Diuæ Virginis, vbi cap. vltimo lib. 11. cuius titulus eſt, *Quòd reuera omnes ſancti tenuerunt hanc ſententiam immaculatæ Conceptionis B. Virginis*: ait ex eo, quòd D. Bernardus aliquando forſan celebrantibus feſtum immaculatæ Conceptionis ſe oppoſuit, non licet eius ſententiam adducere nunc temporis ad feſti & myſterij impugnationem; quoniam iam ab illa deſtitit, & ſentit oppoſitum, fauétque feſti eiuſdem celebritati. Si quæras vnde id Catherinus deprompſerit? occurrit ipſe non aliunde, quàm ex ipſa Epiſtola: in ea ſiquidem vir Sanctiſſimus ſuo nomine ſubſcriptum reliquit, à tempore Sixti IV. futuri Romani Pontificis, & deinceps, nullatenus feſto Conceptionis ſe contradicturum, ſed veneraturum, ſed celebraturum ipſum cum cæteris fore. Subtilis admodum ratiocinatio, ſi ſolido nitatur fundamento. Illud autem, & ſolidiſſimum eſt, quòd agens Bernardus de feſtiuitatibus, quas eo tempore Virgini Matri celebrabat Eccleſia, putà Natiuitatem, Annuntiationem, & Aſſumptionem, inquit: *Hæc mihi de illa cantat Eccleſia; & me eadem docuit decantare. Ego verò quod ab illa accepi, ſecurus & teneo & trado.* Nunc autem ſi quod Eccleſia docet, decantare Bernardus ſecurus & tenet & tradit; *Iam quod aliquot ſæculis ſeruatum fuit ac ſemper in Eccleſiis creuit*,

uit, ait Catherinus, *ipſa quoque ſedes Apoſtolica ſuſcepit, & probat*. Eſt ergo iam Bernardus ſecurus, ac tenet & cantat quod Eccleſia. Non aliam conditionem expectabat, niſi acceptationem, & vſum Eccleſiæ, hæc verò tempore Sixti IV. adimpleta eſt; ab illo ergo tempore Bernardus de feſtiuitatis ac myſterij ſanctitate ſecurus eſt, & pro ipſis ſtat, & ſubſcribit. Quare notanter, non vſus eſt verbo futuri temporis, *tenebo*, *tradam*, ſed præſenti, *teneo*, *trado*, ne ſit neceſſum nouum expectare conſenſum ſuum ſuper hac re. Niſi quis velit Bernardum ſibi ipſi non conſtare, dum ex vna parte non exigat aliam conditionem, quàm Eccleſiæ Romanæ vſum & celebrationem feſti, & ex alia conditione poſita authoritate Sixti IV. Concilij Tridentini, Pij V. Alexandri VI. Pauli V. ac Gregorij XV. adhuc reluctari credatur. Et ſi reluctari dicimus, mendacem facimus eum, quia ſecurum ſe ſcribit, & ſecurè tenere, ac tradere, quod Eccleſia, *Quod ab illa accepi, ſecurus & teneo & trado*, & aliàs nolumus quòd ſecurus ſit, & teneat, & tradat quod Eccleſia. Cùm verò inquit, *quod ab illa accepi*, ne putet quæſo quis, Bernardum ad credendum Eccleſiæ expectaſſe rigoroſam myſterij definitionem: iniuriam ſiquidem illi maximam inferret, qui hæc dixerit, ſiccinè dyſcolus, ac rebellis matris monitis filius erat? Nemo ſanè Bernardum Eccleſiæ facilè conſentiendo anteiuit, ne dicam æquauit. Exemplo autem ſit Natiuitatis Virginis feſtum.

E 2 Quando

Quando ab Eccleſia myſterium illud definitum eſt? Sanè & nunc deſideratur. celebrauit tamen feſtum cum Eccleſia. Parum hoc; ex ſola Eccleſiæ celebratione, non ſolùm ſuſcipit diem, ſed audet dicere, ſe hoc indubitanter & firmiſſimè credere. *Sed & ortum Virginis didici* (ait) *nihilominus in Eccleſia, & ab Eccleſia indubitanter habere feſtiuum, firmiſſimè cum Eccleſia ſentiens, in vtero eam accepiſſe, vt ſancta proderet.* Infert nunc doctè Catherinus; *Cur ergo tu mi frater, qui mihi Bernardum obiectas, quod iam vbique & tantopere canit Eccleſia, adhuc trepidas recipere, cùm ſit Bernardus ſecurus: quomodo ergo conſentis cum Bernardo, ſi, in quo ille ſecurus eſt, tu trepidas adhuc?* Et poſt pauca: *Quis ergo auſit poſthac Bernardum producere aduerſum celebritatem hanc, quando ipſe iam maximè illam ſuis verbis confirmet?*

§. 2. *Quid Cardinalis Baronius de Bernardo exiſtimarit.*

Licèt hæc ita ſint, & Bernardum Conceptionis feſto fauentem teneamus, adhuc tamen mihi certo certius eſt, nunquam ipſi contrarium fuiſſe, in eo ſenſu, quo nunc ab Eccleſia celebratur, ſed in alio longè diuerſo; quòd verò, cùm ſcripſit Lugdunenſibus, in epiſtola illa minimè nobis aut myſterio immaculatæ Conceptionis refragari intenderet, inde colligit & credit Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius tomo 12. Annal. ad annum 1136. quòd ſolùm voluit Canonicos reprehendere de

leuitate,

leuitate, qua feſtiuitatem nouam acceptauerant, ſola vulgari reuelatione moti, cùm tamen nihil adhuc Apoſtolica ſedes, ea de re decreuiſſet, & temerè ſine eius decreto facultas celebrationis feſtorum quorumuis aſſumeretur. Ad hoc ſi quidem intendere viſus eſt Bernardus, cùm ad calcem Epiſtolæ dixit: *Nam ſi ſic videbatur, conſulenda erat priùs Apoſtolicæ ſedis authoritas, & non ita præcipitanter atque inconſultè paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum.* Et in eundem finem tendunt, quæ ſubinfert: *Romanæ præſertim Eccleſiæ authoritati, atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ huiuſmodi ſunt, vniuerſa reſeruo; ipſius ſi quid aliter ſapio, paratus iudicio emendare.* Hoc igitur præcipuè Bernardo cordi fuit in hac epiſtola, authoritatem Eccleſiæ Romanæ tueri; præſumptioni, temeritati ac leuitati adſcribens, quidquid in feſtorum celebratione abſque eius examine & iudicio præriperetur. Vt autem Lugdunenſes Canonici, etiam hoc ſpeciale feſtum, viderent non leui Eccleſiæ examine indigere, refert diffusè, quæ in contrarium facere videbantur; non eo animo, vt ſenſum ſuum prmeret, ſed vt auditis, quæ feſto obeſſe poterant, ad ſedem Apoſtolicam celeres remearent, & quid tenendum eſſet, edocerentur: ſicque (quod ipſe magnopere cupiebat) feſtiuitas librata, & non inuenta minus habens ab Eccleſia Catholica, de iudicio ſummi Pontificis vnanimi conſenſu reciperetur. Mirum ſanè Bernardi in hoc elucet ingenium, & erga diuam

Virginem deuotio:ſed audi ipſum Cardinalem, cuius aurea verba hic libuit inſerere. *Porrò hæc perficit Bernardus, licèt diuerſa ſenſerit, vt res ipſa accuratiùs examinaretur, atque deferretur ad iudicium Apoſtolicæ ſedis: vbi ex Scripturis ſacris, proditis in medium teſtimoniis, prauiis fidelium precibus, Pontificio ſanciretur decreto, celebrandam eſſe in Eccleſia ſanctiſſimæ Genitricis Conceptionem.* Notanter adiecit, *licèt diuerſa ſenſerit*, videlicet ab his, quæ ſcribebat obſtare nouæ feſtiuitati: quibus videas, quæſo, Baronium ſine vlla hæſitatione aſſeueraſſe, Bernardum nunquam repugnaſſe myſterio immaculatæ Conceptionis, ſed potiùs indubitanter pro illa fuiſſe; ſcribere tamen voluiſſe & debuiſſe, quæ contra ipſam facere videbantur; eo ipſo quòd calcaria volebat addere Lugdunenſibus, vt ad ſedis Apoſtolicæ conſpectum, cauſam celeriter adducerent. Si tandem quærat quis, vnde haberi poſſit Bernardum eo animo fuiſſe, cùm hanc ſcriberet Epiſtolam? Reſpondemus, totam narrationis ac diſputationis ſeriem dependenter à fine Epiſtolæ ſcriptam eſſe; & reſolutionem à fine eſſe requirendam; finis verò Epiſtolæ ille eſt, *Nam ſi ſic videbatur, conſulenda erat priùs Apoſtolicæ ſedis authoritas*; & illud, *Romanæ Eccleſiæ authoritati atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ eiuſmodi ſunt, reſeruo*; quinimo vt tota Epiſtola ad hoc tendere videatur, etiam hoc propoſuerat in principio, cùm dixit, *At valde honoranda eſt*, inquit, *Mater Domini. Bene admones, ſed honor Reginæ iudicium diligit*: Quid eſt ergo,

Baron.

go, *Romana Eccleſia examini totum hoc reſeruo?* niſi ipſum nolle, vt iis, quæ dicta ſunt, moueantur Canonici, ſed quòd illa ad tribunal Eccleſiæ deferant? Aliàs ſi corde integro illa ſcripſiſſet, nunquam remitteret iudicium Romano Pontifici, quod nullibi vſquam feciſſe comperitur; ſed promeret ſincerè ſenſum ſuum. Vult igitur illos ad Pontificem mittere.

Et ſi ex diſcipulo egregio ac fideli, ſenſus Magiſtri deprehendi queat, quod nemo, vt credo, negabit; habemus Petrum Cellenſem Bernardi pro focis defenſoré, qui tamen nihil æquè deſiderare ſe ſcripſit, quàm decretum Eccleſiæ Romanæ, ſeu Generalis Cōcilij feſtiuitatem Conceptionis approbans. Cùm enim illi obieciſſet Nicolaus, *Non erat ab initio Natiuitas Virginis in Eccleſia ſolemnis, ſed creſcente fidelium deuotione addita eſt præclaris Eccleſiæ ſolennitatibus: quare igitur non ſimiliter & diem Conceptionis obtineat ſedulitas Chriſtianæ deuotionis?* Reſpondit Petrus, *Cataractas cæli, & fontes abyſſi libentiùs in obſequium Virginis ſoluerem, quàm clauderem. Eſt tamen auro locus, in quo conflatur, & habet argentum venarum ſuarum principia, ſedem Petri, & Curiam Romanam;* & inferiùs: *Vtinã ſalua veritatis authoritate, lance communis Concilij, hac Domina & moderatrix totius Chriſtianitatis, Conceptionem Virginis libraſſet, & approbaſſet, & à mari vſque ad mare hāc propagaſſet: nam Sole, id eſt, Papa, & Luna, id eſt, Eccleſia Romana, præeunte, tam ſecurè, quàm expeditè, in lumine vultus eorum greſſus meos ponerem, & diſponerem.* Petrus Cellenſis.

Quis verò eſſet Cellenſis, ſanè ipſemet, cùm

ad Carnotenſem Eccleſiam recens eſſet electus, ſcripſit ad Ciſtercienſe Capitulum epiſt.8.lib.9. in qua ſic ait: *Recolat igitur ſanctiſſimum veſtrum Collegium, vnum me eſſe de alumnis B.Bernardi.* Si igitur alumnus Bernardi, dum Bernardi ſententiam de Conceptione Virginis propugnat, nihil aliud deſiderat, niſi vt ab Eccleſia, aut Concilio approbaretur, & quòd dilataret feſtum eius à mari vſque ad mare; non eſt quare aliud Bernardus ipſe voluiſſe credatur. Id verò ſemel obtento (quod Catherinus dicebat & impletum videmus) Bernardus & Cellenſis habent quod tantopere concupierant, & fautores feſti deinceps habendi ſunt.

§. 3. *Exponitur ad litteram Epiſtola ipſa, quo mens melliflui Doctoris lucidiùs deprehendi queat.*

SVbtilis admodum Cardinalis Baronij expoſitio fuit, & pia: in illam tamen ſententiam propenſiùs feror, quam alter Cardinalis docuit & explicuit (loquor de illa ſui temporis magna Bellarm. Eccleſiæ Dei columna Roberto Bellarmino lib. 4. de amiſſione gratiæ c. 17. tomo ſuorum operum 3.) vt videlicet Bernardus non fuerit locutus de Conceptione Virginis, prout hac voce ſignificamus vnionem animæ cum corpore, ſed vſum matrimonij ſuorum parentum. Hæc ſententia tanti Doctoris patrocinio cōfirmata non potuit non placere multis, inter cæteros fuit inſignis Greg. de Valēria. Societatis Ieſu Theologus Gregor. de Valentia, qui ei ſubſcripſit tomo 4. diſp. 2. q. 12 membro 2.

eámque

cámque docuit publicis prælectionibus Salmanticæ inſignis Bernardi filius,& toto celebris orbe M. Angelus Manrique, mihi pro ſua in me beneuolentia multis nominibus colendus. Video etiam placuiſſe eruditiſſimis Theologis, quibus ſcriptum illud meum Hiſpanum legere datum fuit,eo præſertim, quòd ibi oſtenderim non fuiſſe nouam Bernardi intelligentiam, ſed antiquam; imò verò tota antiquitate nuſquam aliter intellectum fuiſſe Doctorem ſanctiſſimũ, nec vllo pacto eius verba admittere poſſe alium ſenſum. Quia verò hoc opus hic labor eſt, & ſcopus laboris huius; quæſo lectorem meum patienter me audiat, multa enim quæ huc ſpectare tunc vidi, & non pauca quæ poſtea inueni,neceſſarium iudicaui Scripturæ tradere; nec volui paucis perſtringere quæ longa expoſitione digna ſunt:iis ſiquidem rectè perpenſis, ſpero deſerturos omnes vulgarem Bernardi intelligentiam, ſolidámque libenter accepturos. Ang. Manrique.

Quòd igitur aſſerimus eſt, Bernardum nomine Conceptionis nihil aliud voluiſſe ſignificare, niſi vſum matrimonij ſeu copulam parentum Deiparæ Virginis, qua ſemen in vulua receptum fuit ad tantam prolem edendam,ac formandam.Huc tendunt rationes eius omnes; id ſolum probant,& præter hoc nihil conuincunt: nemo autem negare audebit id Bernardum in præſenti Epiſtola intendere quod probat; quod verò nullatenus conuincit, longè ab eius fuiſſe intentione.nam acrem ac formalem ratiocinationem,ſi quo in loco vnquam, hoc præſertim,

formaſſe,ſatis ſupérque ſtyli acrimonia, ac ſtomachus, quo in Lugdunenſes inuehitur,demõſtrat. Adde tam bene expreſſiſſe in Epiſtola ipſa mentem ſuam vt dubio procul ſit,ſolam carnalem conceptionem improbaſſe: rurſus hoc ſenſu, priſco illo æuo & non alio intellectum fuiſſe: demum neque aliter loqui debuiſſe,aut potuiſſe;de quæſtione verò, quæ nunc ab Scholaſticis diſputatur, quia cum Canonicis ea minimè agitabatur,nec leuiter meminiſſe;alibi verò ſatis multa ſcripſiſſe, ſed piè, ſed fauorabiliter. Hæc ſigillatim monſtranda ſunt: pendent verò ex totius epiſtolæ paraphraſi, quam neceſſe eſt in capite præmittere.

Epiſtola S.Bernardi ad Lugdunenſes Paraphraſis.

Paraphraſis.

1. MEritò initium capit à laudibus rerum,ac morum, quibus cæteris Galliæ Eccleſiis pręſtabat Lugdunenſis, vt veterem ei maturitatẽ ac prudẽtiam ob oculos ponens, faciliùs ad tritã reducat ſemitàm, quæ in cõſideratione quadam ab ea declinaſſe videbatur.

2. Inci

TEXTVS.

1. *INter Eccleſias Galliæ conſtat profectò Lugdunenſem hactenus præminuiſſe ſicut dignitate ſedis, ſic honeſtis ſtudiis & laudabilibus inſtitutis; ibi enim æquè viguit diſciplina cẽſura, morum grauitas, maturitas conſiliorum, authoritatis pondus, antiquitatis inſigne: præſertim in officiis Eccleſiaſticis,*

ſticis, haud facilè vnquã repentinis viſa eſt nouitatibus acquieſcere: nec ſe aliquando iuuenili paſſa eſt decolorari leuitate, Eccleſia plena iudicij.

2. Vnde miramur ſatis, quòd viſum fuerit hoc tempore quibuſdam veſtrûm mutare colorem optimum, nouam inducendo celebritatem, quam ritus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.

2. Incipit Canonicos carpere quòd ab antiqua grauitate deſciuerint, dum inducerent in ſuam Eccleſiam feſtiuitatem, quã triplici argumẽto nouam oſtendit: nimirũ quia neque Eccleſia (ſcilicet Romana & vniuerſalis) eam celebraret, neque rationi cõſonum videbatur, quòd celebraretur de nouo (vt inferiùs ipſe monſtrabit) neque traditione Patrum habebatur. Hæc tria directè in conceptionem carnalem tendere mox oſtendemus.

3. Nunquid Patribus doctiores, aut deuotiores ſumus? Periculosè præſumimus quidquid ipſorum in talibus prudentia præteriuit: nec verò id tale eſt, quod niſi prætereundum fuerit, Patrum quiuerit omnino diligentiam præteriſſe.

3. Hoc præcipuè telo ferit Canonicorum leuitatem, quod feſtũ, de quo agitur, omnino à Patribus prætermiſſum fuerit, cùm tamen de re tali fuerit, quod minimè præteriiſſet diligentiam, & deuotionem illorum, ſi celebrari

4. At

lebrari deberet.

4. Ab hoc loco incipit impugnare fundamenta aduerſariorum, vt oſtendat præter omnem rationem feſtum illud nouum fieri: nam eſſe alienum ab Eccleſiæ ritu, & Patrum traditione nō

4. *At valde honoranda eſt (inquis) Mater Domini. Benè admones, ſed honor Reginæ iudicium diligit. Virgo regia falſo non eget honore, veris cumulata honorum titulis, inſulis dignitatū.*

haberi, ex facto ipſo manifeſtum relinquit. Tria verò refert Lugdunenſium fuiſſe motiua celebrationis noui feſti. Primum quòd valde honoranda eſſet mater Domini, cuius merita & prerogatiuas nunquam ſatis pro meritis laudare poſſumus, nec cognoſcere; quantumcumque nouis modis laudare ipſám conemur. Nec aliud videbatur requiri, quàm noſſe feſtum Virginis fieri. Secundum eſt quod ex natiuitatis feſto ſatis videbatur conuinci Conceptionis, nam ſi concepta non fuiſſet, minimè naſceretur. Quòd ſi natiuitas illius profuit nobis, priùs neceſſum eſt vt conceptio proficeret. Tertium verò quòd diuina reuelatione edocti erant Virginis deuoti clientes eius Conceptionem celebrare. Hæc tria debito perſequitur ordine Bernardus, nunc autem multus eſt vt primum illud fundamentum deſtruat; non enim ex eo quòd valde honoranda ſit virgo Beata, ſtatim ſequitur, vt ſine delectu, & prudentia id fiat; honor enim Reginæ non minus iudicium diligit, quàm honor Regis. Neque verò indiget noſtro

mendacio

mendacio vt pro illa loquamur dolos; ſi autem ad iudicium priuilegia, & merita Virginis reuocemus, magna & multa eaque grauiſſima ab Eccleſia & Patribus memorari inueniemus.

5. Honora ſanè integritatem carnis, vitæ ſanctitatem: mirare fœcunditatem in virgine, prolem venerare diuinam: extolle neſcientem, vel in concipiendo concupiſcentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reuerendã Angelis, deſideratã Gentibus, Patriarchis, Prophetiſque præcognitã, electã ex omnibus, prælatã omnibus. Magnifica gratiæ inuentricem, mediatricem ſalutis, reſtauratricem ſæculorum. Exalta denique exaltatam ſuper choros Angelorum ad cœleſtia Regna. Hæc mihi de illa cantat Eccleſia, & me eadem docuit decantare. Ego verò quod ab illa accepi, ſecurus & teneo, & trado: quod non ſcrupuloſiùs, fateor, admiſerim. Accepi ſanè ab Eccleſia illum diem cum ſumma veneratione colendum, quo aſſumpta de ſæculo nequam, cælis quoque intulit celeberrimorum feſta gaudiorum.

5. Præcurrit Virginis titulos & priuilegia præcipua quę ad iudicium ac ſtateram reducta communis Eccleſiæ pondere feſtiuis digna laudibus cognoſcuntur.

6. Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Eccleſia, & ab Eccleſia indubitanter habere feſtiuum, atque ſanctum: firmiſſimè cum Eccleſia ſentiens, in vtero eam accepiſſe, vt ſancta pro-

6. Inter cæteras Virginis prærogatiuas nõ minoris conſiderationis eſſe eius ſanctum Natalẽ fuſiſſimè probat: primùm quidem authoritate Eccleſiæ quæ illum celebrat: deinde

deinde ab exemplo Ieremię & Ioannis, quos multis probat, in vtero ſanctitatem percepiſſe.

diret. Et de Ieremia ſiquidem lego, quòd priuſquam de ventre exiret ſanctificatus ſit; & de Ioanne Baptiſta non ſecus ſentio, qui ex vtero Dominum in vtero ſenſit.

7. Pro maiori doctrinæ abũdantia ſubdubitanter inquirit de S. Dauide, tametſi nihil ipſe definiat. Quoniam verò ex ipſius confeſſione, ſtabiliturus inferiùs erat Virginis conceptionem in peccato fuiſſe patratam, maximè ad rem conducere videbatur, (ſi fieri poſſet) vnius eiuſdémque Regis exemplo ac teſtimonio probare Reginam quoque in peccato conceptam, & de ventre matris eius protectorem habuiſſe Deum, atque eapropter eius quoque meminit cum Ieremia & Ioanne. Nec quis miretur id de Dauide Bernardum dubitaſſe, cùm Ambroſius lib. 4. de fide c. 4. idipſum de Iacob affirmarit: *Aut negent* (inquit) *Iacob ſanctum fuiſſe, priuſquam naſceretur, qui fratrem ſupplantauit. Negent Ieremiam*, &c. quod ſit probabilius teſtimonio Pauli ad Rom. 9. *cùm enim nondum nati eſſent*, &c. *Iacob dilexi*, &c.

7. Videris & tu, an & de ſancto Dauid idipſum liceat opinari, pro eo quod dicebat Deo: In te confirmatus ſum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus. Item: De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me.

8. Pulchrè probat

8. Et de Ieremia quidem

dem dictum eſt : Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, ſanctificaui te. Quàm pulchrè inter figurationem in vtero & parturitionem ex vtero diuinum diſtinxit oraculum, vt illam tantùm præcognitam, iſtam & ſanctitatis munere præornatam oſtenderet; ne quis Propheta prærogatiuam de ſola præſcientia ſeu prædeſtinatione putauerit æſtimandam.

Ieremiæ vterinam ſanctificationem.

9. *Eſto tamen vt hoc de Ieremia concedamus, quid reſpondebitur de Ioanne Baptiſta, quem Angelus prænuntiauit Spiritu ſancto repletum iri adhuc in vtero matris ſuæ? Prorſus hoc ad prædeſtinationem præſcientiámve referri poſſe non arbitror; verba nempe Angeli (ſicut ipſe prædixit) completa abſque dubio ſunt in tempore ſuo, & quem praloquutus eſt, Spiritu ſancto replēdum, non eſt fas credere non repletum; idque loco & tempore quo prædixit: certiſſimè autem ſanctus ſpiritus quem repleuit ſanctificauit.*

9. Certiùs multo & rectè æſtimat Ioannem quàm Ieremiam gratiam ſanctificantem in vtero accepiſſe. Nullus ſiquidem Patrum de Ioanne id negat, de Ieremia verò abnegant S. Ildephonſus lib. contra eos qui diſputant de perpetua virginitate B. Mariæ, Rupertus in cap. 1. Ieremiæ, & alij. Quare Abulenſis Epiſcopus in c. 13. Iudicū q. 17. aſſerit quæſtionem eſſe neutram.

S. Ildephonſus.

Rupert.

Abulēſis.

10. *Ca*

10. Sub

10. Subdubitat de qualitate ſãctificationis S. Ioannis, an valuerit delere in eo dãnationis reatum, an verò talis fuerit, quòd ea ſanctificatione non obſtante, adhuc remanſerit filius iræ? De quo nihil audet definire, quamuis vehementer propendeat in fauorem Baptiſtæ. Timuit forſan Auguſtino detrahere, qui Epi. 57. ab Bardanum, Ioannem quidem & Ieremiam ſanctificatos fuiſſe in vtero matrũ, *tamen illa ſanctificatio* (ait) *qua efficimur ſinguli membra Dei, & in vnum omnes templum Dei, non eſt niſi renatorum; quod niſi nati homines fieri non poſſunt.* Aut etiam Leoni Magno Serm. 5. de natiu. Domini, Ambroſio in illud Lucæ. *Quod ex te naſcetur ſanctum,* Gregorio, Cyrillo & aliis Patribus aſſeren

10. *Caterùm quatenus aduerſus originale peccatum hæc ipſa ſanctificatio valuerit, ſiue pro iſto, ſiue pro illo Propheta; vel ſiquis alius ſimili præuentus gratia fuerit, non temere dixerim: ſanctificatos tamen non dubitauerim dicere, quos Deus ſanctificauit, & cũ eadẽ ſanctificatione prodiiſſe ex vtero, quam acceperunt in vtero; nec reatum quem in conceptione traxerunt, valuiſſe vllatenus horum Natali iam donatam præpedire, ſeu præripere benedictionem. Attamen quis dicat Spiritu ſancto repletum, manere adhuc filium nihilominus iræ; & ſi mori in vtero contigiſſet, cum hac plenitudine ſpiritus, pœnas luiturum damnationis? Durum eſt; minimè tamẽ auſim hinc quippiam mea ſententia definire. Sed quidquid de hoc ſit, meritò Eccleſia, quæ cæterorum non natiuitatem,*

tem, ſed mortem Sanctorum iudicat & prædicat pretioſam, ſingulari quadam exceptione feſtis præfert gaudiis, veneratúrque illius natalem, de quo nuntiante Angelo ſingulariter, legit: Et multi in natiuitate eius gaudebunt. Cur enim non ſit illius exitus ſanctus ac proinde feſtiuus, ac lætus, qui potuit exultare & in vtero?

11. *Quod itaque vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari tantæ Virgini eſſe negatum; per quam omnis mortalitas emerſit ad vitam. Fuit proculdubio & Mater Domini antè ſācta, quàm nata; nec fallitur omnino ſancta Eccleſia ſanctum reputans ipſum Natiuitatis eius diem, & omni anno cum exultatione vniuerſa terra votiua celebritate ſuſcipiens. Ego puto quòd & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius non ſolùm ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur eſſe donatum. Decuit nimirum Reginam Virginem ſingularis priuilegio*

ſerentibus ſolùm inter natos de fœmina Dominum Ieſum natum innocentē & ſanctum. Conſentit tamen Bernardo Ambroſius in fauorē Ioānis in Apologia Dauid cap. 11. & Beda homil. in illud Lucæ cap. 1. *Fuit in diebus Herodis*. Petrus Chryſologus ſerm. 91. qui eſt 6. in feſto Ioannis.

Ambr.

Beda.

Petrus Chryſologus.

11. Multo maiora gratiæ dona contendit B. Virgini in vtero matris ſuæ conceſſa quàm Ioanni & Ieremiæ, & probat à ſimili ſanctitatem eius natiuitatis.

legio ſanctitatis abſque omni peccato ducere vitam; quæ dum peccati, mortiſque pareret peremptorem, munus vitæ & iuſtitiæ omnibus obtineret; Sanctus igitur ortus, quoniam immenſa prodiens ex vtero ſanctitas Sanctum fecit illum.

12. En ſecundum fundamentum Canonicorum.

12. *Quid adhuc addendum his putamus honoribus? Vt honoretur, inquiunt, & conceptus, qui honorandum præiuit partum; quoniam ſi ille non præceſſiſſet, nec iſte eſſet qui honoratur.*

13. Reſpondet inualidũ eſſe argumentum, Conceptio præceſſit natiuitatem: ergo etiã celebranda eſt feſto peculiari: quippe infinitas penè feſtiuitates celebrare oporteret parentibus, auis, proauis, & cæteris retrò aſcendentibus in linea ſuæ generationis. Non celebrabantur Bernardi tempore feſta SS. Annæ, & Ioachim; nunc verò non ideo celebrantur, quia præceſſerunt, ſed ob eorum eximiam ſanctitatem. Vide recens decretum Gregorij X V. de feſto S. Ioachim ritu duplici

13. *Quid ſi alius propter eandẽ cauſam etiam vtrique parenti eius feſtos honores aſſerat deferendos? Sed, & de auis, & proauis idipſum poſſet, pro ſimili cauſa, quilibet flagitare, & ſic tenderetur in infinitum, & feſtorum non eſſet numerus. Patria eſt, non exilij, frequentia hæc gaudiorum, & numeroſitas feſtiuitatum eius decet, non exules.*

duplici celebrando : expeditum ann. 1622. die 2. Decemb.

14. *Sed profertur ſcriptum ſuperna, vt aiunt, reuelationis. Quaſi & quiuis nõ queat ſcriptum aquè producere, in quo Virgo videatur idipſum mandare & de parentibus ſuis iuxta Domini mandatum, dicentis: Honora patrem tuum, & matrem tuam.*

14. Hoc eſt tertium Canonicorum fundamentum (erat autem reuelatio illa, quam S. Anſelmus refert in Epiſtol. ad Epiſcopos Angliæ.) Reiicit verò illud, quia reuelatio illa nó erat adhuc approbata ab Eccleſia, & non eſt dandus locus, vt quiuis reuelationes inducat abſque illius examine. Anſelm.

15. *Ipſe mihi facilè perſuadeo ſcriptis talibus non moueri, quibus nec ratio ſuppeditare, nec certa inuenitur fauere authoritas. Nam quid conſequentia habet, vt quoniam ſanctum præceſſit natalem conceptus, propterea reputetur & ipſe ſanctus? nunquid quoniam præceſſit eum, fecit & ſanctum? Quid ſi præceſſit vt eſſet, non tamen vt ſanctus eſſet. Vnde etenim illa ipſi ſanctitas,*

15. Haud dubium quin ſcripta, quæ hîc carpit, erant ea quæ D. Anſelmus Lugdunẽſibus reliquerat, tametſi Bernardus certus non eſſet (vt credo) germana illius fuiſſe : hoc enim eſt quod ait, *Quibus nec certa inuenitur fauere authoritas.* Aut forſan id dixit, quia carebant Eccleſiæ authoritate. Certè in ſer. Anſelmi de Conceptione, cu- Anſelm.

 ius

ius initium, *Hodierna die*, reperitur ratio hîc cõfutata, *ſciendum* (ait) *quòd ſicut in Eccleſia natiuitas eius colitur, ſic debet & coli conceptio: Quia niſi cõciperetur, minimè naſceretur.* Doctè tamẽ & acriter à Bernardo cõfutatur. *Nam quid conſequentia habet vt propterea reputetur conceptus ſanctus, quia praceſſit natalem ſanctum*, &c.

16. Refutatis his quæ in fauorem feſti Conceptionis Canononici afferebant, nũc triplici vſus dilemmate contendit, nullo pacto fuiſſe ſanctã Conceptionem Virginis, & quod inde fit conſequens, nequaquam fieri debere de illa feſtum, quod niſi de re ſancta fieri non debet. Argumentum verò tale eſt, ſi conceptio fuit ſancta

tas, quam ſecuturo tranſmitteret? An non potiùs quia praceſſit abſque sãctitate conceptus, oportuit nimirum ſanctificari conceptam, vt ſanctus ſequeretur iam partus? An fortè mutuatus ſit ſanctitatem à poſteriore prior? Potuit ſanè illa, qua in iam concepta facta eſt ſanctificatio, ad ipſum qui ſequebatur tranſire natalem; redire verò retrorſum ad conceptum, qui praceſſerat iam, omnino non potuit.

16. *Vnde ergo Conceptionis ſanctitas? An dicitur sãctificatione praeuenta, quatenus iam ſancta conciperetur: ac per hoc ſanctus fuerit & cõceptus, quemadmodũ ſanctificata iam in vtero dicitur, vt ſanctus conſequeretur & ortus? Sed non valuit ſancta antè eſſe quàm eſſe, ſi quidem non erat antequam conciperetur.*

17. *An*

ſancta,neceſſum eſt,vt virgo Deipara fuerit ſanctificata,vel ante Conceptionē ſuam,vel in ipſa Conceptione, aliàs ſolùm fuiſſet ſanctificata poſt Conceptionem in vtero iam exiſtens, & tunc ſanctificatio poſterior, non poſſet retrocedere vt ſanctificaret Conceptionem præteritam. Primum dilemmatis membrum, ſcilicet, *non ante Conceptionem*, reiicit, inquiens, *ſed non valuit ſancta antè eſſe,quàm eſſe*, &c.

17. *An fortè inter maritales amplexus ſanctitas ſe ipſi Conceptioni immiſcuit, vt ſimul & ſanctificata fuerit, & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut ſanctitas abſque Spiritu ſanctificante,aut ſancto Spiritu ſocietas cum peccato fuit; aut certè peccatum quomodo non fuit,vbi libido non defuit? niſi fortè quis dicat, de Spiritu ſancto eam,& non de viro, conceptam fuiſſe; ſed id hactenus inauditum. Lego denique Spiritum ſanctum in eam,non cum ea veniſſe, dicente Angelo: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & ſi licet loqui*

17. Secundū membrum dilemmatis, nimirum, *non fuit ſanctificata in ipſa Conceptione*, explodit tripliciter, quia de eo erat præcipua quæſtio. Primò, quoniam in ipſa Cōceptione inter amplexus maritales non erat Spiritus ſanctificans. Secundò, quia ibi potiùs erat peccatum; cum quo Spiritus ſanctus non habet Societatem: Fuiſſe autem peccatum ibi, cōuincit libido quæ eſt quaſi aquęductus peccati originalis. Tertiò, quia ſi in Conceptione Virginis non eſſet peccatum, ſed potiùs Spi

Spiritus ſanctus ſanctificans ipſam, neceſſariò fieret, quòd eſſet de Spiritu ſancto cõcepta, & non de viro, quod tamẽ inauditum & falſum eſt,& contra ſingularitatem prærogatiuæ ipſius Deiparæ: in quo non honoraremus Virginem,ſed detraheremus eius honori.

18. Excluſis duobus dilemmatis membris elicit tertium, videlicet, *virginem noſtram ſanctificatam fuiſſe poſt conceptionẽ ſuam*: ac proinde non fuiſſe ſanctam eius conceptionem.

19. Infert ex toto præcedẽti diſcurſu ſolum

loqui quod Eccleſia ſentit, & verum ipſa ſentit, dico glorioſam de Spiritu ſancto concepiſſe, non tamen,& conceptam fuiſſe; dico peperiſſe Virginem, non tamen & partam à Virgine. Alioquin vbi erit prærogatiua Matris Domini, qua ſingulariter creditur exultare, & munere prolis, & integritate carnis, ſi tantumdem dederis & Matri ipſius? Non eſt hoc virginem honorare, ſed honori detrahere.

18. *Si igitur ante conceptũ ſui ſanctificari minimè potuit, quoniã non erat, ſed nec in ipſo quidẽ conceptu propter peccatum quod inerat: reſtat vt poſt conceptũ in vtero iam exiſtens, ſanctificationem accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato, ſanctam fecerit natiuitatem, non tamen & conceptionem.*

19. *Quamobrem & ſi quibus, vel paucis filiorum*

rum hominum datum eſt cum ſanctitate naſci, non tamen & concipi, vt vni ſanè ſeruaretur ſancti prærogatiua cõceptus, qui omnes ſanctificaret; ſolúſque abſque peccato veniens purgationem faceret peccatorũ. Solus itaque Dominus Ieſus de Spiritu ſancto conceptus, quia ſolus & ante conceptum ſanctus. Quo excepto de cætero vniuerſos reſpicit ex Adam natos, quod vnus humiliter de ſemetipſo, ac veraciter confitetur: In iniquitatibus, inquiens, conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.

lum Chriſtum conceceptum fuiſſe abſque peccato, tametſi nonnulli ante natiuitatem ſancti effecti ſint: & illud Pſalmi 50. *In iniquitatibus cõceptus ſum,* etiam Virginem comprehendere.

20. *Cùm hæc ita ſe habeant, quænam erit feſtiua ratio conceptionis? Quo pacto, inquam, aut ſanctus aſſeretur conceptus, qui de Spiritu ſancto non eſt, ne dicam de peccato eſt, aut feſtus habebitur, qui minimè ſanctus eſt? Libenter Glorioſa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falſa induci videtur ſanctitas. Alioquin nulla ei ratione placebit contra Eccleſiæ ritum præſumpta nouitas, mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia leuitatis.*

20. Recolligit ſparſim dicta, & redit ad propoſitum, videlicet cõſtare ex dictis, conceptum Virginis fuiſſe in peccato, ac ſine Spiritu ſancto, proinde non debere celebrari eius feſtum.

21. *Nam ſi ſic videbatur,*

21. Dixerat ſententiam

tiam ſuam, quam tamen non diceret, nec teneret ſi Canonici Lugdunenſes Eccleſię Romanæ iudicium ſuper ea re conquiſiiſſent,& obtinuiſſent.

batur, conſulenda erat priùs Apoſtolicæ ſedis authoritas, & non ita præcipitanter, atque inconſultè paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum.

22. Non ſoli, nec primi, celebrarunt in Gallia Lugdunenſes Conceptionis feſtiuitatem.

22. Et antè quidem apud aliquos errorem compereram, ſed diſſimulabam, parcens deuotioni, quæ de ſimplici corde, & amore Virginis veniebat. Verùm apud ſapientes, atque in famoſa nobilique Eccleſia, & cuius ſpecialiter filius ſum, ſuperſtitione deprehenſa, neſcio an ſine graui offenſa etiam veſtri omnium diſſimulare potuerim.

23. Remittit iudicio Eccleſiæ & cuiuſuis ſaniùs ſapientis ſententiam ſuam, verè filium Eccleſiæ, & humilem ſe demonſtrans.

23. Quæ autem dixi, abſque præiudicio ſanè dicta ſint ſaniùs ſapientis. Romanæ præſertim Eccleſiæ authoritati atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ eiuſmodi ſunt, vniuerſa reſeruo: ipſius ſi quid aliter ſapio paratus iudicio emendare.

§. 4. *Ha*

§.4. *Haberi ex Epiſtola, de Conceptione carnali duntaxat fuiſſe Bernardum loquutum.*

HÆc vtcumque libuit præmittere, quia ex eo tota Epiſtolæ intelligentia pendet. Nūc verò promiſſis ſto, & oſtendere eſt animus nomine Conceptionis ſolam carnalem intellexiſſe Bernardum; ſed hoc vnde? nimirum ex verbis ipſius, quibus tam dilucidè ſe exponit, vt alterius expoſitione non egeat. Sanè ſi liceret Bernardum ipſum accedere, & quærere ab eo quid nomine Conceptionis intelligeret, & quo temporis puncto conceptionem conſtitueret, ipſe autem reſponderet, ſolam carnalem intelligere, & conceptionem ipſam inter maritales amplexus reperiri, nemo quantumuis curioſus indagator, vlteriùs de mente Bernardi dubitaret. Nam dum ille diceret, *ipſam Conceptionem* inibi exiſtere, cū nullo vſquā nomine formaliùs exprimi poſſit vera Cōceptio, quàm voce *ipſius Conceptionis*, oporteret omnimodis concedere propriiſſimè fuiſſe loquutū. Id igitur in hac Epiſtola fecit Bernardus. Sed quo loco? A numero 1. vſque ad 11. intentus fuit probando multa & magna eſſe Deiparæ Virginis priuilegia, & inter ea nō minimū habere locum natiuitatem eius ſanctā: de Cōceptione autem, ſeu Conceptu (quibus verbis indifferēter pro eodē vtitur) nec verbū vnū: quare minimè inde mens Bernardi hauriēda eſt. Rurſus à n. 12. vſque ad 15. meminit quidem conceptus, nihil tamen dicit vnde habere poſſimus, quid eo nomine intelligat, ſolùm

lùm ſiquidem ait conceptum præceſſiſſe natalem,hoc autem verum omnino eſt ſiue conceptus animationem ſignificet, ſiue actum carnalem copulæ matrimonij. Deducendum tamen eſt ab eo argumento trimembri quod à n.16. & deinceps vſque ad 20. conficit; in eo namque ad eas reducitur anguſtias, vt manifeſtet, quid nomine conceptionis intelligat, & quo temporis puncto conceptio perficiatur: nam aſſumit illam tripartitam propoſitionem, aut fuit ſanctificata Deipara ante conceptionem,vel in ipſa conceptione, vel poſt conceptionem in vtero iam exiſtens. Cùm ergo probare debeat in 2.dilemmatis parte nequaquam in ipſa conceptione ſanctitatem accepiſſe,cogitur exponere,quid & quando ipſa conceptio fit; cùm verò accedit ad explicandum & probandum, nequaquam in ipſa conceptione fuiſſe ſanctificatam Beatiſſimam Virginem, manifeſtè ponit conceptionem inter maritales amplexus ſuorum parentum, nam ait, *An fortè inter amplexus maritales ſanctitas ſe ipſi conceptioni immiſcuit,vt ſimul & ſanctificata fuerit, & concepta?* Vide, obſecro, & diligẽter attende de qua conceptione loquatur: formaliùs ſiquidem de Conceptione loqui non potuit, cùm vtatur articulo illo *ipſa*,nam ſi ipſa conceptio illa eſt, quidquid aliud ab ea aſſignabitur, non erit conceptio, cùm ipſa conceptio non ſit.Nunc igitur vt virgo eſſet ſancta in ipſa ſui conceptione,neceſſum eſſet,ait Bernardus,vt ſanctitas inter maritales amplexus ſeſe immiſceret ipſi conceptioni; ſic enim fieret vt ſimul

&

& ſanctificata eſſet,& concepta.Hinc verò quis non videat euidenter inferri, ipſam veram & formalem conceptionem inter amplexus maritales ex mente Bernardi reperiri; aliàs poſſet ſimul concipi & ſanctificari,ſine eo quòd ſanctitas ſeſe immiſceret maritalibus amplexibus, quod ipſe abnegat. Neſcio quo loquendi modo ſanctus ſe potuerit meliùs explicare.

Vt videas autem adhuc Bernardum perſiſtere in eadem conceptionis acceptione,expendam tibi ad vnguem tres rationes,quibus S. Doctor comprobat eandem concluſionem, nimirum quòd Virgo ſanctiſſima nõ fuit ſanctificata in ipſa ſui conceptione:probant enim doctè & efficaciter intentum de conceptione carnali,cùm tamen ſi ad aliam conceptionis ſignificationem contorqueantur, futiles omnino ſint, & tanto doctore indignæ.Quis verò non videat Bernardum vbique neruosè argumentari, & nihil eo indignum illi tribuendum eſſe? Alterum ex argumentis à priori,vt dicitur, procedit hoc pacto. Fuit in parentum libidine concepta: ergo in peccato originali.Verba eius ſunt n.17. *Aut certè peccatum quomodo non fuit vbi libido non defuit?* Argumentum ſanè à priori ſeu per cauſam eſt,nam vt Auguſtinus, Ildephonſus, Anſelmus & Thomas docent, originalis peccati macula ex libidine procedit. Auguſtinum ex lib.83. quæſtionum q. 56. refert & amplectitur Ildephonſus ſermone 1. de Purificatione B. Mariæ in hæc verba quæ ſunt vtriuſque. *Deus humanæ naturæ fœcunditatis dona contulit,libidinis verò malum* Ildephonſus.

lum creatura Dei non eſt, ſed pœna peccati: proinde de munditia nuptiarum nullus homo naſcitur, quia interueniente ſordida libidine iniquitas ſeminatur? & poſt pauca: *Hæc paucis dicta ſunt, vt nouerimus maculam originalis peccati non in legitimis nuptiis, ſed in voluntate & delectatione conſtare libidinis.* Ex hac ſanè doctrina bene ſibi cognita argumentatur Bernardus: vbi adeſt libido, quantuncunque mundæ ſint nuptiæ, peccatum originale adeſſe neceſſe eſt, quandoquidem originalis peccati macula ex Auguſtino, quem Bernardus perpetuum habuit ducem, in voluptate & delectatione conſtat libidinis, in Conceptione autem Virginis cum ex viri concubitu Adami filio proceſſerit, libido non defuit; *quomodo ergo peccatum nō fuit vbi libido non defuit?* Hoc ſanè argumentum, ſi ſermo ſit de carnali conceptione, ſatis conuincit intentum, nam peccatum quod in ſemine reperitur, nihil aliud eſt, quàm debitum peccati, ſeu obligatio incurrendi peccatum, cùm inibi fuerit anima rationalis: & de hoc rectè arguitur ineſſe peccatum, vbi libido non defuit, quandoquidem concipi in peccato ſeu debito peccati, nihil aliud eſt, quàm concipi cum libidine; *macula enim originalis peccati in voluptate & delectatione conſtat libidinis.* Si verò hoc argumentum procederet de Conceptione, prout animationem ſignificat, inefficax prorſus eſſet; quid enim prohibet, vt cum gratia ſanctificante poſtea creetur anima, & ſic vniatur corpori quod ante multos dies cum libidine fuerat ſeminatum? imò verò & hîc etiam ſatis ſe

explicuit

explicuit Bernardus, vtés illo aduerbio loci *vbi*; ſi enim *vbi libido non defuit*, ibi conceptio fuit maculata peccato, conſtat de carnali loqui, nam libido non reperitur in animatione, ſed in amplexibus maritalibus.

Secundum Bernardi argumentum, quo probat ipſam Virginis Conceptionem in peccato fuiſſe, eſt etiam per cauſam, videlicet: In Conceptione Virginis nō fuit Spiritus ſanctificans; ergo eius Conceptio non fuit ſancta. *Quomodo namque ſanctitas abſque Spiritu ſanctificante?* Si de animatione ſermo ſit, futile eſt, nam ſupponit gratis, quod omnino probandum erat: qui enim dicit illam fuiſſe ſanctam in animatione, aſſerit etiam ibi adfuiſſe ſanctificantem Spiritū; ſi verò de carnali Conceptione ſermo ſit, efficax omnino eſt, nam ſenſus eſt: In Cōceptione carnali certiſſimum eſt non reperiri Spiritum ſanctificantem, quandoquidem non eſt illic anima rationalis, vnicum ſanctificationis ſubiectum; ergo in ea Conceptione non fuit ſanctitas: imò verò fuit peccatum, (id eſt, debitum peccati) cum quo Spiritus ſanctus non compatitur; idcirco cùm dixiſſet, *Quomodo namque ſanctitas abſque Spiritu ſanctificante?* addit, *aut ſancto Spiritui ſocietas cum peccato fuit?* Peccatum autem ibi fuit vbi libido. *Aut certè peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit?*

Tertium quo Bernardus vtitur, eſt argumentum, quod vocant ab inconuenienti, ſi namquè B. Virgo in ipſa Conceptione fuiſſet ſanctificata, inde fieret, quòd de Spiritu ſancto, & non de

de viro concepta fuiſſet. *Niſi fortè quis dicat, de Spiritu ſancto eam, & non de viro conceptam fuiſſe, ſed id hactenus inauditum.* Id ſanè ruſticis illis ſuaderi poſſet, qui ex amplexu, ſeu occurſu Ioachim & Annæ ad Auream portam credunt cõceptam Virginem, & ingrauidatam Annam: doctis autem viris minimè. *Et, ſi licet loqui quod Eccleſia ſentit, (& verum ipſa ſentit) dico Glorioſam de Spiritu ſancto concepiſſe, non tamen & conceptam fuiſſe*, &c. Idem iudicium de hoc argumento ferendum eſt, atque de præcedentibus; quod ſi de carnali Conceptione procedit, acre eſt, & ſubtile, ſiquidem ſi in Conceptione carnali peccatum, ſeu debitum peccati, non fuit, rectè infertur, non fuiſſe conceptam ex ſemine viri; nihil enim aliud eſt concipi cum peccati debito, quàm concipi ex ſemine filij Adæ, qui ſibi, ſuíſque poſteris iuſtitiam ac ſanctitatem perdidit; & peccatum in Conceptione carnali nihil eſt aliud, quàm cum ſemine viri, Adæ filij, induci debitum, vt cùm fœtus perficiatur, careat gratia & iuſtitia originali; debitum verò ipſum, hoc ſolo pacto inducitur: non enim eſt qualitas quædam ſemini ſuperaddita, quam nonnulli morbidam vocarunt, nec ab ipſo ſemine diſtinguitur, vt eſt ſemen filij Adæ, qui præuaticatus eſt. Quare pugnantia ſimul poneret, qui diceret, Virginem conceptam fuiſſe ex viri ſemine, & tamen ſine peccato, hoc eſt, debito peccati. Cæterùm, ſi nomine Conceptionis animationem velimus intelligere, argumentum omnino futile eſt; erit enim ſenſus: In animatione

tione ſua Virgo Beata fuit ſanctitate præuenta; ergo non fuit concepta ex ſemine viri, ſed opere Spiritus ſancti; Quid enim tollit, vt quæ opere viri concepta fuit, & cum debito peccati, poſt 60. vel 80. dies à viri opere, cum gratia animaretur? Ne igitur tam futilem Dialecticum dicamus Bernardum fuiſſe, fateri cogimur, minimè nomine Conceptionis intellexiſſe animationem, ſed ſolùm receptionem ſeminis paterni in maternum vas, qua nimirum corpus Beatæ Virginis coagulatum eſt.

§. 5. *Conſtare teſtimoniis variis ſacrarum litterarum Conceptionem inter amplexus coniugum reperiri: & hoc ſolum in multorum proprietate idiomatum ſignificare.*

PRædictis addendum eſt, nequiuiſſe Bernardum nomine Conceptionis aliam, quàm carnalem intelligere, cùm in ſacris litteris, & in omni dialecto, & apud ſacros Doctores nullam aliam ſignificationem habuerit. Diſcutiamus ſigillatim ſingula. Cùm inter vniuerſos Eccleſiæ Doctores eo Bernardum excellere nemo neſciat, quo frequentiùs S. Scripturæ phraſibus vtitur, ita vt velut centonibus quibuſdã ipſius, ſua ſcripta componat, tam aptè omnia accommodans, quòd nata potius inibi, quàm accommodata videantur; inde eſt vt eo ſenſu verbis ipſius vtatur, quo à ſacræ Scripturæ authore Deo accepta ſunt. Hinc verò fit vt nulla potior

intelli

intelligendi Bernardum regula queat excogitari, quàm intelligere ipſum eo ſenſu, quo ſacra Scriptura vocibus vtitur. Quare ſi ſemel monſtrauerimus, nomen Conceptionis in ſacris litteris carnalem duntaxat generantium actum ſignificare, certum erit D. Bernardum eadem ſignificatione Conceptionis vocem accepiſſe. Afferam eius rei nonnulla exempla.

1. Cùm ſacra Geneſeos hiſtoria in c.38.v.19. narrationẽ Iudæ Iacobi filij exordiretur, ſcriberétque reperiſſe Thamarem nurum ſuam meretricio habitu in biuio conſiſtentẽ, ad eámque acceſſiſſe, ſubiungit, *Ad vnum igitur coitũ mulier concepit; & ſurgens abiit, depoſitóque habitu quem ſumpſerat, induta eſt viduitatis veſtibus.* Notatione ſanè dignum erat, quòd ad vnum coitum Thamar duos filios conceperat, Phares, & Zaram; ſed animaduerſione dignius eſt, quòd priuſquã à terra leuaretur concepit duos. *Mulier concepit, & ſurgens abiit.* Prius fuit concipere, *Ad vnũ coitum mulier concepit*, quàm ſurgere de terra, vbi iacebat, *& ſurgens abiit.* Non igitur tunc mulier concipit, quando fœtus animatur, ſed quando cũ mare coit, ſuſcipítque generationis principium: neque tunc fœtus concipitur, niſi cùm parentes eius gratia coeunt.

2. Non minus elegans eſt teſtimonium ex cap.30. eiuſdem Geneſ. petitum, vbi de fœtatione varia ouium Iacob & Laban ſermo fit. Conuentum erat inter eos, vt quæcumque orirentur variæ ex ouibus vnicoloribus, cederent Iacob, quæ verò vnicolores ac ſimiles parentibus,

tibus, Laban. *Tollens verò Iacob virgas populeas, virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas, detractiſque corticibus, in iis quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit, illa verò quæ integra fuerant, viridia permanſerunt, atque in hunc modum color effectus eſt varius. Poſuitque eas in canalibus vbi effundebatur aqua, vt cùm veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas.* Sed quid inde? nimirum vt coëuntes oues cum arietibus, ad aſpectum varij coloris virgarum, varios & maculoſos conciperent fœtus. Quo autem tempore concepturæ erant? non alio, inquit, quàm in conſpectu virgarum. *Vt cùm veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in conſpectu earum conciperent.* Non alio ſanè tempore, quàm coitus. Iterum inferiùs inquit. *Igitur quando primo tempore aſcendebant oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum, ante oculos arietum, & ouium, vt in earum contemplatione conciperent. Quando verò ſerotina admiſſura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas.* Etenim diuidebat Iacob cunctas oues in duas turmas, quarum quædam primo tempore concipiebant, & his obiiciebat virgas varias: quædam verò tardiùs, & iſtis non obiiciebat virgas, ne varios gignerent fœtus, ſed vnicolores, & Labano fœcundarentur. De illis ait textus ſacer, *vt in earum contemplatione conciperent*; de his autem, *Quando vero ſerotina admiſſura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas.* Affirmat igitur conceptum tempore coitus perfici, & matres in contemplatione virgarum.

quæ coram coëuntibus poſitæ erant, conce-piſſe. Adhuc iterum cap. 31. ſequenti, Iacob vxores ſuas alloquens, id ipſum faſſus refertur. *Poſtquam enim conceptus ouium tempus aduenerat*, aiebat ille. Quod tempus erat illud, quo conceptus perficiendus erat? non aliud, quàm coitionis: ſubdit enim, tunc *leuaui oculos meos, & vidi aſcendentes mares ſuper fœminas*, &c. Tunc ſanè conceptus ouium tempus aduenerat.

3. Addamus illud quod de Bethſabee 2. Regum refertur, nimirum cùm nocte quadam cum Dauid dormiiſſet, ac ſe iuxta ritum legis purificaſſet, ſeu ſanctificaſſet (Leuit. 15. *Mulier cum qua coierit, lauabitur aqua, & immunda erit vſque ad veſperum.* citat hunc locum Biblia Sixti V. ad marginem. 2. Reg. 11.) redit ilicò in domum ſuam; ſed quo pacto? *Concepto fœtu.* Audiamus ſacrum textum. *Cùm ingreſſa eſſet ad illum, dormiuit cum ea; ſtatimque ſanctificata eſt ab immunditia ſua*, (hoc eſt, lauauit ſe) *& reuerſa eſt in domum ſuam, concepto fœtu.* Quantum, quæſo, interceſſit tempus, inter coitionem, & conceptum? Nullum ſanè; nam cùm dixiſſet, *dormiuit cum ea*, addit *ſtatim*; quaſi diceret, nulla interpoſita mora *abiit in domum ſuam*, verùm *concepto fœtu*; ne quis velit, conceptionem poſt multos dies à dormitione cum Dauid tranſactos, in domo Bethſabee fuiſſe perfectam. His igitur locis ſatis ſupérque probatur Conceptionis vocem in

diuinis

diuinis litteris carnalem propriè ſignificare; & tamen nullus reperitur, quo animatio fœtus conceptio nominaretur. Fateor me diu quæſiiſſe, eóque in opere tempus non paruum expendiſſe, reperiiſſe verò nullum. Cùm igitur eo ſenſu D. Bernardus vocibus vſus ſit, quibus Scriptura ſacra illis vtitur, neceſſum eſt fateamur, Bernardum Conceptionis voce carnalem actum parentum Virginis intellexiſſe, non verò, quæ multos poſt dies fieri ſolet fœtus animationem.

Vt tandem mirari deſinant quæ ſcribimus, Lectores mei, illud inprimis præ oculis habeant, in nullo vnquam idiomate Conceptionem præter id quod aſſerimus ſignificaſſe. Hebræum quidem duo habet verba ad Conceptionem ſignificandam, & vtrumque carnalem actum ſignificat. Alterum eſt הרה *Harah*, quod vulgatus noſter ſemper vertit *concipere*, propriè verò ſignificat *in vtero accipere*, quod fit in coitu. Geneſ 16. verſ. 4. vbi Interpres Latinus habet, *Qui ingreſſus eſt ad eam; at illa concepiſſe ſe videns*, &c. Hebræus habet verbum *Harah*, quod Septuaginta reddunt, *& vidit, quod in ventre accepit*. Similiter Geneſ. 38. de Thamar, Hebræus textus vtitur eodem verbo *Harah*, quod Latinus reddit, *ad vnum coitum mulier concepit*, &c. & Septuaginta proprietatem vocis exprimentes dixerunt, *Et ingreſſus eſt ad eam, & in ventre accepit ex eo.* Et idem reperitur Exod. 11. v. 11. vbi legimus,

qua concepit, & peperit filium, ſcilicet Moyſem, Hebręus vtitur verbo *Harah*; quod Septuaginta reddunt, *& in ventre accepit*. Alterum verbum concipiendi quo Hebræus vtitur eſt יחם *iaham*, quod aliqui reddunt *calefieri*, vulgatus autem *concipere*, reperitur Gen. 30. & 31. vbi Septuaginta reddunt, *Quando concipiebant oues, in vtero accipientes*. Author Dictionarij Hebraici, *Arca Noe* nuncupati, vult idem ſignificare quòd *ardore libidinis incenſum eſſe*. Additque, *eſt verbum obſcœnum ardorem coitus exprimens*; *quod notes velim Latini carent correſpondente verbo*. Et tamen ipſe vertit pro *Iaham*, *concipere*. Pagninus in ſuo Dictionario ſcribit idem eſſe, quod *calefacere*, *concipere*, *ſeu coire*: Et Munſterus idem quod *calefacere ſimul, & concipere*. Conſule eoſdem Doctores etiam de verbo *Harah*, ipſi enim facem ad veritatem indagandam mihi prætulerunt.

Pagninus. Munſterus.

Quod ad Syrum ſpectat idioma, pro *concupiſcere* habet *Bten*; & Andreas Maſius in Syrorum peculio, tomo 1. Apparatus Bibliæ Regiæ, docens *Bten*, idem ſignificare, quod concipere, ſubdit, *à ventre factum verbum*; vnde *Batno* conceptio, qua mulier fit grauida, & fœtum concipit; & ipſa etiam mulier fœta ſiue prægnans *Batnto*. Idem aſſerit Fabricius Boderianus, eodem verbo, deriuatíque ab *Abtin*, quod eſt grauidam reddere. Habent Syri Conceptionis feſtum ad diem nonum Decembris, vbi eodem vtuntur verbo, quod à ventre dictum, idem eſt quod in ventre accipere. Verba

Andr. Maſius. Fabric. Boderianus.

Kalen

Kalendarij Syri ſunt, *Batnoh Ihano Zadicto Bmortan Ioldat Alebo Tet Bcouun Cadmoio.* id eſt, *Conceptio Annæ iuſta, in Domina noſtra Genitrice Dei, die 9. Decembris.* Græci vtuntur verbo συλλαμβάνω, Gen. 16. 31. & 38. Exod. 11. Iſai. 26. & alibi ſæpè. Latinè reddit, *in ventre accipere,* vt iam diximus. Budæus cum aliis Græco-Latini Dictionarij auctoribus, & Ioannes Criſpinus in ſuo aſſerunt, idem eſſe quod *ſimul capio,* eo quòd in Conceptione ſimul vterque parens concurrat. Eo vſus fuit Ariſtoteles lib. de Generatione animalium, cùm dixit *συλλαμβάνουσιν μὲν οὖν αἱ νέαι θᾶττον.* quod Trapezuntius reddit, *concipiunt quidem iuniores celeriùs.* Manifeſtè autem loquitur de celeritate in recipiendo ſemen in matrice, ita vt fœtus poſtea efformaretur, in eo enim maior celeritas eſt iuniorum, non in efformatione, & confotione in ventre; nam in hoc omnes mulieres ſunt æquales, dum nouem menſes fouent fœtum in vtero, ſiue iuuenes ſint, ſiue ſenes.

Budæus. Criſpinus. Ariſtot. Trapezuntius.

Denique nil minus in Latino reperimus idiomate, *concipere,* ſiquidem dictum eſt, quaſi *ſimul capere,* eo quòd mas, & fœmina ſimul in conceptione coëant. Et ita docuit Ambroſius Calepinus verbo *concipio,* qui ſubdit, *vnde concipere mulieres dicuntur, cùm genitale ſemen apprehendunt ad fœtum faciendum.* Quo vno verbo illis reſponſum dato, qui dixerint, impoſitum quidem fuiſſe Conceptionis nomen ab actu carnali, aliud tamen ſignificare: quandoquidem non ſolùm, inquit, Conceptionem, quaſi à

Calepinus.

con-captione dictam eſſe, ſed etiam addit, coitum ſignificare, *Concipere mulieres dicuntur, cùm genitale ſemen apprehendunt ad fœtum faciendum.* Id quod in cæteris idiomatis videri poteſt, vbi non agitur de nominis Etymologia, ſed de re ſignificata, vt quando pro verbo *Iaham* ardorem coitus ſignificante, perpetuò Latinus interpres reddit *concipere.* Certè ſi concipere aliud ſignificaret, non redderetur pro verbo coitus ardorem exprimente, ſed aliud verbum reddendum eſſet, aut circumloquio aliquo vti oporteret, quo pro coitu non redderetur actio, quæ multos poſt dies à coitu accidit.

Iam verò ex dictis luce clariùs infertur Bernardum, conceptionem nec ſumpſiſſe, nec accipere potuiſſe in alia ſignificatione ab actu carnali, quandoquidem tam in ſacris litteris, quàm in præcipuis totius vniuerſi idiomatis nihil aliud ſignificaſſe certum eſt.

§. 6. *Inſigni D. Anſelmi doctrina Bernardi mentem illuſtrari.*

Cantarienſis. Anſelm.

ADhuc ſubiungere placet magni illius Theologi, æuo Bernardi celebris, Cantarienſis, Antiſtitis Anſelmi, doctrinam ex libro ipſius *de Conceptu Virginali, & peccato originali* mutuatam, cap. 7. Oportuit ſiquidem Bernardum eo ſenſu loquutum fuiſſe, quo Doctores præcipui ſui temporis; non enim aliis verbis, aut alia lingua loquebatur, quàm illi, quare

quare ſi teſtimonio grauiſſimi Doctoris ſui temporis (nempe S. Anſelmi, qui vigeſimo Bernardi anno deceſſit è vita) ſemel monſtrauerimus, nomine Conceptionis ſolam carnalem eo tempore intellectam, & hoc non obſtante, vſitato loquendi modo dici conſueuiſſe homines in Conceptione ſua concipi in peccato, peccatum verò de ſolo debito dictum fuiſſe; nihil profectò deſiderandum iam erit, vt credamus eodem prorſus ſenſu intelligendum eſſe Bernardũ, vtpote qui lingua & ſenſu Doctorum ſui temporis loquutus fuerit. Sanè Anſelmus multus eſt hac in re in lib. prædicto, vbi c. 7. ex profeſſo contendit explicare, quomodo verum ſit, *quòd ſemen hominis dicatur immundum, & concipi in peccatis, quamuis in eo non ſit peccatum.* Hic enim eſt capitis titulus. Vbi in ipſo titulo hærere neceſſe eſt, & notare vim verbi illius *dicatur*, ex eo enim fit euidens, communi loquendi modo illius temporis dici ſolitum fuiſſe, ſemen hominis immundum, imò verò & concipi in peccatis, cùm tamen certum ſit in eo non eſſe peccatum. Si enim non diceretur à doctis viris, aut vulgaris eſſet loquendi modus, ſed loquutio nouiter à ſe adinuenta, nequaquam ſeriò detineretur in eius expoſitione, nec aſſereret, ſic dici; *quòd ſemen hominis dicatur immundum, & concipi in peccatis.* Propoſuit ſanè eiuſmodi dubitationem, tum propter Iob, qui ſemen hominis vocauit immundum, *Quis poteſt facere* (inquiens cap. 14.) *mundum de immundo conceptum ſemine?* tum etiam propter Dauid, qui

 Pſal. 50.

Pſalm. 50. dixit, *In iniquitatibus conceptus ſum*; de his enim agit in contextu capituli: Sed quo pacto? Si hic loquendi modus verus eſſet, *videtur itaque ſequi* (ait ille) *quòd aut infans ſtatim ab ipſa conceptione animam habet rationalem; aut in eo non eſt originale peccatum mox, vt conceptus eſt.* Quaſi dixerit, ſi ſemen verè dicitur immundum, & concipi in peccatis, alterum è duobus neceſſariò ſequi videtur, nimirum, aut quòd infans ſtatim ab ipſa Conceptione accipit animam rationalem, nam ſine ea peccatū eſſe non valet; aut quòd in infante non eſt originale peccatum mox vt conceptus eſt, ſed poſtea quando animam accipit rationalem. Primum horum falſum, & abſque fundamento eſt; quare? *Quòd autem mox ab ipſa Conceptione* (ait Anſelmus) *rationalem animam habeat, nullus humanus ſuſcipit* * *ſenſus.* Quaſi dicat, voluntariè dicitur, & præter omnem experientiam. Imò verò magnum inde inconueniens ſequeretur, *Sequitur enim, vt quoties ſuſceptum ſemen humanum, etiam ab ipſo momento ſuſceptionis perit, antequam perueniat ad humanam figuram, toties damnetur in illo anima humana.* Quod quis vel amens dicat. *Hæc igitur pars* (dilemmatis) *relinquenda eſt.* Siſte lector quæſo, & conſidera manifeſtum noſtræ doctrinæ teſtimonium. Anſelmus nequaquam vult concedere, vt infans *ſtatim ab ipſa conceptione*, anima donetur humana, ſed multo pòſt, nimirum poſtquam ſemen ad humanam figuram peruenerit; non igitur conceptio eſt ipſa animatio, ſed ſeminis receptio;

Anſelm.

* al *ſuſpicit.*

nam

nam vt probet, quòd non habet animam rationalem ſtatim ab ipſa conceptione, aſſumit quod ſi ita eſſet, neceſſariò fieret, vt ab ipſo momento ſuſceptionis ſeminis haberet illam, & quoties ſemen ab ipſo ſuſceptionis momento periret, toties damnaretur in eo anima. In ipſo ergo momento ſuſceptionis ſeminis ponit Anſelmus Conceptionem. Quo loci, animaduerſione dignum eſt, quòd non ſolùm vocat Anſelmus Conceptionem, actum ſeminalem, ſed etiam *ipſam Conceptionem*, vt denotet hanc eſſe Conceptionem rigorosè & propriè acceptam, & nihil ab ea eſſe Conceptionem. Et hoc non ſemel, ſed ſexies fecit in hoc capite; & quod ſecundo loco dixerat, *ab ipſa Conceptione*, ilicò expoſuit per hunc loquendi modum, *ab ipſo momento ſuſceptionis ſeminis*; & in calce capituli vtrumque ſimul coniunxit, pro eodem accipiens, *quia ab ipſo ſemine & ab ipſa Conceptione incipit homo eſſe.* In quo loquendi modo cum Bernardo conuenit quando dixit, *An fortè inter maritales amplexus ſanctitas ſe ipſi Conceptioni immiſcuit?* Vbi nomini *Conceptioni* addidit relatiuũ *ipſi*, & hanc *inter maritales amplexus* conſtituit, quod Anſelmus dixit, *ab ipſo momento ſuſceptionis ſeminis.*

Hoc ita conſtituto, in quo dubium eſſe non poteſt, accedit Anſelmus ad explicandam alteram ſui dilemmatis partem, nam cùm verum ſit, infantem non accipere animam ſtatim ab ipſa Conceptione, inde videtur inferri, quòd non concipiatur in peccato originali, ſeu *quòd in eo non eſt originale peccatum, mox vt conceptus eſt.*

Quod tamen falſum eſſe conſtat teſtimoniis Iobi, & Dauidis. En verba Anſelmi. *Sed ſi non ſtatim infans ab ipſa Conceptione, habet peccatum; quid dicit Iob Deo: Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Et quomodo verum eſt quod dicit Dauid: In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea?* Obiter notârim, D. Anſelmum intelligere teſtimonium iſtud Regis Vatis, de Conceptione carnali, quandoquidem in alio ſenſu non eſſet ad propoſitum de quo agit; ſi enim crederet quòd Dauid loqueretur de animatione fœtus, quando formale peccatum incurritur, & non de carnali Conceptione, non laboraret in explicando ſenſu, quo dicitur peccatum originale in Conceptione Dauidis interceſſiſſe; vnde & æquiparat quod Iob dicit de ſemine immundo, cum eo quod Dauid inquit de Cōceptione ſua in iniquitatibus. Nec mirum cùm non dicat: In iniquitatibus creatus, vel formatus ſum, ſed *conceptus*, quod vt vides, apud Anſelmum carnalem actum ſonat. Proſequitur verò inquiens: *Quæram igitur, ſi poſſum, quomodo quanuis non ſtatim ab ipſa Conceptione, ſit in infantibus peccatum,* (quid clariùs?) *de immundo tamen ſemine, in iniquitatibus, & peccatis concipi dicantur?* Audi reſponſum tanto Doctore digniſſimum, cui totum noſtrum innititur ædificium. *Sæpe vtique diuina Scriptura aſſerit aliquid eſſe quando non eſt, idcirco, quia certum eſt, futurum eſſe. Sic quippe Deus Adæ, de ligno vetito dicit: In quacumque die comederis ex eo, morte morieris; non quòd eodem die mortuus ſit, ſed quòd illa die neceſſitatem*

tem accepit aliquando moriendi. Eadem phraſi ſolemus dicere de eo qui ad crucem ducitur, diſputantibus de cauſa mortis ipſius, tali die quãdo furatus eſt coram teſtibus mortẽ incurriſſe, mortem ipſam pro debito mortis accipientes. *Simili modo de immundo ſemine, in iniquitatibus, & peccatis concipi poteſt homo, intelligi non quòd in ſemine ſit immunditia peccati, & peccatum, ſiue iniquitas: ſed ab ipſo ſemine, & ipſa conceptione, ex qua incipit homo eſſe, accipit neceſſitatem, vt cùm habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam.* Non igitur in conceptione eſt verum peccatũ, iniquitas aut immunditia, ſed ſolum debitum, & neceſſitas incurrendi poſtea peccatum, aut iniquitatem, cùm infans habuerit animam rationalem. Concludit Anſelmus diſceptationem eius capitis, inquiens: *Patet igitur quomodo & infantibus non ſtatim ab ipſa Conceptione ſit peccatum, & nihilominus vera ſint quæ de diuina Scriptura appoſui: quippe non eſt in illis peccatum, quia non habent voluntatem* (id eſt, animam potentia voluntatis præditam) *ſine qua peccatum non ineſt; & tamen dicitur ineſſe, quoniam in ſemine trahunt peccati, cùm homines iam fuerint, neceſſitatem.*

Habemus igitur Anſelmum non ſolùm Bernardo per omnia conſonantem, verùm etiam eius comprobatum teſtimonio, ſic illo felici æuo ſonare vocem Conceptionis, ſic peccatum in Conceptione intellectum fuiſſe, quòd ſolùm peccati debitum ſignificet, ac proinde ſic omnimodis Bernardum ſenſiſſe.

Sed

Sed & aliud non leue miniſtrat Anſelmi doctrina fundamentum. Quæris quod? Non minus propriè ac rigoroſè Regium Pſaltem loquutum Pſal. 50. de Conceptione ſua in iniquitatibus facta, quàm Bernardum de Conceptione Virginis & peccato, quod in illa fuit; imò verò ſi Bernardum tanto ſermonis rigore, ac proprietate verborum intellexerimus, ac Dauidem, nihil amplius deſiderari poteſt: cùm & Bernardus teſtimonio ipſo Dauidico vſus fuerit, vt intentam Conceptionis maculam probaret. Quis verò neget eo loci Dauid propriſſimè vocibus vſum, quandoquidem vnum ex præcipuis teſtimoniis, quibus Eccleſia peccati originalis veritatem comprobat, hoc eſt? Atqui Dauid nomine Conceptionis, carnalem parentum ſuorum actum; & voce peccati, & iniquitatis, debitum ſolum eius intelligit, teſte Anſelmo; non igitur quærat quis in Bernardo aliam vocum ſignificationē, quàm in Scriptura, & Patribus reperitur: nec aliam conceptionem quàm carnalem; nec aliud in ea peccatum, quàm debitum illius. Quod ergo Bernardus dixit de Virgine, quòd in ipſa eius Conceptione peccatum fuit, *ſed neque in ipſo quidem conceptu propter peccatū quod inerat*, illud eſt quod priùs Dauid dixerat, *In iniquitatibus conceptus ſum*; & clariùs Anſelmus; *De immundo ſemine, & in iniquitatibus & peccatis concipi poteſt homo, intelligi, non quòd in ſemine ſit immunditia peccati, & peccatum, ſiue iniquitas, ſed quia ab ipſo ſemine, & ab ipſa Conceptione, ex qua incipit homo eſſe, acci-*

pit neceſſitatem, vt cùm habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam.

§. 7. *Controuerſiam Bernardi cum Lugdunenſibus non fuiſſe de contractione aut præſeruatione peccati originalis in anima Virginis; ſed de feſto Conceptionis carnalis.*

VNum eſt quod aliqua expoſitione indiget, ne forſan incautum lædat lectorem; nimirum huiuſmodi interpretationem non videri conſonare controuerſiæ, quæ inter Bernardum, & Canonicos Lugdunenſes erat de Conceptione B. Mariæ; ſi enim Bernardus non crediliſſet, & intendiſſet animam B. Virginis aliquando peccatum originale contraxiſſe, ſed ſolùm in carnali Conceptione debitum illius, non tam acriter reprobaret feſtiuitatem illam, quandoquidem erat de re, cui verum non inhæſit peccatum. Quis verò vnquam dixit, aut perſuaſum habuit controuerſiam ſolùm fuiſſe de debito peccati, & non potiùs de peccato ipſo? Et id etiam videtur ſatis apertè colligi ex alia quæ occaſione epiſtolæ Bernardi orta fuit inter Petrū Cellenſem, & Nicolaum, de qua tam multa in ſuperioribus dicta ſunt. Rurſus ſunt multi ex recentioribus, qui contendant S. Bernardum nomine Conceptionis totum tempus intercedens inter actum carnalem, & animationem intellexiſſe, præſertim quia in exemplum, Ieremiæ Conceptionem adducens, de tota figuratione

tione prolis egit, inquiens: *Quàm pulchrè inter figurationem in vtero, & parturitionem ex vtero diuinum diſtinxit oraculum.* Et quoniam non concedit, (inquiunt) ſanctificationem Virgini, niſi poſt exiſtentiam eius in vtero, illis verbis, *Si igitur ante conceptum ſui ſanctificari minimè potuit, quoniam non erat: ſed neque in ipſo quidem conceptu propter peccatum quod inerat; reſtat vt poſt conceptũ in vtero iam exiſtens ſanctificationem accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctam fecerit natiuitatem, non tamen & conceptionem.* Quod verò peccatum excluſit, ſi nullum incurrit?

Hæc ſunt præcipua, quæ offendere lectorem Bernardi, ac meum poſſent, ſed ea adduxi, vt potiùs occaſione eorundem maiorem doctrinæ noſtræ lucem adferrem. Aſſerimus itaque controuerſiam Bernardi cum Lugdunenſibus non fuiſſe de animatione, aut ſanctificatione animæ Virginis, ſed de eius Conceptione, aſſerentibus illis, celebrari potuiſſe, ſeu etiam debere Conceptionem, quia nimirum ſic fuerat diuino cõmendatum oraculo: & quoniam ab ea neceſſariò pendebat Natiuitas, quæ tam celebris in Eccleſia erat; & quia erat B. Virginis feſtum, quam nunquam pro meritis laudare, & venerari poterimus: Bernardo verò contradicente nullatenus celebrari debere, tum quia ab Eccleſia non erat approbata, tum quia non erat ſancta, ſed potiùs cum peccato, non aliter quàm Conceptio Dauid, qui de ſe dixit, *In iniquitatibus conceptus ſum.* De qualitate autẽ peccati quod in Conceptione Virginis interceſſerat, an videlicet

licet eſſet debitum peccati, an verò peccatum formaliter ac reipſa in anima rationali contractum, non fuit inter ipſos controuerſia, nec de ea re quidquam diſſerere erat neceſſarium, nam Bernardo ſufficiebat monſtrare, quòd Cóceptio Virginis fuerat eodem modo peccato reſperſa, ſicut cæteræ, vt probaret non fuiſſe ſanctam; Canonici verò non nitebantur in ſanctitate, ſed in reuelatione; imò verò nunquam aſſeruerunt fuiſſe conceptam cum vera ſanctitate, nec fundamenta quibus nitebantur, & Bernardus de ipſis refert, eò tendunt, ſed tantùm ad probandam Conceptionis celebrationem, ad hæc non ſolùm conuincitur intentum ex propria ſignificatione nominis *Conceptionis*, de qua tam multa diximus, ſed manifeſtiſſimè ex die quo Conceptio celebrabatur, videlicet 8. Decembris quæ cùm per nouem integros menſes antecedat natiuitatem, neceſſariò fuit carnalis. Videbat igitur Bernardus veram (id eſt, carnalem) conceptionem celebrari, quare hanc impugnare in animo fuit, vtpote quæ cum peccato fuerat. Acceperant etiam illi ab Anſelmo carnalem celebrandam eſſe; nam in homilia de eadem feſtiuitate, de qua ſuo loco acturi ſumus, ſcriptum reliquerat, *Erubeſcant omnino qui tantum diem; tantaque Sacramenta, ac myſteria tenebris ignorantiæ inuoluti reſpuunt celebrare, eo quòd viri & mulieris copula in Conceptione Virginis exſtitit.* Et inferiùs: *Si non placet illis celebrare ſolemnia Conceptionis carnalis Dominicæ Matris, placeat illis colere animæ eius ſpiritualem creationem*

ac

ac corporis & animæ copulationem. Hoc poſterius non à Lugdunenſibus quærebat Anſelmus, vtpote qui Conceptionem ab ipſo commendatam colebant: ſed à cæteris, qui Conceptionem, eo quòd carnalis extitit, reſpuebant. Quare eo ipſo quòd Conceptionem celebrabāt, carnalem credendum eſt celebraſſe.

Addamus irrefragibile argumētum, quo probemus quæſtionem Bernardi cum Canonicis ſolùm fuiſſe de carnali Conceptione, & conſequenter Bernardum minimè contendiſſe Virginem incurriſſe in ſua animatione peccatum originale, ſed duntaxat de peccato prout in carnali actu Conceptionis reperitur, & de macula quæ in ſemine immundo eſt, loquutum fuiſſe. Nemo autem aliter iudicabit, ſi ſemel probauerimus, Petrum Cellenſem, qui contra Nicolaum egit poſtea cauſam Bernardi, ita Conceptionem peccato maculatam aſſeruiſſe, quòd in eiſdem diſputationibus non ſemel affirmauerit animam Beatiſſimæ Virginis ſemper fuiſſe ſanctam in toto ſuæ prædeſtinationis diſcurſu: inde verò neceſſariò infertur numquam peccato originali coinquinatam fuiſſe. Sanè in epiſtola 23. lib. 6. quam ſuperius ad verbum tranſcripſimus, cùm præmiſiſſet, Nicolaum alloquens, *Tu contendis honorare Conceptionem, & ego prædeſtinationem; tu roſam, ego etiam ſpinam; tu florem & fructum, ego corticem & folium; tu apparentia, ego latentia; tu farinam, ego furfurem; tu panem, ego cinerem; tu ſolium, ego ſcabellum; tu ſubſtantiam, ego picturam.* quibus verbis aliquod peccatum concedere

cedere in Virgine videbatur; ſubdit: *Si curſum eius fas eſſet diſtinguere, & ſequeſtrare in mente diuina à Collegio cunctorum creatorum, mitterem animam ab initio prædeſtinationis, vt ſequeretur adorando ſancta, & ſuprema veneratione colenda eius veſtigia.* Concedit ergo in omni prædeſtinationis Virginis momento, dignam fuiſſe veneratione, eiúſque ſemper ſancta fuiſſe, ac dignè colenda veſtigia. At ſi Cellenſis aliquo momento decurſus prædeſtinationis ipſius aſſereret fuiſſe commaculatam peccato, nequaquam pro eo tempore adoraret eius veſtigia, quæ ira potiùs Dei digna fuiſſet, & odio. Sed quid eſt (inquies) quòd Virginem vocat ſpinam, corticem, folium, furfurem, cinerem, & ſcabellum? Nónne ſignificare his verbis contendit incurriſſe peccatum? Minimè: nam ſi peccatum apud ipſum ſignificarent, nequaquam honore ipſa proſequeretur; nunc verò hæc etiam ipſe honorare profitetur, *Tu contendis honorare* (inquiens) *Conceptionem? ego & prædeſtinationem; tu roſam? ego etiam ſpinam*, &c. In epiſt. etiam 10. lib. 9. hæc ait, *Credo, dico, aſſero, & iuro Beatiſſimam Virginem noſtram in æterna prædeſtinatione ſingulari priuilegio munitam, nec à ſua Conceptione in aliquo violatam, ſed ſemper manſiſſe & permanſiſſe illibatam.* Quid clarius? ſi tota & æterna prædeſtinatione ſingulari priuilegio munita fuit, vt eſſet ſemper illibata; ſi à ſua Conceptione in nullo violata fuit, & hoc Cellenſis aſſerit, credit, & iurat, & tamen Conceptionis feſtum cum Bernardo refellit;

nequaquam cùm de animatione diſſerit, peccatum verè ac formaliter contraxiſſe Virginem confitetur; ſed debitum ſolum peccati, quod fuit quaſi furfur illius grani ſupercæleſtis, quaſi cortex, & folium illius Aaronicæ virgæ, quaſi pictura illius ſubſtantiæ; quæ omnia minimè ad interiora pertingunt maculanda. Addit etiam poſt pauca in eamdem ſententiam. *Virginem laudas? & ego laudo. Prædicas ſanctam? & ego. Dicis immunem ab omni peccato? & ego. Credo & confiteor plura eſſe apud nos ignota de Virgine ſacroſancta, quàm nota: quia confortata eſt gratia & gloria, & non poſſumus ad eam.*

Habemus igitur ex controuerſia Cellenſis cum Nicolao mentem controuerſiæ Bernardi cum Lugdunenſibus, & ſicut feſtiuitatis Conceptionis impugnatio in Petro, compatitur cum negatione omnis peccati veri in Virginis anima, ſic prorſus in Bernardo ſentiendum eſt; imò verò poſtea non pauca adducemus teſtimonia, quibus ipſe veram maculam originalem remouet ab anima Virginis, ſed non à Conceptione illius. Nunc ſatis fuerit oſtendiſſe in hac epiſtola nequaquam de tempore animationis Virginis egiſſe, ſed ſolùm de Conceptione, quæ eſt ſola carnalis. Leuia verò ſunt quæ in contrarium adducuntur, nam in illis verbis, *Quàm pulchrè inter figurationem*, &c. nil minus ei venit in mentem, quàm duas Conceptiones diſtinguere, imò verò ibi de nulla egit, nam figuratio Ieremiæ ſequuta fuit eius Conceptionem, præceſſit autem

autem animationem ; & parturitio nihil ipſarum eſt,ſed exitus ab vtero. Illis verò , *Reſtat vt poſt conceptum in vtero iam exiſtens, ſanctificationem accepiſſe dicatur* ; minimè affirmatur quòd poſt animationem fuit ſanctificata, ſed poſt Conceptionem, videlicet carnalem : quod verò additur,*in vtero iam exiſtens*, ab omnibus concedi debet , non enim fuit ſanctificata extra vterum , ſed in vtero ; neque verò dicitur *poſtquam extiterat*, ſed de præſenti *exiſtens* , quod etiamſi ſanctificetur ſimul atque incepit exiſtere, verum erit.Præterquam quòd poſt Conceptionem carnalem immediatè verè dicitur infans exiſtere in vtero , ſynecdochica loquutione ; quo pacto ſanctus Petrus dicitur Romæ eſſe , vnde & Anſelmus dicit , *quia ab ipſo ſemine, & ab ipſa Conceptione incipit homo eſſe* ; idcirco rectè dici *quòd in peccatis concipitur.*

§. 8. *Præcipuos aduerſæ doctrinæ, ac Theologiæ ſcholaſticæ, principes Alexandrum, Albertum, D. Thomam , ac Bonauenturam,non alio quàm noſtro ſenſu Bernardum intellexiſſe.*

SCrupulus adhuc remanet, de expoſitionis huius nouitate, non videtur ſiquidem ab antiquorum Doctorum mente recedendum, & temere procederet, qui maiora de ſe, quàm ipſi inuenerint, præſumeret. Quis audeat duces illos ſcholaſticæ Theologiæ celeberrimos Alexandrum, Albertum, Thomam,

Bonauenturam tam altæ oſcitantiæ (ne dicam ignorantiæ) nota inurere quòd aſſeueret, eos à mente Bernardi manſiſſe ieiunos? Bene quidem, ſi ipſi aliter intelligerent Bernardum, credo autem quòd ipſi intellecti non fuerint à recentioribus, qui alium à noſtro ſenſu de Bernardi ſententia illis imponunt. Hinc potiùs ſtrenuè ſtabiliri putamus noſtrum, quòd hi ipſi manifeſtè expreſſerint, non aliud ſenſiſſe Doctorem mellifluum, quàm nos contendimus. Quod ſi verum eſſe moſtrauero, neſcio quid aliud deſiderari queat. Audi lector, & mirare potuiſſe hactenus diſſentiri à neotericis: & percurramus ſingulos. At in quolibet eorum duo præcipuè notare neceſſum eſt, nimirum Conceptionem pro ſolo actu carnali ſuſcepiſſe; ac ſimul aſſeruiſſe Bernardum de illa ſola fuiſſe loquutum.

Alex. Alenſis. Alexander Alenſis, irrefragabilis Doctor nuncupatus, S. Bonauenturæ magiſter 3. part. q.9. membro 2. totum negotium ſanctificationis Virginis quatuor articulis complectitur. In primo inquirit an Beata Virgo ante ſuam Conceptionem ſanctificata fuerit? in ſecundo, an & in ipſa Conceptione ſanctificari potuit? in tertio, an poſt ſuam Conceptionem fuerit ſanctificata, & ante animæ ſuæ infuſionem? & in quarto, an fuerit ſanctificata in vtero matris ante natiuitatem ſuam? Iam in titulo ipſo tertij articuli, manifeſtè & conceptis verbis aſſeuerat Conceptionem Virginis præceſſiſſe animationem, quandoquidem poſtquam in 2.

artic.

artic. probauerat Virginem non fuiſſe ſanctificatam in ipſa Conceptione, proponit peculiarem difficultatem ac nouum articulum, & inquirit, An poſt ſuam Conceptionem fuerit ſanctificata ante animæ ſuæ infuſionem: ergo in ſententia Alexandri, poſt Conceptionem, tempus aliquod intercedit ante animationem, de quo dubium erat, fueritne tunc ſanctificata Beata Virgo. Idipſum in artic. 2. diſertis verbis affirmat; quærens ſiquidem, an in ipſa Conceptione fuerit ſanctificata, cogebatur exponere, quid nomine ipſius Conceptionis veniret intelligendum, & ait: *Conceptio dicit commixtionem qua eſt in principiis ſeminalibus viri & mulieris; qua commixtio fit per naturam; & ideo natura eſt mouens coniunctum in Conceptione, à parte autem illius commixtionis eſt libido.* Quid verò de Bernardo ſenſit? Cùm Alenſis ſequutus fuerit illam trimembrem diuiſionem, qua Virgo conſideratur ante Conceptionem, & in ipſa Conceptione, & poſt Conceptionem, ſingula mēbra probauit ſingulis authoritatibus ipſius. Partem negatiuam primi articuli probauit ex illo, *Non valuit ſancta antè eſſe, quàm eſſe*, &c. Negatiuam ſecundi articuli, an ſcilicet, *in ipſa Conceptione* ſanctificari potuit, inquiens, *oſtendit Bernardus quòd non, dicens: Fortè inter maritales amplexus ſanctitas ſe ipſi Conceptioni immiſcuit, vt ſimul ſanctificata fuerit, & concepta*, &c. Vbique vtitur illo relatiuo *ipſa*, vt denotet, non eſſe aliam quàm ipſam, quæ eſt inter maritales amplexus. Pro tertij articuli negatiua

H 3 non

non adducit Bernardum, quia nimirum nihil de ea re definiuit, an ſcilicet poſt Conceptionem, & ante animationem fuerit Virgo ſanctificata nécne; ipſe enim ſolùm intendebat probare non fuiſſe ſanctificatam in Conceptione, ne fieret feſtum Conceptioni: definiuit tamen fuiſſe ſanctificatam ante natiuitatem ex vtero, quod Alenſis in 4. articulo diſcuſſit, & inducit Bernardum aſſerentem, *reſtat vt poſt conceptum in vtero iam exiſtens*, &c. & illud., *Fuit proculdubio & Mater Domini antè ſancta, quàm nata*; & rurſus, *Firmiſſimè cum Eccleſia ſentiens in vtero eam accepiſſe, vt ſancta prodiret.* Itaque de Alenſe dubium nullum eſt.

Multo minus poterit de mente Alberti Magni dubitari, quippe qui aſſerat, illud quod Bernardus dicit Virginem non fuiſſe ſanctificatam ante vel in ipſa Conceptione, tam certum eſſe, quòd oppoſitum dicere ſit hæreſis nota dignum, & vt tale, condemnatum ſit Pariſiis ab Vniuerſa Theologorum ſchola. Hic bonus quidam dormitauit Homerus, credens, Albertum hæreſis nota condemnaſſe aſſerentes Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam, & eo ſenſu quo nunc Conceptio pro animatione accipitur; cùm tamen nil minus fecerit, ſed pro carnali, quinimo nec termino ipſo *Conceptionis* vſus fuit, & ſatis expreſſerit mentem ſuam. Quæſierat quidem Albertus in 3. diſt 8. artic. 3. *An Beata Virgo ſanctificata ſit in vtero, vel ante vterum?* & cùm tribus rationi-

Suar. 3. p.q.27. artic.2. diſput.

Albertus Magnus.

bus

bus improbaſſet ſanctificationem ante vterum, in lumbis ſcilicet parentum; proſequitur rurſus quærens art. 4. ſequenti, *An caro B. Virginis fuit ſanctificata ante animationem?* Et reſpondit quæſtioni his verbis. *Solutio. Dicimus quòd B. Virgo non fuit ſanctificata ante animationem; & qui dicunt oppoſitum eſt hæreſis condemnata à Beato Bernardo in epiſtola ad Lugdunenſes, & ab Vniuerſis Magiſtris Pariſiis.* Vbi duo maximè notanda ſunt, alterum quod ad Bernardi mentem ſpectat, nimirum id quod Bernardus in epiſtola contendit, ſolum eſſe, quòd non fuit ſanctificata ante animationem; alterum verò quod ad vocem Conceptionis ſpectat, videlicet, apud Albertum non ſignificare animationem, nam ſi id, quod Bernardus exploſit, fuit ſola ſanctificatio ante animationem, cùm Bernardus dixerit Conceptionem Virginis non fuiſſe ſanctam, neceſſum eſt, vt pro carnali ſolùm Conceptionis vocem, de mente Alberti, ſuſciperet. Si quos igitur ſententia huius Doctoris inurit nota hæreſis, illi ſunt, qui à B. Virgine excludunt etiam debitum peccati: ſed non à ſolo Alberto notantur, nam S. Bonauentura errorem vocat aſſerere, id quod Bernardus in hac epiſtola improbauit, ait ſiquidem loco mox citando, *Nec huic obuiant dicta Bernardi; potiùs enim intendit excludere errorem, ne quis credat Virginem ſanctificatam in Conceptione, quàm erga Virginem deuotionem noſtram minuere*: intelligere autem Bonauenturam S. Bonauentura.

Conceptionem carnalem, iam videbimus.

S. Bonauentura. Concludit idem Seraphicus Doctor totum ſanctificationis Virginis Beatæ negotium tribus quæſtionibus in 3. d. 3. art. 1. (quæſtione nimirum 1.2. & 3. eiuſdem articuli 1.) & in prima inquirit, Vtrùm caro Virginis fuerit ſanctificata ante animationem? in ſecunda, an anima B. Virginis ſanctificata fuerit ante peccati originalis contractionem? in tertia verò, An B. Virgo fuerit ſanctificata ante Natiuitatem? In fauorem reſolutionis ſuæ ſuper prima & tertia quæſtione affert teſtimonia Bernardi, non autem pro ſecunda; ſenſit igitur Bernardum docuiſſe quidem carnem Virginis non fuiſſe ſanctificatam ante animationem, quod tractat in 1. quæſt. & ad hoc confirmandum adducit illud, *Ante conceptum ſui ſanctificari minimè potuit, quoniam non erat*; & illud, *Fortè inter amplexus maritales*, &c. & item, *Dico glorioſam de Spiritu ſancto concepiſſe, non tamen & conceptam fuiſſe.* Senſit etiam docuiſſe, quòd fuerit ſanctificata ante Natiuitatem, de quo agit in 3. quæſt. & pro hac veritate adducit illud Bernardi, *Quod vtique vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari tantæ Virgini eſſe negatum.* Pro ſecunda autem quæſt. quæ de vera macula peccati originalis animæ agit, de quo nunc præcipua difficultas eſt, Bernardum non adducit: planè innuens ipſum minimè de ea re egiſſe, quandoquidem ſolùm negauit ſanctificationem ante Conceptionem, vel in ipſa Conceptione, quæ duo includuntur

in

in titulo illius quæſtionis 1. An fuerit ſanctificata ante animationem? Quòd verò nomine Conceptionis ſolam carnalem D. Bonauentura intellexerit, planè docet in ſolutione 4. argumenti quæſt. 1. dum inquit, *Si ergo ſanctitas non fuit in Virgine ante animæ infuſionem, non videtur vſquequaque ſecurum Conceptionis illius ſolemnitatem celebrare: quandoquidem ſtatuta vniuerſalis Eccleſiæ de Sanctorum celebritatibus, omnia fundata ſunt ſuper ſanctitatem; vt nullo die pro aliquo ſancto ſolennizetur, in quo, vel pro quo perſona ſancta non fuerit, cui honor ille defertur.* Sanè ſi nomine Conceptionis intelligeret animationem, nequaquã affirmaret, non eſſe vſquequaque ſecurum celebrare Conceptionem, ſi non fuiſſet ſanctificata ante animationem; inde enim ſolùm infertur quòd Conceptio carnalis, quæ ſola præcedit animationem, fuiſſet in peccato, & idcirco non debere ſolennizari, non verò quòd Conceptio, ſi animationem ſignificaret, non eſſet ſancta; vt quid enim requireretur ſanctitas ante animationem, vt non obſtet ſanctitati futuræ Cõceptionis? Rurſus propoſuit 4. argum. de feſto Conceptionis celebrari ſolito, pro parte affirmatiua illius 1. quæſt. quia eo probari videbatur, illa pars videlicet, quòd caro Virginis fuiſſet ſanctificata ante animationem; hoc enim celebrari neceſſariò videbatur nomine Conceptionis: reſpondet autem, ſe non approbare omnino feſtum Conceptionis, *pro eo quòd ſancti Patres, qui alias ſolemnitates Virginis Spiritu ſancto docente ſtatuerunt, qui etiam magni amatores & veneratores B.*

 Virgi

*Virginis fuerunt , Conceptionem Virginis ſolemnizare non docuerunt.B. etiam Bernardus præcipuus Virginis amator, & honoris eius zelator,illos reprehendit,qui Conceptionem Virginis celebrant.*Subdítque. *Non etiam audeo omnino reprehendere,quia(vt quidam dicunt) hæc ſolennitas celebrari non cœpit humana inuentione ,ſed diuina reuelatione. Quod ſi verum eſt ,ſine dubio bonum eſt ſolennizare in eius Conceptione. Poteſt etiam eſſe , quòd illa ſolennitas potius refertur ad diem ſanctificationis , quàm Conceptionis , & quoniam dies Conceptiunis fuit certa,* (vtpote carnalis 8.Decembris *) & dies ſanctificationis incerta; ideo non irrationabiliter ſolennitas diei ſanctificationis ſtatui potuit in diem Conceptionis, nec immeritò : quia quamuis Conceptionis diem non oporteat celebrare , pro eo quòd non fuit ſanctitas in conceptu, (* nimirum in fœtu illo, ſeu ſemine*)poſſunt tamen irreprehenſibiliter gaudere animæ Sanctæ, pro eo quod tunc inchoatum eſt.* Vide quæſo quàm manifeſtè loquitur de Conceptione carnali , vt de eo quod tunc inchoatum eſt, dicat poſſe celebrari feſtum,ſed quomodo? *Quis enim*(inquit) *audiens Virginem , de qua ſalus totius mundi proceſſit,eſſe conceptam(* hauddubium de die certo Conceptionis loquitur *) gratias Deo exſoluere negligat,& omittat exultare in Deo ſalutari ſuo ?* Vnde infert: *Nec huic obuiãt dicta Bernardi, potiùs enim intendit excludere errorem , ne quis credat Virginem ſanctificatam in Conceptione , quàm erga Virginem deuotionem noſtram minuere.* Quaſi diceret , Bernardus ſolùm contendit, ne celebrent Concep-

tionem Virginis,quaſi ſanctam;hoc enim erroneum eſſet aſſerere,cùm ante animationem ſanctificata non fuerit: ſi verò quis alio ſenſu celebraret, illam , nimirum gratias Deo agens, pro eoquòd illo die inchoatum ſit Virginis templũ, non multum curat; tametſi in hoc caſu eſſet priùs ſedes Apoſtolica conſulenda.

Mirum eſſet,ſi doctor Angelicus Thomas Aquinas aliter verbis vteretur quàm coętanei ſui. D. Tho. Hoc ſiquis neget in nomine Conceptionis,oſcitantiæ notandus omnino erit;quandoquidem quoties de Conceptione Virginis diſſeruit,ſatis manifeſtauit mentem ſuam.Diſſeruit verò ſuper 3. lib. ſent. diſt.3. & 3. p. ſummæ. q.27. Primũ igitur in 3.diſt.3.q.1. art.1.tribus quæſtiunculis ſanctificationem Virginis complectitur. In 1. quæſtiuncula quærit, Vtrùm B. Virgo fuerit ſanctificata antequam Conceptio eius finiretur? In 2. verò, vtrùm ante animationem ſanctificata fuerit? In 3. vtrùm ante natiuitatem ex vtero? Ex ipſo igitur ordine dubiorum deducitur manifeſtè Doctorem ſanctum nomine Conceptionis non intellexiſſe animationem; nam poſtquam in 1. quæſtiuncula docuit,& aſſeruit,Virginem non fuiſſe ſanctificatam antequam Conceptio eius finiretur, deinceps in 2. quærit, an ſaltem ante animationem? Fatetur proinde Cõceptionem finitam fuiſſe ante animationem. Vſus verò eſt illo loquendi modo, *antequam finiretur eius conceptio*, quia videlicet non eſt actio inſtantanea, quæ momento finiri queat ſicut

ſicut animatio, ſed ſucceſſiua, & tempus aliquod inſumens. Sed quid ſentit de Bernardi mente? Impugnaſſe illud, quod ipſe ex 1. illa quæſtiũcula impugnat, nimirum ſanctificationem Virginis in conceptione ante animationem. Ibi ſiquidem inquit; *Beata Virgo nullo modo in ſuis parentibus ſanctificari potuit: ſed neque in ipſo actu Conceptionis eius*; *conditio enim perſonalis à parentibus in prolem non tranſit, niſi ſit ad naturam pertinens, unde Grammatica patris in filium non tranſit, quia perfectio perſonalis eſt*: ſicut etiam ſanctitas parentum, non pertinet ad naturam ipſorum, ſed ad perſonas, quare in actu Conceptionis nequeunt proli ſanctitatem communicare; peccatum verò originale pertinet ad naturam vitiatam; *Et ideo B. Virgo in originali peccato concepta fuit. Propter quod B. Bernardus ad Lugdunenſes ſcripſit Conceptionem illius non eſſe celebrandam.* Igitur Bernardus de mente D. Thomæ ſolùm docuit, quòd ipſe actus Conceptionis Virginis, quo parentes ſui eam genuerunt, fuit peccato obnoxius, & hoc fuit idem ac dicere, quòd ipſa Conceptio Virginis non fuit ſancta. Ex D. Thoma verò nihil aliud de Bernardo habere poſſumus, quia cùm deſcendit poſtmodum quęrere, An fuerit ſanctificata ante animationem, poſt Conceptionem, Bernardi prorſus non meminit: innuens ſolùm egiſſe de primo illo dubio Conceptionis, ante animationem.

Neque verò quis æſtimet aliter 3. part. fuiſſe loquutum, quinimo ſimiliter apertiſſimè conſtituit Conceptionem ante animationem: nam quæſt.

quæſt. illa 27. art. 1. in ſolutione 4. ait, quòd *peccatum originale contrahitur ex origine, quod quidem fit, quando proles concepta animatur.* Prius igitur, apud Thomam, res concipitur quàm animetur; & conſequenter non eſt idem concipi, & animari. Eodem loquendi modo vtitur art. 2. in corpore. *Ante infuſionem animæ rationalis,* ait, *proles concepta non eſt culpæ obnoxia.* Vbi priùs dicit prolem eſſe conceptam, quàm anima rationali donetur. Sed clariſſimè in argumento 3. quod eſt de feſto Conceptionis, quæſierat in titulo articuli, Vtrùm B. Virgo fuerit ſanctificata ante animationem? Et pro parte affirm. ſic arguit. *Non celebratur feſtum niſi de aliquo ſancto; ſed quidam celebrant feſtum Conceptionis B. Virginis; ergo videtur quòd in ipſa ſua Conceptione fuerit ſancta; & ita quòd ante animationem fuerit ſanctificata.* Vt igitur probaſſet quoquomodo, fuiſſe ſanctificatam ante animationem (hoc enim in titulo quærebatur) opponit feſtum Conceptionis: nam ſi Conceptio celebratur, ſanctam eſſe neceſſe eſt. Sed quid inde? Nota verba illa, *& ita quòd ante animationem fuerit ſanctificata:* hoc aſſerit neceſſariò deduci, ſi ſemel concedamus quòd *in ipſa ſua Conceptione fuit ſancta.* Non ergo eſt idem Conceptio, & animatio, ſed ante animationem eſt Conceptio. Quare in ſolutione huius 3. argumenti non reſpondet Conceptionem non eſſe ante animationem, quod aliàs dicere oportebat: ſed aſſerit diem Conceptionis fuiſſe certum, quo ſcilicet feſtum fit (& hæc carnalis proculdubio fuit) diem verò ſanctifi-

catio

cationis incertum; & idcirco, potius intenditur ſignificari ſanctificatio, quàm Conceptio. *Ad* 3. *dicendum* (ait) *quòd licèt Romana Eccleſia Conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum illud feſtum celebrantium. Vnde talis celebritas non eſt totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc quòd feſtum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quòd in ſua Conceptione fuerit ſancta; ſed quia quo tempore ſanctificata fuerit ignoratur, celebratur feſtum ſanctificationis eius potius quàm Conceptionis, in die Conceptionis ipſius.* Notarim obiter inferri ex hoc teſtimonio D. Thomæ, feſtum Conceptionis maiores multo vires accepiſſe tempore ipſius, quàm Bernardi, nam Bernardi tempore inducebatur feſtum ſine notitia ſedis Apoſtolicę, vt ex epiſtola ipſius liquet; tempore autem S. Thomæ permittebatur iam ab ipſa ſede. *Tolerat tamen conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum.*

Sed argumentum negatiuum hoc loco ſatis efficax eſt. Quæram ſiquidem, quamobrem D. Thomas qui manifeſtè fatetur animam B. Virginis in ſua animatione inquinatam fuiſſe contagio originalis peccati; non adducit Bernardi teſtimonium in confirmationem ſuæ doctrinæ? Certè alibi eius teſtimonio vſus eſt, vt eadem 3. p. q. 72. art. 1. ne poſſit reſponderi, quòd nunquam Bernardi ſcripta allegauit, & præſertim epiſtolam ad Lugdunenſes citauerit in 3. d. 3. q. 1. a. 1. quæſtiunc. 1. quare nec dici poterit quòd ignorauit ſententiam eius de Conceptione Virginis. Rurſus nihil æquè ſtabiliret doctrinam eius,

eius,ac Bernardi authoritas,quia nullus Patrum tam clarè,& in terminis de Conceptione Virginis diſputauerat. Cur igitur eius teſtimonium omiſit? Idem prorſus argumentum de prædictis Theologiæ Scholaſticę principibus formari poteſt: quare videlicet,nec Alenſis, nec Albertus, nec Bonauentura, qui præcipui peccati originalis aſſertores in anima Virginis extiterunt, nunquam pro ea ſententia Bernardi teſtimonio vſi ſunt?Non video quid reſponderi poſſit huic quæſtioni , niſi (quod inde manifeſtè fit conſequens) fateamur, nunquam de Bernardo exiſtimaſſe , aliquid de inquinamento animæ Virginis pronuntiaſſe, vt verum eſt , & ſatis à nobis probatum , ſed ſolùm de Conceptione egiſſe, quam celebrari à Lugdunenſibus videbat:Conceptionis autem nomine ſolam carnalem intellexiſſe,ſicut & ipſi intelligebant.

§. 9. *Si qui Patres nomine Conceptionis vſi ſint,non aliter, ac Bernardus debere intelligi: & quo ſenſu nunc accipiendum.*

IN eundem ſenſum neceſſariò intelligendi sũt ſi qui forſan antiquorum , peccatum in Cõceptione Virginis interceſſiſſe docuerunt; quãdoquidem dubium non eſt , in eo ſenſu , ac ſignificatione nomen Cõceptionis accepiſſe,quo tota antiquitate acceptũ ſcimus. Et ſi verè Herardus,ſeu Gerardus Martyr ſcriptũ reliquiſſet ſerm. Gerard. Martyr.

ſerm. de Natiuit. Virginis, *O felix puella, quæ concepta in peccato, purificatur ab omni peccato, & filium concipit ſine peccato*, de conceptione carnali, & debito peccati interpretandus eſſet. At verò ad id non cogimur, cùm talis author, natus vnquam in orbe neſciatur; & ſi ſciretur, ſcripta eius authentica non ſint; nec ipſe inter Doctores, ac Patres Eccleſiæ vnquam ſit connumeratus. Adducunt quidam Clementem VI. ſerm. ſuper illud, *Erunt ſigna in ſole*, &c. qui tamen modernus eſt, vtpote qui ſedem Apoſtolatus aſcendit anno Domini 1342. & tametſi eadem qua Bernardus phraſi vſus, eodem ſenſu queat interpretari, nihil tamen curo, quia forſan Scholaſticis nõnullis innocentiam Conceptionis Virgini negantibus ſubſcripſit, non quidem Pontificia authoritate fulcitus, ſed Petri Munſtrij, hoc enim nomen antiquum eius. De Anſelmo & Ruperto, & aliis nihil minus quàm de Bernardo credi oportet, cum præſertim ſciamus, Anſelmum Cõceptionem ante animationem fieri non ſemel docuiſſe. Sed peculiaris vindicatio Anſelmi poſtmodum ineunda à nobis eſt; in qua de Ildefonſo, Ruperto, Gregorio Nazianzeno, Damaſceno, & aliis ſpecialis memoria fiet.

Cle. VI.

Illud nunc exigi à nobis videtur, vnde factum ſit, vt nos alio longè ſenſu nomine Conceptionis vtamur, quàm ſancti Patres, & à quo tempore æquiuocatio acciderit nomini? Sanè à tempore Scoti Conceptionis vox ſignificationem nouam accepiſſe videtur, nam ante ipſum, nemo

nemo, quem viderim, ab antiquorum ſenſu reſiliuit. Is verò in 3. lib. ſentent. d. 3. de ſanctificatione Virginis diſputans, vt rem ampliùs declararet, duas diſtinxit Conceptiones, alteram quam vocat ſeminum, alteram naturarum; vt illa ſit quæ in commixtione maris & fœminæ conſiſtit; hæc verò in animatione fœtus, qua natura complectitur, ac conſtituitur. Et hac diſtinctione reſpondet ad authoritatem Bernardi in hæc verba. *Ad argumentum Bernardi poteſt reſponderi, quòd in inſtanti Conceptionis naturæ, fuiſſet ſanctificatio, non à culpa quæ tunc infuit, quia nulla fuit, ſed à culpa quæ tunc infuiſſet, niſi tunc gratia illi animæ fuiſſet infuſa. Et ſi arguatur, quòd ibi fuit libido, falſum eſt de Conceptione naturarum, licèt poſſet concedi fuiſſe in Conceptione, & commixtione ſeminum.* Quo videtur aſſerere cum Alenſi, Alberto & aliis, S. Bernardum de ſola Conceptione ſeminum fuiſſe loquutum. Eodem modo loquutus fuit Vdalricus in ſumma (quem citat Dionyſius Carthuſianus) ait enim: *Suſtinetur ab Eccleſia, quòd aliqui celebrant Conceptionem B. Virginis, non referendo hoc ad Conceptionem ſeminum, ſed naturarum, quod fuit in animæ infuſione.* Circa annum igitur Dominicæ Natiuitatis 1300. quo Ioannes Scotus floruit, Conceptionis nomen ad animationem ſignificandam extenſum eſt, & tametſi abſolutè, & ſine reſtrictione prolatum ſemper ferè acciperetur pro carnali, & ad ſignificandam animationem neceſſum eſſet, particula aliqua illud reſtringere; paulatim nihilo-

Scotus.

Vdalricus.

minus aſſuefieri cœperunt homines nouæ ſignificationi,in tantúmque inualuit, vt iã nulla reſtrictione facta, pro animatione accipiatur; & hoc omnes ſignificare intendunt, cùm aſſerunt B.Virginem nõ fuiſſe in originali peccato conceptam:non enim eſt ſenſus iuxta priſtinam vocis ſignificationem:In Conceptione carnis non contraxit debitum peccati, ſed non fuit illo inquinata in vnione animæ ſuæ ad corpus.Et hoc eſt quod deuotus Ioannes Herolt, *Diſcipulus*, vulgo nũcupatus, ordinis Prædicatorum alumnus, ſcripſit in ſerm. de Concept. *Oportet intentionem ordinatè dirigere,vt non referatur ad Conceptionem carnis,ſed ad illam Conceptionem, quando anima infuſa eſt, & vnita corpuſculo, & in eodem inſtãti ſanctificata eſt.* Verùm hoc tempore ita inualuit immaculatæ Conceptionis nomen, quòd omnes nomine Conceptionis animationem intelligant.Nec mirum cùm Patres Concilij Baſilienſis eodem modo loquuti fuerint, & poſtea Sixtus IV. in ſuis Extrauagantibus.

Io. Herolt.

Non amiſit nihilominus veterem omnino ſignificationem, adhuc ſiquidẽ plerumque nomine Conceptionis carnalem intelligimus; fatemur namque cum antiquis Theologis, diem Conceptionis eſſe certum,nimirum 8. Decembris, ſanctificationis verò & animationis incertum.Et,vt mihi omnino videtur, vtrumque ſub nomine Conceptionis, in eius feſtò celebrat Eccleſia, pro illo quidem gratias referens Deo, quòd tandem in die Conceptionis (carnalis) initiũ ſumpſerit ſalus humani generis, & quòd templi

templi Dei iacta fuerint fundamenta; pro iſto autem, id eſt, ſanctificationis dono, in animatione Virginis, ſicut de ſancto feſtiuitatem ſolennizans. Vtrumque certè ſatis expoſuit Sixtus in conſtitutione eius feſti, *Cum praexcelſa,* nam de prima Conceptione, pro qua tamquam pro beneficio magno grates reddimus Deo, ait, *Dignum, quin potius debitũ reputamus, vniuerſos Chriſti fideles, vt omnipotenti Deo, de ipſius immaculata Virginis mira Conceptione, grates & laudes referant, & inſtituta propterea in Dei Eccleſia Miſſas, & alia diuina officia dicãt,* &c. De pręſeruatione autẽ ipſius ab originali peccato in animatione agit, dũ inquit, *Officium Conceptionis eiuſdem Virginis glorioſæ iuxta piam, deuotam, & laudabilẽ ordinationem M. Leonardi de Noguerolis, & quæ deſuper à nobis emanauit, Miſſæ & officij eiuſmodi inſtitutionem,* &c. In eo enim officio agitur de præſeruatione Virginis ab originali contagio. Et hoc mirũ eſſe non debet, cùm in reuelatione ipſa, quæ feſto Conceptionis initium dedit, creationem ſimul & Conceptionem B. Virginis præceptum ſit celebrari. Sãctus etenim Nicolaus Herluino Abbati Beccenſi apparens dixit (vt apud Anſelmũ in Epiſtola ad Epiſcopos Angliæ legimus:) *Promitte Deo, & mihi, quòd diem Conceptionis & Creationis Matris Domini noſtri Ieſu Chriſti ſolenniter celebrabis.* Vtrumque etiã D. Anſelmus celebrandum indicit in homilia de eadem feſtiuitate, quæ incipit, *Hodierna die,* &c. Cùm enim nonnulli reſiſterent ſibi, & feſto Conceptionis, quia Conceptioni, vtpote carnali, in quo radix erat Anſelm.

 peccati,

peccati feſtum non videbatur poſſe fieri; docuit animationem quoque ſub eo nomine celebrari poſſe, quæ nimirũ eſt quaſi ſpiritualis quædam Conceptio. Dabimus ſuo loco Anſelmi verba.

Quod igitur in prouerbio dicitur, *nominibus vtendum, vt nummis*, hoc maximè loco fieri oportet, vt de tempore primùm, quo quiſque author floruerit, ratione habita, quo Conceptionis nummus, ſeu nomen valore ſit accipiendum apud ipſum videamus. Quemadmodum enim, ex eo quòd nummus aliquis valeat nunc 20. verbi gratia, non rectè infertur ante 100. annos totidem valuiſſe; ſic ſimiliter non ex ſignificatione præſenti *Conceptionis*, penſandum eſt, quid antiqui Doctores de Conceptione docuerint: Quare ne velit quiuis Bernardum ante 500. annos de Conceptione diſſerentem, hoc ipſum ſenſiſſe, quod illiſmet verbis modò vſus ſentiret; ſatis ſit ex ſui temporis ſcriptoribus valorem nummi Conceptionis deprehendiſſe; & eo cum valore nouello computato longum diſſidium inter vtrumque intereſſe certò ſcire. Diſſeruit igitur de Conceptione carnali Virginis duntaxat. Sed quid de præſeruatione ab originali peccato in animæ infuſione ſenſerit, ex epiſtola ad Lugdunenſes non liquet: an verò aliunde cõſtet, nunc videndum.

§. 10. *Multis locis præſeruationem Virginis ab originali contagio aſſeruiſſe Bernardum; & contra eam numquam vel leuiter ſcripſiſſe.*

Alia

ALia longè quæſtio hæc eſt ab ea, quam ſub Conceptionis nomine agitauit S. Bernardus: contendit hactenus Virginem cum peccato originali, id eſt, eius obligatione conceptam; quo non obſtante multus eſt, vt oſtendat, non fuiſſe in limo profundi immerſam vſque ad animam; nimirum nunquam; originali verò, ac formali inquinatam fuiſſe contagio. Docuit ſanè id cōceptis verbis ſer. 4. *in Salue Regina*, vbi vt probaret Virginem Beatam, Turrim Libani fuiſſe, hæc ait; *Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus ſignificat innocentiam tuam. Innocens fuiſti ab originalibus & actualibus peccatis: nemo ita præter te. Vnde authoritas Auguſtini; cùm de peccatis agitur, nullam de B. Virgine volumus fieri mentionem. Ex eo enim maiorem credimus ei collatam virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatum. Ex omni inquit parte; hoc eſt, ex parte originalis, & ex parte actualis peccati.* De actualibus quidem ſubdit, *Ea ergo ſola excepta, cæteri omnes quid dicere poſſunt, niſi quod ait Apoſtolus Ioannes: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt?* De originali verò, *Ego quoque pia fide opinor in vtero matris tuæ ab originalibus te abſolutam peccatis. Nec vana eſt fides, nec opinio falſa. Denique & rationes, & authoritates inueniuntur iſta adſtipulantes. Et quidem ratio ſit, ſi alij in vtero matris fuerunt ſanctificati, multo magis tu Mater Domini; ſed Ieremias & Ioannes, alter ſanctificatus, alter Spiritu ſancto repleti in vtero matris leguntur;*

Bern.

Aug. lib. de nat. & grat. cap. 36.

ergo & tu Maria Genitrix Dei, quæ ſola tota Spiritus ſancti gratiam poſſediſti, quam alij habuere per partes. Cùm dixit, multo magis *tu etiam*, præſeruationem à peccato originali inducit, nam intendit probare fuiſſe innocentem, non minus ab originali, quàm ab actualibus peccatis. Et ſicut innocens non fuiſſet ab actualibus, ſi aliquod actuale commiſiſſet, ſic prorſus quantumuis poſtea mundaretur, ſi ſemel peccato originali inquinata fuiſſet, nequaquam innocens ab originali dici poſſet, ſed purificata, ſed mundata. Adductis rurſus nonnullis ſacræ paginæ teſtimoniis, quibus plenitudo gratiarũ, & honorum eius comprobatur, exponit illud Cant. 6. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* De victoria, quam in vtero Matris ſuæ, accepit de originali peccato, quando videlicet originale peccatum iure ſibi voluit animam Virginis poſſidere in corporis animatione, eo quòd in ſemine ipſo virili ius acquiſierat poſſidendi animam, cuius corpus cum debito peccati, ſeu peccato conceptum fuerat; ſed data fuit Virgini virtus ad reſiſtendum illi, ne dæmoni vllo tempore ſubderetur. Intelligi verò poteſt reſiſtentia hæc quaſi materialis, in dono gratiæ iuſtificantis conſtitiſſe, quo velut ſcuto fortiſſimo tutata fuerit, à negocio perambulante in tenebris, ab incurſu, & timore nocturno, ſiue ipſa nouerit tunc temporis luctam & victoriam, ſiue non: poteſt etiam intelligi reſiſtentia formalis, quòd nimirum creata velut Angelus

in

in Dei amore, eo diſpoſita fuerit ad iuſtitiam eodem momento acceptam; & in notitia clara periculi, in quo erat, niſi ſingulari gratia præueniretur. Atque hunc ſenſum habet quod ſubdit Bernardus; *Aurora ſemper noctem ſequitur; nox præcedit auroram. Quid eſt autem nox frigida & obſcura, niſi originale peccatum? Frigidum concupiſcentia, obſcurum ignorantia. Tu ergo proceſſiſti vt Aurora lucida, & rubicunda, quia ſuperatis originalibus peccatis in vtero matris, nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis.* Ita verò in vtero ſuperauit peccatum originale quòd innocens ab eo permanſerit, *innocens fuiſti ab originalibus & actualibus peccatis.* Vnde inferiùs concludit, *cùm igitur tam claræ authoritates diuinæ, tuam ab vtero teſtentur innocentiam; quis vltrà dubitet, ſanctam te & immaculatam huic mundo progenitam?* Pondera verba illa, *Innocentiam, & ſanctam ac immaculatam progenitam*: quibus nihil clarius dici potuit.

Solùm obiici poſſet, nequaquam videri ſermones illos ſuper *Salue Regina*, germanum fuiſſe Bernardi fœtum, tum propter ſtyli diſſonantiam, tum præſertim quia verſibus quibuſdam Vergilianis in eis vtitur, quòd à grauitate Bernardi videtur alienum. Cæterùm quod ad ſtyli diſſonantiam attinet, Gaufridus eius diſcipulus ſcripſit lib. 3. vitæ ipſius Bernardi cap. 2. quòd non vno ſtylo vbique vtebatur, ſed verò *ſermo ei quoties opportuna inueniebatur occaſio, ad quaſcunque perſonas de ædificatione* Gaufridus.

 animæ

animarum, prout tamen ſingularem intelligentiam, mores & ſtudia nouerat, quibuſque congruens auditoribus erat. Sic ruſticanis plebibus loquebatur, ac ſi ſemper in iure nutritus, ſic cæteris quibuſque generibus hominum, velut ſi omnem veſtigandi eorum operibus operam impendiſſet, litteratus apud eruditos, apud ſimplices ſimplex, apud ſpirituales viros, perfectionis & ſapientiæ affluens documentis: omnibus ſe coaptabat, omnes cupiens lucrifacere Chriſto. Extant eiuſdem humilitatis in ſtylo non pauca inter opera Bernardi exempla, liber *Meditationum*, liber *de interiori domo*, alter cui titulus *Formula honeſtæ vitæ*, alius *Scala clauſtralium*, alter *Doctrina D.Bernardi*, liber de *doctrina puerorum*, rurſus *Speculum Monachorum*, itémque *Eiuſdem materiæ notabile documentum:* Quæ omnia opuſcula humili ſtylo exarata ſunt, vt ipſa manifeſtant; eſſe verò genuina Bernardi comprobatum eſt, in editione operum ipſius Lugduni, apud Ioan. Cleyn, anno 1515. vbi primo ſermoni de Aduentu hæc præmittuntur; *Deuoti, melliſluique Doctoris D.Bernardi, primi Abbatis Claraeuallis, Seraphica ſcripta, diligenti cura cum archetypis Bibliothecæ Claraeuallis, à nonnullis eiuſdem domus religioſis, vt veraciora & emendatiora in lucem prodirent collata, & ab eis recognita.* Addidit Ioannes Mareſcalis Lugdunenſis Bibliopola in ſua impreſſione anni 1530. collata fuiſſe cum archetypis, *Vt quæ vera ipſius authoris, quæque adſcriptitia fuerint, lector quàm facillimè cognoſcat.* Collatione verò cum archetypis facta, inter germana opera hæc quoque relicta ſunt, quæ tamen

tamen non diſſimilem habent ſtylum à ſermonibus ſuper *Salue Regina.*

Parum autem de Bernardi operibus legerat, qui carminibus in his ſermonibus repertis ſcãdalum paſſus eſt; penè enim in omnibus, verſibus Poetarum vtitur S. Doctor, cuius rei gratia pauca in exẽplum adducam. In epiſtola 74. adducit illud Ouidij epiſtola ſecunda ipſius. Ouid.

Quando ego non timui maiora pericula veris?

In epiſtola 129. illud.

Semper ego timui Danaos, & dona ferentes.

In epiſtola 153. illud Horatij. Horat.

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

In epiſt. 191. illud de Arte amandi Ouidij. Ouid.

——Serò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuere moras.

In epiſt. 42. & in Apologia ad Guillermum Abbatem illud Perſij Satyra 2. Perſius.

Dicite Pontifices, in ſancto quid facit aurum?

In declarationibus ſuper illud Petri: *Ecce nos reliquimus omnia*, illud de Horatio libro 1. Epiſt. 3. Horat.

Ne cùm fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum,
Furtiuis nudata coloribus.

In libro de Præcepto & diſpenſatione c. 9. illud eiuſdem Horatij epiſt. 16.

Non feci furtum, non paſces in cruce coruos.

Ibidem c. 18.

Eſt qui bonum diligit, & malum neſcius agit.

Lib. 4. de conſiderat. c. 2.

Non eſt in medico ſemper releuetur vt æger.

In homilia de *Villico iniquitatis*. illud Perſij Sa- Perſ.

tyra 1.

Scire tuum nihil eſt,niſi ſcire tuum hoc ſciat alter.

Vergil. In ſermone 2. de *Cœna Domini* illud Vergilij Ecloga 3.

Frigidus, ô pueri, ſugite hinc, iacet anguis in herba.

Ouid. In ſermone de S. Martino illud Ouidij Metamorph. lib. 1.

Pronáque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit,calúmque tueri
Iuſſit,& erectos ad ſydera tollere vultus.

Lucan. Nec Lucanum prætermiſit, nam lib. de Paſſione Domini cap. 42. adducit ex Pharſaliæ lib. 4.

——— *O prodiga rerum*
Luxuries, numquam paruo contenta paratu,
Et quæſitorum terra pelagóque ciborum,
Ambitioſa fames, & lauta gloria menſæ.
Diſcite quàm paruo liceat producere vitam.

Cum quatuor aliis verſibus ſequentibus. Nec Iuuenal. Iuuenali pepercit, cuius in cap 30. eiuſdem libri adducit ex Satyra 4. ſententiam illam,

Creſcit amor nummi quantũ ipſa pecunia creſcit.

Terent. Nec Terentio, cuius illud in ſermone ſuper *Signum magnum*, &c. eſt.

Pleni rimarum effluimus vndique.

Omitto carmina alia quæ videbit lector libro de Paſſione Domini cap. 14. 15. 17. 30. 46. Quibus ſatis conuincitur oſcitantiæ, qui carminibus offenſus, reſpuit ſermones ſuper *Salue Regina*, nec credit eſſe Bernardi.

Sanè, ſi vetuſtati fides adhibenda eſt, Bernardo aſcribendi ſunt, quãdoquidẽ vetuſtiſſimi codices

dices titulũ eius pręſeferũt,& omnes quotquot hactenus inuenti ſunt,conſentiũt; nec res noua iudicari debet, nã Petrus Aureolus Theologus antiquiſſimus eos recipit, & in 3.d.3.q.1. refert ſententiam hanc ex ſerm. 4. ſuper Cant. *Salue Regina*, in fauorem immaculatę Conceptionis, & id poſtmodum alij fecere,vt Petrus Caniſius Franciſcus Suarez, Cardin. Bellarminus,& alij magni nominis authores. Accedítque quòd author,quiſquis ille fuerit,antiquiſſimus eſt,vt codicum vetuſtas comprobat: fuiſſe autem Ciſterciensẽ,illud quod initio ſerm.1.legimus, oſtendit,*Dulce canticum,ac nobiliſſimum melos, quod in honorem S. Mariæ quater in anno ordo noſter deuotiſſimè concinit*; nam canitur in eo ad *Magnificat*, in primis Veſperis *Purificationis*, & *Annunciationis*; & in ſecundis Veſperis *Natiuitatis*, ad *Magnificat*; in *Aſſumptione* verò ad *Benedictus*; tempore autem Bernardi hæ ſolæ feſtiuitates Virginis in ordine celebrabantur: nam Præſentatio vſque ad annum 1375.non fuit inducta in Gallias,& Viſitatio vſque ad 1389. Conceptionem autem ipſe celebrari prohibuit. Aliunde verò liquet S. Bernardum deuotiſſimũ eiuſdem Cantici, ſeu Antiphonæ extitiſſe, quippe cùm & illa vltima verba, *O clemẽs,ô pia,ô dulcis Maria* ipſe addiderit, eo tẽpore quo Legati Apoſtolici munere functus,Spirã inuiſit,vbi cùm illius decantationi adeſſet, Spiritu Dei afflatus, ter genua flexit ante Deiparæ Imaginem,à qua meruit reſalutari, illis verbis, *Salue Bernarde*;cuius rei hodiéq; teſtimoniũ extat in Cathedrali Eccleſia

teſte

Guiller. Eiſengr. teſte Guillermo Eiſengrenio, in Spiræ Chronicis, tabulis æreis inciſum: quamquam & ipſe velit tunc quoque egregio illo dilectionis pignore, lactis Virginei, donatum fuiſſe Bernardum: id quod Caniſio, Coſtero, & aliis placuiſſe video. Quare veriſimile ſatis eſt Doctorem mellifluum aliqua in expoſitionem eius Antiphonæ opuſcula compoſuiſſe. Reperitur proinde inter Bernardi opera non ſolùm expoſitio 4. ſermonibus contenta, ſed & alia, cuius initium eſt, *Ad ſalutandam Virginem*, &c. Sed ad alia tranſeamus.

Rurſus clariſſimum teſtimonium pro veritate intenta extat ſerm. 13. *in Cœna Domini*, vbi dũ Bernardus diſſereret, quo pacto à nobis exigitur integra legis Dei adimpletio, ſicut Chriſti qui Patris ſui mandata ſeruauit; cùm quotquot ex radice apoſtatica Protoparentis hominum emanarunt, in adimpletione legis defecerint. *Quis vmquam hominum*, ait, *ex apoſtatica radice primi parentis exortus, potuit vel poterit ſine aliquo tranſgreſſionis næuo, cum omni officio charitatis inconcuſſa, & immaculata Chriſti obſeruare præcepta; ſicut ipſe in totum & in partem ſui Patris ſeruauit mandata qui peccatum non fecit?* Reſpondet ſolos Chriſtum, & Mariam excipiendos, vt pote qui ſoli ſine peccatis concepti ſint. *Non eſt in filiis hominum magnus vel paruus tanta præditus ſanctitate, nec tanta religionis priuilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter matrem immaculati Agni peccatum non facientis, ſed peccata mundi tollentis; de qua cùm de peccatis agitur, nullã volo haberi*

beri quæſtionem. Negarēt nonnulli opus hoc à D. Bernardo elaboratum; cæterùm antiqui reluctantur codices, quibus tantum donatum eſt, vt in nouis operum S. Bernardi impreſſionibus, inter priora & germana collocetur, ab anno nimirum humanæ ſalutis 1586. quo Ioannes Gilocius Campanus locum illi inter germaniora debitum conceſſerit.

Tertium teſtimonium offert nobis ſermo cuius initium eſt, *Exultate fratres*, vbi de ſanctiſſima Virgine hæc habet Bernardus: *Germinat igitur virga Ieſſe de tortuoſa radice generis humani, & Patriarcharum arbore; & in altitudinem, & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodoſitatem, filiorum tenebras neſcit, frutificoſa quæque non habet.* Si de toruoſa radice prognata Virgo, omnē ignorat nodoſitatem: ſi nullas tenebras nouit, neceſſum eſt, vt ſine nodo, aut vmbra originalis peccati genita dicatur. Hinc prorſus, vt ego arbitror, Antiphona illa in honorem immaculatæ Conceptionis olim compacta fuit, *Hæc eſt virga in qua nec nodus originalis, nec frutex actualis culpæ fuit:* tametſi Bernardinus de Buſtis ſerm. 5. de conceptione part. 2. eam S. Ambroſio tribuat inquiens, *Affirmauit B. Frater Michael de Carcano ſe iſtam authoritatem vidiſſe in quodam libello Ambroſij antiquiſſimo, adeò quòd nimia vetuſtate incipiebat conſumi: & hoc dixit Mantuæ in prædicatione.* Hinc Leonardus de Noguerolis tranſtulit eam in officium de conceptione à Sixto IV. approbatum, & ab eo in multa Breuiaria deriuata eſt. Cæterùm non ex eo quod ad calcem operum

operum S. Ambroſij ſcripta reperiatur in peruetuſto codice, ſatis probatur fuiſſe Ambroſij. Placet magis ab hoc Bernardi teſtimonio mutuatam: hîc enim de Virgine ſub *Virgæ* metaphora dicitur, quòd *omnem ignoret nodoſitatem, quamquam de tortuoſa radice exorta fuerit.* quod quidem in Antiphona dicitur. *Hæc virga, in qua nec nodus originalis*; quod verò additur, *nec frutex actualis culpæ fuit*, in ſermone Bernardi dicitur, *fruticoſa quæque non habet*; aliàs in eadem Antiphona vulgo legitur, *nec cortex actualis culpæ fuit.* Sed minùs rectè: melius ſiquidem fructicoſi ramunculi, qui à virga vtrimque deuiant, actualia crimina ſignificant; quàm cortex, qui nullam virgæ imperfectionem inducit. Addidit huic Antiphonæ Sixtus IV. verſiculum, & Collectam: vt refert Galatinus lib. 7. de Arcanis.

Galatinus.

℣. *In Conceptione Virgo immaculata fuiſti.*

℟. *Ora pro nobis Patrem, cuius Filium genuiſti.*

Collecta. *Oremus: Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparaſti: quæſumus, vt ſicut ex morte eiuſdem Filij ſui præuiſa, eam ab omni labe præſeruaſti; ita nos quoque mundos eius interceſſione ad te peruenire concedas. Per eumdem*, &c.

Et Paulus Papa V. anno 1616. eam recitantibus conceſſit, centum indulgentiæ dies. Quo loci aduertendum eſt, quòd licèt Bernardus ſermonem iſtum non ſcripſerit in laudem Conceptionis, quam ipſe celebrare, vtpote carnalem & in peccato patratam, renuebat; quia tamen præclarè in eo faſſus fuit præſeruationem Virginis

ab

ab originali nodo,& laqueo;poſtmodum Conceptionis feſto & nomine latiùs extenſis ; ad Conceptionis celebrationem accommodatus fuit;vnde in titulo ipſius poſt illa verba , *Sermo vnde ſupra*,id eſt,de NataliDomini;additum eſt, *Vel potiùs debet legi in Conceptione Beatiſſimæ Mariæ Virginis* : aliæ impreſſiones habent , *Sermo vnde ſuprà debet legi in Conceptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ.*

Simile eſt prælibato teſtimonio aliud quod habetur in ſermone *de Aſſumptione*, cuius initium eſt,*De gaudiis properamus ad gaudia*, nimirum , *Caro Virginis ex Adam aſſumpta , maculas Adæ non admiſit.* Agnoſcunt hoc teſtimonium & ſermonem eſſe Bernardi, Bernardinus de Buſtis loco iam citato , Noguerolis, & nonnulla Breuiaria Hiſpaniæ antiqua ; vidi ego in Breuiario Salmanticenſi,& in Palentino,& in proprio ordinis Conceptionis S.Mariæ. Tribuitur ab aliis D. Petro Damiano , & ſub eius nomine cuſit ſermonem hunc inter eius opera D.Conſtantinus, Caietanus; de D. Damiano & aliis innumeris Benedictinorum Patrum elogiis,benemeritus,mihi verò pro ſua beneuolentia colendiſſimus; & priùs Laurentius Surius tomo 4.

Bern. de Buſtis. Noguerolis. D. Damian. D.Conſtant. Caiet. Surius.

In alio ſermone Bernardi,cui titulus,*De Beata Maria*, & initium , *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum. Miraculum fuit,quòd Virgo peperit*,&c. vt probaret ipſa eſſe teſtamenti ſacram Arcam, hæc legimus.*De lignis verò Sethin condita eſt Arca,in quathuribulũ,manna,& virga sũt recõdita;quia licèt Maria de patrũ natura per peccatũ*

vitia

vitiata duceret originem, praelecta tamen per Spiritum ſanctum, & præſeruata ad purum, Deum nobis protulit & hominem. Illuſtriſſima ſanè de præelectione, & præſeruatione Virginis, ne vitiata Patrum natura coinquinaretur, ſententia his verbis continetur.

In eodem quoque ſermone, quaſi nouum mūdum creatum à Deo in creatione Virginis meditatur Bernardus, *Prius* (inquit) *Altiſſimus ſibi eam quaſi mundum ſpecialiſſimum creauit*; ſed quibus innixus baſibus creatus eſt? Sanè in iuſtitia & ſanctitate. *Quam in iuſtitia & ſanctitate fundaret.* Si primum fundamentum Virginis fuit ſanctitas, ac iuſtitia, & in eis aſſeritur à Bernardo creata: quid de mente eius dubitandum eſt? Quis locus peccato in eius creatione relinquitur? Non diſſimilis Bernardo Damaſcenus ſerm. de Natiu. Virginis, ſcripſerat, *Natura gratiam anteuertere auſa non eſt, ſed tantiſper expectauit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet.* Sed ad fabricam noui mundi redeamus. Compegit Virgineum orbem ex elementis totidem, ac communis iſte coaleſcit; terram pro fundamento conſtituit, id eſt, ſanctitatem, *quam in iuſtitia* (inquit) *& ſanctitate fundaret*; aquam deinde, id eſt, ſapientiæ fluenta; *& fluentis ſapientia irrigaret*; pro aëre dedit cæleſtia deſideria, *& cæleſtibus deſideriis inſtar ſcilicet aëris ſublimaret*; & pro igne, eum quem Dominus miſit in terram, diuinum amorem; *& igne dilectionis accendendo illuſtraret.* Rurſus quos cælos, quæ aſtra ibi non poſuit? *Hinc in eius mente tanquam in firmamento Solem poſuit rationis, &*

Damaſcenus.

Lunam

Lunam ſcientiæ, & virtutis tanquam ſtellas ſpeciei omnimodæ: Solem qui lucem diuinæ cognitionis faceret, Lunam quæ ſtellis noctem actionis ſplendidam redderet. Ex quibus ſubinfert, *Et meritò Domini eſt terra, quia ſic ſuper maria fundauit eam.* Singularis terra hæc eſt, quæ ſuper maria inundationis humanæ naturæ firma & immobilis perſeuerat.

Illud demum ad eandem rem facit, quod in ſerm. de priuilegiis S. Ioannis Baptiſtæ, Bernardus aſſeuerat, nimirum, non ſolùm ſanctificaſſe Deum in matris ſuæ vtero B. Virginem, ſicut Ioannem, & Ieremiã fecerat; ſed etiã quòd alio longè ſublimiori ſanctificationis genere mundata ſit. *De ſingulari Virgine* (ait) *nulla ſit ambiguitas; quin ipſa maternis circumſepta viſceribus, ſublimiori ſanctificationis genere mundata ſit.* Nequit autem intelligi, quo pacto diuerſus modus & ſublimius genus ſanctificationis eſſet, ſi ſolùm ſanctificaſſet abundantiùs, & priùs tẽpore Virginem, quàm Ioannem, & Ieremiam: hæ ſiquidem differentiæ eſſent ſecundùm magis, & minus, quæ non variant genus. Quare ſi alio ſublimiori genere ſanctificationis B. Virgo donata fuit, vti Bernardus profitetur, neceſſum eſt, vt præſeruata ſit à contagio peccati. Nec obſtat quòd dicat, *mundata ſit,* propriiſſimè ſiquidem loquitur de Virgine quæ de immundo ſemine, & in peccati debito concepta fuit. Nam ipſe Theologiæ Princeps D. Thomas 1.2. quæſt. 28. artic. 1. ad 4. docet, *Carnem fœtus eſſe maculatam, & per coniunctionem ad eam maculari* D.Th.

animam. Et in 1.ſent.d.30.q.1.art.2.ad 3.& 4. affirmat, *ineſſe ſemini quoddam vitium*; colligitúrque
Auguſt. ex Auguſt.lib.2.de nuptiis & concept.c.8.vbi id
Bonau. probat ex locis ſacræ Scripturæ.Vnde D.Bonauentura in 2. ſent.d. 31.art. 2.q.1. dicit *eſſe ſententiam Doctorum;& indubitatam*; & in 3.d.3.art. 1.q.1.cócedit, intelligi quidem poſſe,quòd Virgo ante animationē fuerit ſanctificata,mundato
Holkat. nimirum ſemine, in quo erat contagium. Holkot in c.13. Sapientiæ lect.160. contendit mundatam fuiſſe carnem Virginis à Deo ante ani-
Valent. mationem. Idémque docuit Iacobus de Valentia ſuper Cantica in tract.de Concep.folio mihi 14. colum. 3. & ante vtrumque id prompſerat
Incognitus. accuratiſſimè Incognitus ſuper Pſal. 29. v.428. inquiens, *Virgo Maria peccatum originale cauſaliter contraxit, quia per ſeminalem propagationem concepta; ſed non contraxit formaliter, quia antequam anima eius eſſet creata, illud ſemen fuit purificatum, & ſanctificatum; & ſic anima illi vnita, non fuit maculata.* Et ad Pſal. 50. aſſerit eſſe Doctorum ſententiam: inter quos Bernardum recenſere, nos cogunt, quæ tota hac diſceptatione à nobis tractata ſunt. Quòd Incognitus diſtinxit culpæ ſtatus in cauſalem, & formalem, dixerat
Bonau. Bonau.in 3.d.3.a.4.his verbis. *Fateor probabile eſſe, quòd concepta fuit abſque culpa actuali parentum, non tamen ſequitur, quòd concepta fuit abſque cauſa peccati:* Si quidem in ipſo ſemine traducebatur per propagationem originale peccatum.Crediderim tamen vitium illud ſeminis ſola relatione conſiſtere,nó verò qualitate morbida,de qua re latiùs

latiùs ſcholaſtici, dũ agunt de peccato originali.

Hac facili & certa doctrina præmiſſa nulla iam ſubſiſtet difficultas in ea Bernardi ſentẽtia, quæ in ſer. 2. de Aſſumpt. quibuſdam ſcandalum fuit. Cùm enim audirent ipſum ibi dicentem de Virgine. *Quòd ſi originalem à parentibus maculam traxit, ſed minus à Ieremia ſanctificatam in vtero, aut non magis à Ioanne Spiritu ſancto repletam, credere prohibet pietas Chriſtiana.* Et poſt pauca: *Poſtremò,* (inquit) *cum omnimodo conſtet, ab originali contagio ſola gratia mundatam eſſe Mariam, (quippe cùm & nunc in Baptiſmate ſola hanc maculã lauet gratia, & ſola eam raſerit olim petra circunciſionis) vt omnino pium eſt credere, proprium Maria delictum non habuit: nihilominus ab innocentiſſimo corde etiam pœnitentia longè fuit.* Cùm, inquam, audirent Bernarnardum aſſerentem, omnimodo conſtare ab originali contagio, ſola gratia mundatam eſſe Mariam, facilè perſuaſi ſunt, nihil amplius de Bernardi mente ambigendum. Cæterùm vt ita crederemus, neceſſum eſſet, nuſquam dictum fuiſſe carnalem Conceptionem in peccato & contagio fieri; nuſquam ſemen immundum nuncupatum; & ſolam animam maculæ capacem; falsóque docuiſſe S. Thomam ineſſe ſemini quoddam vitium, & carnem fœtus maculatam eſſe, priuſquam animatur; perperam Auguſtinum id ex ſacræ Scripturæ locis planum fieri contendiſſe: malè Bonauenturam hanc Patrum doctrinam proclamaſſe. Quòd ſi propriè ſatis, & vſitatiſſimo Scripturæ ſacræ; & Patrum loquendi more ſemen, & caro ante

viuificationem immunda dicuntur; eo quòd in eis inſit peccati originalis debitum; dum Bernardus maculam originalis peccati, à qua ſit Virgo mundata, non diſtinguit, ſed ſolùm aſſerit gratia fuiſſe mundatam, minimè de macula animæ de facto contracta, loquutum diſtinctè credam.

Hæc pro his, qui abſolutè ſententiam ſuam de Conceptione Virginis exiſtimant, hoc loco Bernardum noſtrum expreſſiſſe. Certum tamen eſt, nihil ea de re definiſſe in hoc ſermone, ſed ſub conditione loquutum; quæ manifeſtè illis verbis apponitur, *Quòd ſi originalem à parentibus maculam traxit*; non enim dixit, *Quòd originalem maculam traxit*, *ſed ſi traxit*. Ex conditionali autem locutione nihil infertur. Neque verò aliud ſuo inſtituto neceſſarium erat, diſcutiebat ſiquidem cauſam, cur in lectione Euangelica aſſumptionis Virginis, nulla prorſus Lazari mentio fiat. Huic verò quæſtioni reſpondet; *Arbitror ſanè ne id quidem à propoſita ſimilitudine diſſidere. Virginalem etenim domum intelligi volens ſpiritus, ſiluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum vtique comminatur. Abſit enim, vt proprij quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuiſſe dicatur; vt in ea proinde ſcopa Lazari quæreretur*. Præmiſerat autem, domum in qua Martha ſuſcepit Dominum, B. Virginem eſſe; quam ornare ad Martham, ſolicitudine videlicet, & actione; ad Mariam autem implere ſpectabat; vacabat enim Domino, vt non eſſet domus vacans. *Sed mundationem* (ait) *cui poſſumus attribuere? Demus*

mus eam Lazaro, ſi vobis ita videtur, dico autẽ Lazarum, quem quatriduarium iam iamque fœtentem à mortuis excitat vox virtutis; vt videatur ſatis congruè formam gerere pœnitentis. Cæterùm quia inconueniens videbatur, in domũ Virginis mundatione Lazari indigere, qua deſignatur pœnitentia ab actualibus peccatis, idcirco conſultò Lazarus in Euangelica lectione Aſſumptionis prætermiſſus eſt. *Abſit enim, vt propriẏ quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuiſſe dicatur, vt proinde ſcopa Lazari quæreretur.* Sed quid dicendum, ſi contraxit originale peccatum? Erítne etiam propter eius mundationem ſcopa Lazari neceſſaria? Minimè quidem, quia originalis peccati macula, non deletur pœnitentia, ſed ſola gratia Dei; quemadmodũ & olim circũciſionis petra, & nunc aqua Baptiſmi condonatur. Hunc ſenſum habent verba illa, *Quòd ſi originalem à parentibus maculam traxit*, vt minimum negari non poteſt, quòd ante natiuitatem præ Ioanne & Ieremia ſanctificata in vtero fuit. Quandò verò addit. *Poſtremò cùm omninodo conſtet ſola gratia mundatam eſſe Mariam*, aduerbium illud *omnimodo* legendum eſt cum diuiſione media; vt ſit ſenſus, cùm omni-modo conſtet, hoc eſt; ſiue peccatum contraxerit, ſiue non, in anima, quouis modo id aſſeratur, cùm conſtet, ſola gratia mundatam eſſe, vel à peccato, vel à cõtagio debiti; non erit ſcopa Lazari neceſſaria. Quòd autem in hunc ſenſum accipi debeat, inde neceſſariò deducitur, quia ſententiam de peccato originali Virginis, nõ abſolutè, ſed ſub conditione

 propo

propoſuerat paulo antè; quare ſub eadem conditione deinceps loqui oportet,ne ſibi tam citò contraire videatur. Ex hoc igitur Bernardi de Aſſumptione ſermone,nihil deduci poteſt contra immaculatam Virginis Conceptionem,quo ſenſu nūc de Conceptione feſtum celebramus.

§. II. *Sententiam immaculatæ Conceptionis ex multis, variiſque doctrinis S. P. Bernardi deduci.*

HActenus, quibus locis Bernardus cōceptis verbis, ſententiæ de immunitate peccati originalis in Beatiſſima Virgine ſubſcripſerit, oſtendimus;nunc autem dignum ducimus,quędam inſinuare principia ab eodem ſanctiſſimo Doctore conceſſa,è quibus myſterium ipſum facile ſit deduci;vt de tanto viro credi debeat,cōſequenter ad ſua principia philoſophatū. Exordiamur ab illa fortiſſima muliere, quæ caput Draconis contritura Geneſ.3. c. à Deo promiſſa eſt:eâ ſiquidem non figuratè tantùm, ſed ad litteram,Deiparam ſignificatam fuiſſe, multis locis Bernardus docuit. Homil.2.ſuper *Miſſus eſt*, non aliam fuiſſe promiſſam eo loci contendit elegantiſſimè. Audi eius verba; *Miſſus eſt Angelus ad Virginem, non nouiter, nec fortuitò inuentam,ſed à ſæculo electam, ab Altiſſimo præcognitam, & ſibi præparatam. Scrutare ſcripturas, & proba quæ dico. Vt pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam prædixiſſe Deus videtur, quando ad ſerpentem ait:Inimicitias ponam inter te & mulierem? Et ſi adhuc dubitas,an de Maria dixerit,audi quod ſequitur:*

Bernard.

Ipſa

Ipſa conteret caput tuũ. Cui hæc ſeruata victoria eſt, niſi Mariæ? Ipſa proculdubio caput contriuit venenatum. In ſer. etiam de verbis Apocalypſis, *Signum magnum,*&c. *Vnicus,*ait, *ille ſtultus, & totius ſtultitiæ princeps, qui verè mutatus vt luna, ſapientiam perdidit in decore ſuo, ſub Maria pedibus conculcatus, & contritus miſeram patitur ſeruitutem. Nimirum ipſa eſt quondam à Deo promiſſa mulier, ſerpentis antiqui caput virtutis pede contritura: cuius ſanè calcaneo in multis verſutiis inſidiatus eſt, ſed ſine cauſa.* Rurſus ſerm. 9. ex paruis, hæc ait: *Niſi fallor hæc Virgo eſt, quæ apud Salomonem legitur: Mulierem fortem quis inueniat? Quæ adeò fortis eſt, vt illius ſerpentis caput contereret, cui à Domino dictũ eſt: Inimicitias ponam inter te & mulierẽ, ipſa conteret caput tuum.* Fatetur igitur, non aliam quàm Mariã promiſſam fuiſſe à Domino illis verbis, *ipſa conteret caput tuum*; & quod ex eo infertur, ad litterã; illud enim, *Quam tibi aliam prædixiſſe Deus videtur?* Et illud, *Cui hæc ſeruata victoria eſt, niſi Mariæ?* planè ſignificant litteralem eſſe ſenſum, cùm alius conſonus non videatur, & meritò; illud enim dici nõ potuit de Eua, quæ à ſerpente potiùs contrita eſt, nec alia præter B. Virginem deſignari poterit, cui illud conuenire queat. Sed quorsùs hæc tã longo repetita principio? nimirũ, Ex eo ſatis probari, D. Bernardum, ſi iuxta principia doctrinæ ſuæ (vt par eſt credere,) philoſophari deberet, omnino agnouiſſe myſterium præſeruationis Virginis à peccato originali. Sanè inter cętera Scripturę loca, quibus id innui videtur, hoc mihi efficaſſimũ eſt; eo præſertim quòd nõ in ſpirituali ſenſu, ſed

in litterali & rigoroſo, ſi quam vim habet, intelligi debeat. Nemo rurſus inficiabitur, quòd eo cap.3. Geneſis agitur ad litteram de peccato originali, ſeu, quod in idem recidit, de peccato primorum parentum, quod in omnes ſuos poſteros propagandum erat; & de iudicio à Deo contra Adamum, & Euam, facto, vbi pro meritis illius capitalis criminis ſententia prolata eſt, & ipſi puniti ſunt, in ſua etiam poſteritate. Imò verò inde doctrinam de peccato originali Sacroſancta Eccleſiæ Concilia, præſertim Tridentinum ſeſſione quinta canone 1. eliciunt; quippe cùm rei geſtæ ſeries inibi referatur. Quare ſi in hoc loco cùm Adamus & eius poſteritas in ipſo ſententiam ſuper originali peccato pertulit, exciperetur forſan expreſſè B. Deipara, nullus negaret, egregium eſſe præſens teſtimonium ad tantam veritatem comprobandam, & nihil aliud deſiderari oporteret. At ſi ſolùm exigitur, nunc exceptio expreſſa, manifeſtè ſatis oſtenditur ex ordine trium capitulorum ipſius ſententiæ; tot enim continet, alterum quidem contra ſerpentem, primam peccati & mali cauſam; alterum verò, id eſt, ſecundum contra mulierem Euam; tertium verò contra hominem. Cùm enim interrogatione criminis facta, liquidò conſtitiſſet, hominem allectum fuiſſe à muliere ad peccandum, mulierem verò à ſerpente deceptam, vt illa verba manifeſtant interrogantis Iudicis Dei, *Quis indicauit tibi, quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?*

dixit

dixitque Adam: Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc feciſti? quæ reſpondit: Serpens decepit me, & comedi. Hinc factum eſt, vt inuerſo ordine primùm omnium ſententiam protulerit Deus in ſerpentem, deinde in mulierem, ac demum in Adam: ſub hac forma. *Et ait Dominus Deus ad ſerpentem; quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ; ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius; ipſa conteret caput tuũ, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* En primũ ſententiæ paragraphum. Secundus autem ſubditur immediatè. *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Adæ verò dixit,* (en §. tertium) *Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane; donec reuertaris in terram de qua ſumptus es; quia puluis es & in puluerem reuerteris.* Hæc tota ſeries cauſæ & ſententiæ peccati originalis. Sed verò priuſquam in hominem & mulierem ferretur, de virgine Maria in §. 1. actum eſt, & eius de peccato victoriam cecinit ipſe Deus, illis præſertim verbis. *Ipſa conteret caput tuum*, quæ ad litteram ex Bernardi mente, de ea dicta ſunt. De quo quæſo peccato agebatur? Hauddubium de

originali; quare de eius communi contagio excipitur Maria; cuius vel illud argumento eſſe poteſt, quòd ſi in ſententia prædicta contineretur cum cæteris Euæ filiabus, ſub eius comprehenderetur maledicto; conſtat autem ſe ab eo §. prorsùs fuiſſe exceptam, nec enim illi multiplicati ſunt conceptus & ærumnæ, nec cum dolore peperit, nec à viro dominata eſt: quoad vim coactiuam & in carnali commercio: namque

Cyprian. (vt ait Cyprianus ſerm. de natiuit. Chriſti) *innoxiam affligi non decuit, nec ſuſtinebat iuſtitia vt illud vas electionis communibus laſſaretur iniuriis, quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa.* Et quod

Ildephõſus. Ildephonſus ſerm. 2. de purificat. *Ergo in qua clauſtrum pudoris integrum permanſit, nulla diſruptio interuenit, nulla vexatio carnis, nulla fœditas diræ conditionis, nullum peccatum primæ originis, vt cruciaretur, viguit.* Et

Bernard. tandem quod Bernardus ſerm. de verbis Apocalypſ. *Signum magnum. Sola ſine corruptione concepit, ſine grauamine tulit, ſine dolore filium parturiuit.* Cur igitur excipitur à ſententia mulieris, niſi quia priùs iam exceptionem acceperat in ſententia ſerpentis? Rurſus à ſententia etiam Adæ exemptam, illud probat, quod in ea ſententia præcipuum eſt, nimirum in ea contentos, in cinerem reuerſuros; Virgo autem beata in cinerem reuerſa non eſt, vt Eccleſia in die Aſſumptionis eius profitetur. Quòd ſi mortua fuit, id non ex peccati proprij debito, ſed ex conditione naturæ dono incorruptionis deſertæ, ipſi accidiſſe mihi certum eſt. Quo loci, notatione dignum

gnum iudico, Deum, qui mortem primùm cōminatus fuerat Adamo, ſi de ligno vetito ederet; cùm in illum tandem ſententiam tulit, minimè in pœnam peccati mortem vtcumque impoſuiſſe, ſed quòd in cinerem reuerteretur; vt credo ne Virginem quam exceperat in ſententia ſerpentis, videretur includere in ſententia Adami. Vnde ob eius gratiam, limitaſſe videtur Deus pœnam, quam homini fuerat comminatus: nimirum quia poſt comminationem & ante ſententiæ prolationem fuerat electa in Matrem Redemptoris, & à peccato, & eius pœnis exempta, quæ tamen ex conditione carnis, non ex ſui debito peccati moritura erat, ſed non in cinerem reuerſura. Qua de re doctum pariter & eruditum opuſculum in lucem edere parat, pro ſua incredibili doctrina, omnibus colendiſſimus Pater Fr. Lucas Quadangus, mihi verò pro ſua beneuolentia amiciſſimus: cuius laudes ſua abundè canent ſcripta, nec meo egent elogio. Dignum profectò vt deuoti immaculatæ Conceptionis propugnatores, hoc argumentum magnifaciant, quandoquidem ſuo ipſius pondere, ſatis ad litteram conuincere videtur intentum. Vtitur eo Chriſtopolitanus ſuper *Magnificat*, ad verſum, *Quia fecit*: poterítque illuſtrari doctrina illa Ruperti in commentario ſuper Abacuc, vbi exponens illud, *Percuſſiſti caput de domo impij*, aſſerit, caput impij eſſe peccatum originale: quare quod de Virgine Gen. 3. promittitur, hoc ipsū eſt, quòd nimirū ipſa percutiet caput de domo impij, ſeu conteret caput eius, peccatū videlicet Chriſtopolitan.

origina

originale : quaſi Deus tunc tẽporis, Bernardi & Auguſtini verbis, excipiens Virginem diceret; *cùm de peccatis agitur*, imò quia cauſa peccati communis modò agitatur, nullam de Beata Virgine volumus fieri mentionem.

Multa alia in Bernardi doctrinis principia ſunt, ex quibus myſterium immaculatæ Conceptionis ſatis probabiliter infertur; vt illud quod ex homilia 2. ſuper *Miſſus eſt, A ſæculo electam, ab Altiſſimo præcognitam,& ſibi præparatam.* Quid enim aliud eſt, non fortuitò fuiſſe inuentam,ſed à ſæculo electam,& præparatam,quàm præſeruatam à communi contagio, & damnatione originalis peccati? aliàs ſi cum cæteris inquinata fuit,fortuitò inter cæteros reperta fuiſſet; & minimè à ſæculo præparata.Credo quòd electio, & præparatio à ſæculo facta, illa ſit, de qua à Domino ſerpenti dictum eſt: *Ipſa conteret caput tuum.* Nam verbum illud *à ſæculo*, initium temporis denotat; initio autem temporis illud

Bernard. contigit. Concedit deinde Bernardus epiſtola ad Lugdunenſes, *id quod vel paucis mortalium cõſtat fuiſſe collatum,fas non eſſe ſuſpicari tantæ Virgini eſſe negatum*; rurſus docet, *cæteris ſanctis gratiam datam fuiſſe per partes, Mariæ verò totam ſe infudiſſe gratiæ plenitudinem*, id quod docuerunt itidem

Hieron. cõceptis verbis Hieronymus ſerm. de Aſſumpt.
Euſeb. Emiſſen. Euſebius Emiſſenus, ſeu Eucherius Lugdunenſis ſerm. de Annunt. Chryſologus ſerm. 3. eiuſ-
Chryſol. Ilde- phonſ. dem feſti, Ildephonſus ſerm. 6. de Aſſumpt. D.
Thomas in catena aurea Lucæ : conſtat autem
D.Tho. non ſolùm Angelis, ſed & ipſis primis humani generis

generis protoplaſtis id donatũ à Deo, vt in eius gratia crearentur; quare & hanc gratiam Virgini conceſſam fuiſſe, debet Bernardus iuxta principium poſitum aſſerere.

Sed & illud quod ſæpe monet, præſertim ſerm. 2. de Aſſumpt. *Vt omnino pium eſt credere, proprium Mariæ delictum non habuit, & ab innocentiſſimo corde etiam pœnitentia longè fuit*; cùm verò ob ſolam condecentiam Deiparæ id concedatur, neceſſum eſt, quod maiorem indecentiam arguit à Virgine longè ablegare. Nemo autem non videt, indecentiùs longè eſſe, quòd anima ipſius aliquo tempore inimica Dei fuerit, & ſecundùm præſentem iuſtitiam, in eius odio, quàm quòd aliquod venialiter leuiſſimũ admiſerit, præſertim ante maternitatem, quod nihilominus catholicè negat Bernardus.

Placet, & aliud adiicere quod non ſemel Bernardus confitetur, Filij Dei duo redemptionis genera, quibus nimirum non ſolùm à fimo & captiuitate in quæ ceciderant, homines liberauit, ſed Angelos quoque præſeruauit à lapſu. Nam ſerm. 1. de Circunciſ. *Idem* (ait) *& Angeli ſaluator, & hominis; ſed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.* Vlteriùs & lucidiùs ſer. 22. in Cant. *In principio ſapientia erat, erat iuſtitia, erat ſanctificatio, & redẽptio, ſed Angelis: vt eſſet & hominibus, fecit eum hæc omnia Pater. At Angelis, inquit, quomodo redemptio fuit, non video. Nec enim authoritas ſcripturarum vſpiam aſſentire videtur, eos aliquando, aut peccato extitiſſe captiuos, aut morti obnoxios, vt neceſſariam haberent redemptionem;* Bernard.

exceptis

exceptis duntaxat illis,qui ſuperbiæ,lapſu irremediabili corruentes, redimi deinceps non merentur. Si itaque Angeli nunquam redempti ſunt, alij vtique non egentes, alij non promerentes, illi quidem, quia nec lapſi ſunt, hi autem quia irreuocabiles ſunt: quo pacto tu dicis, Dominum Ieſum Chriſtum, eis fuiſſe redemptionem? En contrariorum argumentum fortius ac robuſtius, quàm ipſi vnquam formârint. ſed ſolutionem audi breuiter; *Qui erexit hominem lapſum,dedit ſtanti Angelo, ne laberetur; ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc defendens: & hac ratione fuit æque vtrique redemptio,ſoluens illum, & ſeruans iſtum. Liquet ergo ſanctis Angelis Dominum Chriſtum fuiſſe redemptionem ſicut iuſtitiam, ſicut ſapientiam,ſicut ſanctificationem.* Sed quid inde? Nimirum agnouiſſe, & prædicaſſe Bernardum,tam propriè, & rigoroſè præſeruationem à peccato eſſe ac dici redemptionem, ſicut liberationem ab ipſa peccati poſſeſſione:vt euidenter monſtrant verba illa.*Fuit æquè vtrique redemptio.* & illa etiam, *Liquet ergo ſanctis Angelis Dominum Chriſtum fuiſſe redemptionem,ſicut iuſtitiam, ſicut ſapientiam,ſicut ſanctificationem.*Quod eſt dicere;ſi negari nequit, fuiſſe propriè ſapientiam, iuſtitiam, ſanctificationem Angelis, affirmari quoque oportet propriè fuiſſe illis redemptionem, nam ſicut fuit iuſtitia, & ſanctificatio, ſic etiam fuit redemptio, *& æquè vtrique*, hoc eſt, Angelo,& homini *redemptio.* Quid eſt, *æquè* eſſe *vtrique* redemptionem,niſi quòd tam propriè & verè huic fuerit, ſicut illi? Quinimo ſi de præſtantia vtrius redemptionis quæſtio fiat,in eam

pro

propendet ſententiam, vt præſtantior ſit redemptionis modus præſeruatio à lapſu, quàm ereptio; ſed vbi hoc aſſerit? Illis profectò verbis, *Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens.* Nota, quæſo, diligenter, (lector candide) quòd ſi præferret hominis redemptionem redemptioni Angeli, oporteret conferre redemptionem Angeli cùm redẽptione hominis, quaſi cum præſtantiori, aut veriori redemptionis ſpecie: non tamen id fecit, ſed è conuerſo potiùs redemptionem hominis cõparauit redemptioni Angeli, dicens, *ſic illum*, (id eſt, hominem) *de captiuitate eruens, ſicut hunc*, (id eſt, Angelum) *à captiuitate defendens.* Priùs igitur ex mente Bernardi, redemptio de præſeruatiua dicitur, quàm de ereptiua, vt hinc liceat inferre, nequaquam ipſum potuiſſe Virgini denegare præſeruationem ab originali lapſu, quaſi id eſſet contra rationem redemptionis; imò verò is ſit præſtantior redimendi modus, & ideo dignus qui cum Deipara geſtus ſit à filio; eò vel maximè quòd conſtet, multis hunc fuiſſe conceſſum, nempe Angelis, & quidquid alicui creaturæ donatum eſt, Virgini non ſit denegatum; quod ex doctrina ipſius iam oſtendimus. Aduertendum nihilominus, quòd hoc loco non aſſeuerat Doctor mellifluus, Chriſtum Dominum ſecundùm humanitatis merita fuiſſe Angelis redemptionẽ, ſed oppoſitum ſatis expreſsè; *idem quippe Angeli Saluator, & hominis; ſed hominis ab incarnatione*, (nimirum ſecundùm carnẽ) *Angeli*

Angeli ab initio creaturæ(ſecundùm diuinitatem:) & illud, *In principio ſapientia erat, & redemptio, ſed Angelis*;(præmiſerat *in principio erat Verbum*) *vt eſſet & hominibus* (in carne) *fecit eum hæc omnia Pater.* Quia videlicet *Verbum caro factum eſt.* Cæterùm quòd fuerit, vel non fuerit Angelorum redemptio ſecundùm humanitatem, parum refert ad quæſtionem propoſitam, de perfectione redemptionis Angelorum: quòd enim quis eripiatur vel defendatur à carcere & captiuitate peccati, meritis Chriſti, vel eius liberalitate, nõ tollit, nec addit perfectionem liberationis, ſed cauſam diuerſam; cauſa verò non intrat compoſitionem formalem ſui effectus. Nam & verum habet illa Auguſt. doctrina, quam ex lib. 13. de Trinitate. c. 10. adducit D. Thomas 3. p. q. 1. ad 2. *non alium modum redemptionis humani generis Deo defuiſſe, cuius poteſtati omnia æqualiter ſubiacent, ſed ſanandæ miſeriæ noſtræ conuenientiorem modum non eſſe.* Quare fatetur potuiſſe fieri veram redemptionem ſine meritis Chriſti. Non igitur de hoc quæſtio erat Bernardo, ſed de perfectione redemptionis, in qua tamen contendit propriſſimè (imò propriùs) præſeruationem dici redemptionem.

D. Tho.

Alia argumenta ex Bernardi ſcriptis deſumi poſſent in fauorem immaculatæ Conceptionis, ſed ne in immẽſum creſcat oratio, & quoniã ea quę tetigimus ſufficienter probant propoſitum, ab illis abſtinendum duximus. Illud tamen ſilere nolumus quo ipſe epiſt. 126. vtitur, vt probet Innocentium II. non verò Anacletum fuiſ-

ſe

ſe verum Eccleſiæ Pontificem, quia nimirum ita ſibi perſuaſum habebat maior & potior Catholicorum pars, Epiſcoporum ac Principum; *Horum gloria ſpecialis* (ait ille) *& præcipuè Sanctitas, & authoritas, etiam hoſtibus reuerenda, facilè nobis, qui minorem & meriti & officij tenemus locum, aut errare ſecum, aut ſapere perſuaſit.* Si igitur, quod plures & potiores affirmant, Bernardo docente, ſequendum eſt; ergo & immaculatæ Conceptionis ſententia, in quam tota ferè Eccleſia propendet; Academiæ, Epiſcopi, ciuitates, docent, clamant, iurant, eodem præcipiente Bernardo amplectenda eſt.

§. 12. *Reuelationem de feſto Conceptionis cælitus B. Petro Conuerſo Villarienſis monaſterij factam, ad idem non leuiter conducere.*

ADdam pro coronide argumentum, quod in re morali grauis mihi ponderis iudicatur, eo enim quaſi ab effectu probatur, vnum ex præcipuis feſtiuitatis ac myſterij immaculatæ Conceptionis defenſoribus acpatronis, in conſpectu diuinæ Maieſtatis eſſe Bernardum; eiúſque meritis ac ſpecialibus interceſſionibus, eximios ſententiam hanc progreſſus in Eccleſia feciſſe. Sed vnde id deduci liceat, niſi ipſe, aut Angelus reuelauerit? Sanè ex principio illo apud Theologos vniuerſos recepto, nimirum Beatos in Verbo (ſiue id formaliter fiat in Verbo, ſiue cauſaliter, non curo) ea omnia de hoc

mundo cognoſcere quæ ad eorum ſtatum quoquomodo expectant. Sic nempe docuerunt Ec-
Auguſtinus. cleſiæ Doctores Auguſt. lib. de cura pro mortuis agenda. Hieronymus contra Vigilantiũ; &
Hieron. Gregor. Gregorius lib. 12. Moral. c. 13. Cuius verba af-
D.Th. fert D. Thomas 2.2. q. 83. art. 4. ad 2. *In Verbo,* (inquit) *Beatis manifeſtatur illud quod decet eos cognoſcere, de iis quæ circa nos aguntur.* Idem ex profeſſo docet ipſe D. Thomas 1. p. q. 89. art. vltimo, & ex hoc principio deducitur veritas illa Catholica, orationum ad Sanctos habendarum;
Concil. Trident. de qua egit Concilium Tridentinũ ſeſſione 25.
Bern. Protulit eamdem veritatem Bernardus lib. 5. de conſideratione cap. 1. ad Eugenium inquiens. *Creatura cæli videt Verbum; & in Verbo facta per Verbum,* &c. Concedunt deinde Theologi, omnes religionum Protoparentes ea vel maximè videre in cælo, quæ ad filios ſuos pertinent; nam hæc propriè ad ſtatum ſuum pertinere noſcuntur, & hæc decet eos cognoſcere de iis, quæ circa nos agũtur. Neque verò hæc notitia filiorum eis conceditur, tanquam pro vana & inutili curioſitate, abſit hæc à Beatis, ſed quoniã officium Patroni, ad quod Deo diſponente electi fuerunt, cura ſequitur pro ipſis intercedendi:
Bern. Quàm pulchrè Bernardus de S. Malachia ad Hibernos ſcribit, in epiſtola de tranſitu eius; *Vtilitatis propriæ conſideratio, exultandum nobis ſuggerit, & lætandum, quòd tam potens ſuos Patronus ad cæleſtem Curiã, tam fidelis præceſſerit aduocatus; cuius & feruentiſſima charitas obliuiſci nequeat filiorum, & probata ſanctitas obtineat gratiam apud*

I *Deum.*

Deum. De eo itidem in alio ſermone Monachis ſuis loquens, *Lætemur* (inquit) *& exultemus quia cæleſtis illa curia ex nobis habet, cui ſit cura noſtri; qui ſuis nos protegat meritis, quos informauit exemplis, miraculis cōfortauit.* Sed & de ſancto Victore ſer. 2. *Bonus mediator, qui ſibi iam poſtulans nihil, totum in nos transferri deſiderat, & ſupplicantis affectum, & ſupplicationis fructum.* Quod ſi religionum omnium Patriarchæ tam ſingularem ſuorum curam gerunt, hauddubium, quin meritis & intercesſionibus illorum attribuendum eſt, quidquid gratiæ, quidquid fauoris cæleſtis in filios è cælo deriuatur: & multo magis profectus omnes ſuorum ordinum illis imputari oportet. Quis neget Benedicti intercesſionibus ac meritis, ordinem ſuum per vniuerſum Orbem dilatatum; Franciſcique, & Dominici orationibus dandum (vt idem de Ignatio, & cæteris dictū ſit) quidquid gratiæ in filios deſcendit? Id ſi de cæteris ordinum Patriarchis verum eſt, (imò quoniam verum eſt) idem de Bernardo, & ſuis Ciſtercienſibus concedi oportet.

Verùm quorſum hæc tam lōgo principio repetita? Nimirum vt orationibus Bernardi tribuatur, quòd Virgo Beatiſſima Petrum Villarienſis monaſterij Conuerſum ſua ſit præſentia plerumque dignata, ipsúmque non ſemel monuerit de Conceptionis ſuæ feſto celebrando. Rem geſtam narrant antiqua eiuſdem Cœnobij MS. Chronica, ex quibus Gallico idiomate eam cū vita eiuſdē ſancti Conuerſi deſcripſit Ioan. de Aſſignies lib. 3. tomo 2. Virorū illuſtriū Ioan. de Aſſign.

Ciſtercienſis ordinis apud Carolum Michaëlem in Montibus Hanoniæ anno Domini M. D C. I I I. typis excuſus. Breuiter, quia ſcitu digniſſima eſt, ego narrabo, ſub verbis ipſius, pro fide meliùs concilianda. *Tertia die à feſto S. Nicolai, Cœlorum Regina, Angelorum Domina, & Ciſtercienſis Ordinis aduocata ſpecialis, apparuit ipſi Petro, & dixit: Fili mi, dies iſta dedicata eſt vni ex meis feſtiuitatibus; expedit igitur, vt in ea ſpecialiùs meis laudibus intentus aſſiſtas, quàm in aliis diebus. Ille verò reſpondit: O Domina mea, hactenus ignoraui feſtiuitatem iſtam; deinceps tamen, vita comite eam memoriæ mandabo, ac deuotè, quoad deſuper datum fuerit, celebrabo. Facta autem inquiſitione, accepit diem illam, tertiam à S. Nicolai feſtiuitate, id eſt,* 8. *Decembris, in Kalendariis conſecratam eſſe Conceptioni eiuſdem Virginis: quare eam ſingulis annis deinceps celebrare curauit, ſingulari quodam affectu lætitiæ, & deuotionis. Sed quo fructu? Plerumque in ea feſtiuitate reuelationibus, ac conſolationibus cæleſtibus donatur à Domino, quæ verbis exprimi nequeunt. Quadam die Conceptionis, dum in Eccleſia exercitiorum ſuorum gratia intereſſet, ſubitò raptus in ſpiritu, ad Domini Ieſu Chriſti, & eius ſanctiſſimæ Matris conſpectum adductus eſt. Ibi monet eum Dominus ne deſiſtat ab incepta deuotione, & quam erga Virginem Matrem ſuam gerebat, fidelitate; & quòd pro certo ſciat ſibi gratiſſimam rem facere, præfatum ſeruitium, & honorem impendens Matri ſuæ.* En Conceptionis hiſtoriam & reuelationem, imò reuelationes multas ſcitu digniſſimas, non ex apocryphis deductas, ſed ex grauiſſimis

uiſſimis Chronicis Villarienſis monaſterij, quæ in eo ad memoriam tantam conſeruantur; quærunt autem nunc, an eas viderit Bernardus in Verbo, nécne? Cùm verò id inficiari nequeat, eo quòd conuerſo, ſeu religioſo ſui ordinis factæ ſint, & ad ſuum ſtatum pertineret, ſcire, & intercedere pro ipſo, conſequens eſt, vt fateamur Bernardum in eis magnopere complacuiſſe: quinimo ſua interceſſione effectum eſſe, vt ei ſancta Deipara Conceptionis ſuæ reuelaret feſtiuitatem, & quotannis cæleſtibus refocillaretur dapibus in eadem ſolemnitate.

Addam & grauiſſimam de ordinis Conceptionis initio hiſtoriæ Coronidem, qua intentum ipſum validè cõprobatur. Namque ſi quoduis ſui ordinis augmentum meritis & orationibus ipſius Bernardi adſcribendum eſt; & magnum ordinis augmentum ſit denuò integra quadam congregatione, imò & ordine donari, quod ex eo ortum ſit; negauit nemo, erectionem ordinis immaculatæ Conceptionis, ſi ſub inſtituto Ciſtercienſi facta fuiſſet, meritis ac interceſſione magni Patris Ciſtercienſium Bernardi, tribui oportere: & conſequenter tam longè abeſſe ab opinione quæ illi vulgo imponitur, quòd ipſe inter ſanctos defenſores immaculatæ Conceptionis ſit præcipuus. Et ſi inquireret quis, cur potiùs ſub inſtituto D. Bernardi ordo Conceptionis, quàm ſub alio cæterorum fundatus ſit, illud occurrit, quòd cùm Bernardus ſibi vulgo tribui videret, quod minimè docuerat; haberíque tanquam præcipuũ impugna-

torem immaculatæ Conceptionis, cùm tamen longè alio ſenſu,æuo ſuo,Conceptionis nomen eſſet in vſu,& ſolam carnalem fuiſſe in peccato contendiſſet; idcirco orationibus obtinuit à Deo,eiúſque ſancta Deipara,quatenus nouus ille ordo, qui ad ſpecialem venerationem immunitatis Virginis ab originali peccato decretus erat à Deo, ſub inſtituto ordinis Ciſtercienſis erigeretur,quò tandē omnes agnoſcerent,ipſum eſſe tanti myſterij Doctorem, ac Patronum.

Cæterùm vnde haberi poterit, Conceptionis Ordinem,Ciſtercienſiū prolem fuiſſe,qui hodie ad Seraphici Patris filios ſpectare dubiū nō eſt? Non aliunde quàm ex Pontificiis litteris erectionis ipſius à bonæ memoriæ Innoc. VIII. editis, & ex diplomatibus trium aliorum Summorum Pontificum Alexandri VI. Iulij II. ac Leonis X. quibus ipſius erectionis agitur memoria. Et quoniam res eſt ſcitu digniſſima, & quæ cū Bullis erectionis miracula patrata ſunt, magnopere immaculatæ Conceptionis veritatem commendant, cedúntque in gloriam Bernardi, ſub cuius inſtitutis Ordo ipſe fundatus eſt, placet breuiter eiuſdem primordia commemorare, ex hiſtoria manuſcripta quæ in archiuis primi monaſterij, (id eſt, Toletani) extat, cuius copiam à Monialibus ipſius accepi.

§. 13. *Bernardi, vt creditur, precibus ſpecialem Ordinem immaculatæ Conceptionis fundatum in Eccleſia, ſub eiuſdem Bernardi inſtituto.*

Quo

QVo tempore in Caſtella & Legione feliciter Ioan. I I. moderabatur habenas Regni, ſanguine nobilis,ac pariter moribus Beata Virgo, Beatrix de Sylua incredibili pulchritudinis laude florebat:erat verò in Palatio Regis,vtpote quæ cum Regina Eliſabetha, Ioannis infantis Portugalliæ filia inde in Caſtellã deſcenderat, ſanguine quoque Regio nobilitata.Cùm autem ob egregias corporis & animæ dotes Regi Ioãni eſſet chariſſima, & ab vniuerſis magnatibus celebraretur, Regina zelotypia ducta, ac furore percita,quo Beatricẽ à Regis conſpectibus reiiceret,in arcã quandam velut in carcerẽ,imò verò ſepulchrũ trudit inſontẽ.Neque enim publico carceri tradi licuit,ne re palã patrata à Rege impediri poſſet. Eò Beatrix ergaſtulo detenta (mirum dictu) toto triduo ſine cibo,ac potu,ac penè reſpiratione vitali impedita,cæleſti tamen pabulo cõſolata perſeuerat.Miſſis nãque ad Beatã Deiparã precibus,cuius immaculatæ Conceptionis impensè laudibus dedita erat, exaudiri meruit,& præsẽtia eiuſdẽ Virginis Dei Genitricis donari.Signũ tunc magnũ apparuit in terra, mulier amicta Sole,& Luna ſub pedibus eius,& in capite eius corona ſtellarũ duodecim: veſtimentũ albũ ſicut nix, palliũ ſapphirini coloris, quaſi cælũ cùm ſerenũ eſt.Erat,hoc habitus futuri ſororum Cõceptionis exemplar,quod Beatrici mõſtrabatur in monte; quatenus ordinem poſtmodũ inſtitutura, cuncta diſponeret ſecundùm exemplar quod ſibi in monte monſtratum fuerat:& ne res tanta digna memoria laberetur,

iterum ſimili habitu & coloribus ſibi Beata Dei Genitrix viſa fuit, aliquot tamen tranſactis annis. Poſtriduum inuſitatæ reclusionis iterũ reddita ſibi, Palatium & Curiam pariter dimittens (erant verò eo temporis Reges in Turreſellarum, Caſtellæ veteris oppido) Toletum verſus, iter arripit, quo in itinere diuos Franciſcum, & Antonium meruit habere comites, & conſolatores, à quibus futuri ordinis à ſe fundandi nobile vaticinium accepit. Toletum tandem perueniens, monaſterium S. Dominici *Antiqui* nuncupati, intrauit, ibíque miris omnium virtutum exercitiis addicta, triginta permanſit annos, donec Conceptionis puriſſimæ Virginis deuotione inflammata, Sereniſſimæ Eliſabethæ Reginæ Catholicæ prædictorum Regum filiæ, ac Ferdinandi vxoris, conſilio, & auxilio, Ordinẽ nouum inſtituere meditata, Virginũ, quæ habitu exemplaris ſui veſtitæ, cunctis diebus immaculatæ Conceptionis laudes canerent; Romam miſſis nuntiis, ac Regiis litteris cũ Innocentio VIII. Romanæ tunc ſedis Pontifice de eius erectione, ac confirmatione actum eſt. Cæterùm cùm per triginta annos cum Virginibus Ciſtercienſibus Cœnobij S. Dominici Silenſis, ſeu Antiqui, deguiſſet, S. Bernardi, & Ordinis ſui amore correpta, ſub eius inſtitutis voluit nouum ſuum Ordinem inſtituere. Sic prorſus Pontifici ſupplicatum ipſe narrat in Bulla. *Pro parte* (inquit) *eiuſdem Beatricis aſſerentis ſe de nobili genere procreatam eſſe, ac ipſam, & mulieres prædictas Ordinem Ciſtercienſem, ad quem ſingularem gerunt*

deuo

deuotionis affectum, velle profiteri, nobis fuit humiter ſupplicatum vt in dicta domo, monaſterium monialium dicti ordinis, ſub inuocatione Conceptionis huiuſmodi, cum dignitate Abbatiſſali erigere dignaremur. Et inferiùs, *Mandamus quatenus in dicta domo vnum monaſterium ordinis Ciſtercienſis ſub inuocatione Conceptionis huiuſmodi auctoritate noſtra erigatis.*

Interim ſpe confirmationis accipienda concepta de Toletani Archipræſulis conſenſu Beatrix cum nonnullis ſororibus Ciſtercienſibus monaſterij S. Dominici, Regiis Palatiis de Galliana nuncupatis includitur,& noui ordinis fūdamenta iacit. Vbi cùm die quodam ad rotam monaſterij cum œconomo de rebus monaſterij agens (erat verò 30. Aprilis die anni 1489.) à nuntio ſeu peregrino Romano requiritur, & quod bono ſit animo iubetur,quoniam erectionis ſui Ordinis diploma expeditum iamiam erat Romæ. Colloquebatur Beatrix nuntio,quam tamen œconomus coram conſiſtens nec videbat, nec audiebat, quare cùm œconomo Virgo deuota committeret,vt de eius hoſpitio,ac gratificatione curaret, Angelum Dei eſſe inuiſibilem probatum eſt, & ſuo pòſt tempore comprobatū,quòd ea ipſa boni nuntij die diploma expeditum fuerat, quod ex notis ipſius liquet:creditum verò Raphaëlem fuiſſe, cui Beatrix negotium commiſerat.

Nouo maioríque miraculo Conceptionis diploma nobilitatum eſt. Poſt tres menſes gaudij, triſtis ſuperuenit Toletum nuntius,litteras tan-

diu deſideratas in mari cum triremi eam vehẽte ſubmerſas; orta ſiquidem tempeſtate animæ ſolæ beneficio Dei ſaluæ factæ fuerant. Quo nuntio accepto, ſancta virgo lachrymabunda, & mœrens cubiculo recluditur, ibíque toto triduo in oratione, ac lachrymis perſeuerat. Sed corde, Dei munere ſerenato, ſpéque in Deum concepta, cùm ab oratione ad actionem tranſitum facere properat, clauſam diu aperit arcam, ibíque (ô magna Immaculatæ Conceptionis commendatio) diploma complicatum reperit, quod pelagi vorago abſorbuerat; & tam ſanum ac ſiccum, ac ſi guttam omnem aquæ neſciret. Cæterùm ne ſibi nimium credula videretur, Epiſcopum Accitanum eo temporis Toleti degentem, ac ſibi familiarem conuocat, qui inſpecta veritate, & miraculo Ordinarij auctoritate comprobato, certiores de eo Reges Catholicos fecit: & totum populum in laudes Immaculatæ Conceptionis excitans, ſolemnem Toleti celebrauit proceſſionem, in qua primatis Eccleſiæ Canonici, canticum, *Te Deum laudamus*, proclamantes, & toto populo præeunte, ſubſequebatur Accitanus Antiſtes, Pontificalibus paramentis indutus, miraculoſum in manibus geſtans diploma; ſicque à ſancta Eccleſia ad monaſterium Cõceptionis itũ eſt; vbi publicè miraculo recitato, Beatrix & ſorores eius noui ordinis habitum ſolemniter acceperunt: diploma verò ad ſacrariũ, inter Martyrũ reliquias ſacras poſitum fuit; quo loco hodiéque venerabiliter aſſeruatur, & hiſtoria rei geſta in archiuo
monaſte

monaſterij. Quis neget nobili augmento ordinis huius, & miraculis in eius confirmationem editis nobilitatum magnopere ſacrum Bernardi inſtitutum? Et eius precibus cuncta tribuenda, in latius præloquuti ſumus. Nec te fraudatum velim, Lector Candide, tanto diplomate, quod dignum iudicabunt omnes perpetuâ luce, & memoria.

Copia Breuis Apoſtolici ſuper erectione Ordinis immaculatæ Conceptionis.

INnocentius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Caurenſi, & Canariẽſi,* Epiſcopis ac dilecto filio officiali Toletano, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. *al. Cathaniẽſi.

Inter innumera diuinæ Maieſtati accepta opera, fundare cœnobia, ac religioſa loca, in quibus prudentes Virgines acceptis lampadibus ſe præparent obuiam ire ſponſo Chriſto Ieſu, ac gratum, & ſedulum illi exhibeant famulatum, non modicum reputantes: piis deuotarum perſonarũ deſideriis, per quæ cœnobia & loca ipſa fundari, & erigi valeant, libenter annuimus, & earum humiles preces exaudimus. Sanè pro parte dilectæ filiæ Beatricis de Sylua mulieris Toletanæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd olim chariſſima in Chriſto filia noſtra Eliſabeth Caſtellę, ac Legionis Reginę illuſtris; ob ſingularem quem ad Conceptionem B. Mariæ Virginis gerit deuotionis affectum, vnam maximam domum *Palacios Galliana* nuncupatã

in

in ciuitate Toletana conſiſtentem,ad ipſam Reginam legitimè pertinentem, in qua vna antiqua Eccleſia,ſiue Capella ſub inuocatione Sanctæ Fidis eſt conſtituta, præfatæ Beatrici cupiēti vitam ducere regularem, ad effectum, vt ibi vnum monaſterium alicuius ordinis approbati ad honorem eiuſdem Conceptionis erigeretur: in quo dicta Beatrix & aliæ deuotæ mulieres eius ſodales, ſub regulari obſeruantia viuerent, ac Altiſſimo, & eidem B. Mariæ famularentur, liberaliter & gratioſè conceſſit,& donauit;ipſáque Beatrix & mulieres Conceptionis,& donationis huiuſmodi vigore, dictam domum receperunt, & illam ex tunc in communi viuentes, & eidem Altiſſimo,ac B. Mariæ famulantes inhabitarunt, prout habitant de præſenti, ea tamen intentione,quòd dictum monaſterium inibi erigeretur. Quare pro parte eiuſdem Beatricis, aſſerentis ſe de nobili genere procreatam eſſe, ac ipſam & mulieres prædictas ordinem Ciſtercienſem, ad quem ſingularem gerunt deuotionis affectum, velle profiteri, nobis fuit humiliter ſupplicatum,vt in dicta domo monaſterium monialium dictum ordinis ſub inuocatione Conceptionis huiuſmodi, cum dignitate Abbatiſſali, campanili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis,hortiliciis, & aliis neceſſaris officinis, in quo in communi,& ſub regulari obſeruantia, ac perpetua clauſura viuant, erigere; illíque dictam Eccleſiam ſiue Capellam pro Eccleſia, ſiue Capella aſſignare; aliáſque in præmiſſis opportunè prouidere de
beni

benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui diuini cultus augmentum, religionis propagationem, & animarum ſalutem noſtris potiſſimè temporibus, ſupremis deſideramus affectibus, pium & laudabile propoſitum Reginæ, & Beatricis prædictarum plurimùm in Domino commendātes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati; nec non conſideratione ipſius Reginæ nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrûm, in dicta domo vnum monaſterium eiuſdem ordinis Ciſtercienſis ſub inuocatione Conceptionis huiuſmodi; cum dignitate Abbatiſſali, campanili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortiliciis, & aliis neceſſariis officinis, pro vna Abbatiſſa; quæ aliis præſit monialibus dicti ordinis, ac Beatrici, & mulieribus inibi nunc ſecum degentibus, ſi profiteri voluerint, quæ in communi, ac ſub regulari obſeruantia, & perpetua clauſura viuant, & quæ ac monaſteriū huiuſmodi prout S. Dominici Toletani dicti ordinis, *El viejo* nuncupatum, ac nonnulla alia eiuſdem Ordinis monaſteria, locorum ordinariis ſunt ſubiecta, Archiepiſcopo Toletano pro tempore exiſtenti ſubiiciantur, aliàs ſine alicuius præiudicio & iure parochialis Eccleſiæ ac cuiuſlibet alterius in omnibus ſemper ſaluo: auctoritate noſtra erigatis, dictámque Eccleſiā, ſiue Capellam illi pro Eccleſia perpetuò aſſignetis, ac Abbatiſſæ dicti monaſterij pro tempore exiſtenti, & illius conuentui, quod aliqua ſtatuta

tuta,& ordinationes laudabilia & honeſta, ſacris canonibus non contraria, quæ moniales in dicto monaſterio pro tempore degentes perpetuò obſeruare teneantur, etiam circa electionẽ Abbatiſſæ, tam hac prima vice, quàm deinceps perpetuis futuris temporibus, faciendi, concedere poſſint,licentiam concedatis, & quòd Abbatiſſa pro tempore exiſtens,& moniales præfatæ veſtem albam cum ſcapulari etiam albo, & deſuper mantellum coloris cæleſtis; in quibus quidem mantello & ſcapulari, imago B. Mariæ affigatur, deferre;ac cingulo cannabis ad inſtar fratrum Minorum cingi debeant;at in horis canonicis iuxta morem Romanæ Eccleſiæ dicendis,in hunc modum; videlicet quòd Dominicis in quibus aliqua hiſtoria inchoata,ſiue officium Dominicæ de neceſſitate dici debet, & quibus feſta duplicia, & ſemiduplicia & ſolemnia celebrantur, diebus etiam ferialibus,quibus officiũ feriale omitti non poteſt, ac octauis ipſarum feſtiuitatum duntaxat exceptis; omnibus aliis diebus per totum annum, Horas canonicas maiores,& officium diuinum de huiuſmodi Conceptione dicere; & vt præfatis exceptis diebus, in quibus Horæ maiores de Dominica; vel feria, aut feſto dici debent,Horas minores,& officium paruum B. Mariæ, cum Antiphonis,verſiculis, Capitulis, & orationibus de eadẽ Conceptione dicere debeant:ac ſingulis ſextis feriis & per Aduentũ Domini,ac aliis diebus, quibus alij Chriſti fideles ad ieiunandũ ſunt adſtricti, ieiunare teneantur,& ad alia ieiunia nõ obligẽ-

tur,

tur,ac cùm, ſicut aſſeritur; dicta Ciuitas à mari per ſeptē dietas,& vltrà diſtet,ac piſciū penuria in ea cōtinuè vigeat,carnibus omni tēpore,prę-terquā diebus ieiuniorū huiuſmodi,ac Sabbati, ac quartis feriis veſci, ac Abbatiſſa pro tempore exiſtēs de cōſilio monialiū ſibi pro tempore in conſiliis aſſiſtentiū,ſecum & cum aliis monialibus dicti monaſterij ſuper ieiuniis,ad quę ex ſtatuto,& ordinatione præſentibus, nō autē ex iuris diſpoſitione obligabuntur;& lineis indumētis,cùm viderit expedire; ac quoſcunque preſbyteros ſæculares, vel de licentia ſuorū ſuperiorū,cuiuſuis ordinis regulares in earū confeſſores, ad celebrandum eis Miſſas, & alia diuina officia ac Eccleſiaſtica ſacramenta eis miniſtrandū,qui Abbatiſſæ & cuiuſlibet monialiū in eodem monaſterio pro tēpore exiſtentiū confeſſionibus diligēter auditis, eis in ſingulis ſedi Apoſtolicę reſeruatis caſibus ſemel dūtaxat in vita; in aliis quoties fuerit opportunū,pro cōmiſſis de abſolutionis debito beneficio prouidere, ac pœnitētiam ſalutarē iniūgere; necnō ſemel in vita & in mortis articulo plenariā omniū ſuorū peccatorū,de quibus corde contritæ & ore cōfeſſæ fuerint,remiſſionem;cuilibet earū in ſinceritate fidei, vnitate S. Romanæ Eccleſiæ,ac obedientia, & deuotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium perſiſtentibus concedere valeant, eligere poſſint; quódque nullus abſque Abbatiſſæ pro tempore exiſtentis expreſſa licentia clauſtra dicti monaſterij ingredi poſſit

ſub

ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam eo ipſo contra faciens incurrat, eadem auctoritate ſtatuatis, & ordinetis. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dicti ordinis, iuramento, confirmatione Apoſtolica, aut quauis firmitate alia roboratis, cæteríſque contrariis quibuſcumque. Nos enim ſi erectio huiuſmodi per nos vigore præſentium fieri contigerit, vt præfertur, Abbatiſſæ ac Monialibus præfatis de cætero perpetuis futuris temporibus, vt Quadrageſimæ & aliis diebus, quibus ſtationes in Eccleſiis Vrbis & extra eam celebrantur, aliqua Altaria, in Eccleſia dicti monaſterij viſitando, & ante illam genibus flexis ter orationem Dominicam & toties ſalutationem Angelicam deuotè dicendo, eaſdem indulgẽtias conſequantur, quas conſequerentur ſi Eccleſias prædictas viſitarent; ac omnibus & ſingulis gratiis, priuilegiis, & exemptionibus aliis dicti ordinis; per ſedem prædictam in genere conceſſis vti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè poſſint & debeant, Auctoritate Apoſtolica tenore earundem præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Datis Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXXXIX. Pridie Kalendas Maij, Pontificatus noſtri anno V.

Poſt aliquot annos ab Alexandro VI. Ordo iſte ad S. Franciſci inſtituta tranſlatus fuit; ac tandem ab eis ad nouam regulam tranſiit, quam ſororibus Conceptionis Iulius II. dictauit, an-

no

no 8. ſui Pontificatus & Chriſti Domini 1511. in qua de indumentis agens, clarè Pontifex tantus myſterium Conceptionis immaculatæ profitetur; ait enim, *Pallium ſit groſſi panni, ſeu ſtaminea hyacinthini coloris, propter myſticam ſignificationem, videlicet, quòd Glorioſa Virginis anima, à creatione ſua, tota facta fuit cæleſtis & ſingularis, Regis æterni thalamus.* Fuſiùs de ordinis eiuſdem progreſſu egimus in hiſtoria ipſius.

Poſſem & alia, quæ faciunt in commendationem myſterij immaculatæ Cóceptionis & feſtiuitatis, afferre, quę meritis ac precibus Bernardi omnimodis adſcribenda: vt quòd B. Brigitta, cui myſterium clariſſimè reuelatum fuit, lib. 6. cap. 44. & lib. 5. in fine, ſpiritum Prophetiæ acceperit in monaſterio de Aluaſtra ordinis S. Bernardi, vt conſtat ex eius vita apud Surium tomo 4. die 23. Iulij; & quòd de ea dictum fuerit cælitus B. Gerechino eiuſdem domus Conuerſo, *Noli mirari; eſt enim hæc amica Dei; atque ea de cauſa hùc venit, vt in hoc monte flores colligat,* (id eſt, veritates reuelatas) *è quibus multi etiam vltra mare, & in extremis orbis partibus degentes accipient medicinam:* & quòd vniuerſalis Doctor Alanus Ciſtercienſis Conuerſus toto orbe celeberrimus, (de quo epitaphium ſepulcrale clamat,

Qui duo, qui ſeptem, qui totum ſcibile ſciuit:
nimirum vtrumque ius, & ſeptem liberales artes, Theologiam, & ſcientias omnes) myſterium immaculatæ Conceptionis docuerit, ſcribens in Anticlaudiano, de B. Virgine,

M *Neſcia*

Neſcia ſpineti florens roſa, neſcia culpa:
Gratia fons, expers limi, lux nubila pellens.

& quòd multi eius Ordinis Doctores eidem veritati ſubſcripſerint. Mitto, inquam, hæc omnia, ne in immenſum oratio tendat; ſi tamen lectores meos monuerim, immaculatam Virginis Conceptionem cordialiter in toto Ciſtercienſi Ordine venerari; & in monaſteriis ſpecialiter Congregationis obſeruantiæ Regnorum Hiſpaniarum, vbi cum religionis obſeruantia, omnes ſcientiæ mirum in modum florent, per omne ſabbatum proceſſionem fieri in honorem Conceptionis, quò deuotionis ſui Patris Bernardi erga Beatiſſimam Dei-Genitricem hæredes eſſe videantur.

ANSEL

ANSELMVS
VINDICATVS
A VVLGARI SENTENTIA,

quæ illi in controuerſia de immaculata Virginis Conceptione imputari ſolet.

Labore & induſtria Fr. Franciſci Biuarij Mantuæcarpentanei, Ciſtercienſis Monachi, ac in Romana Curia pro alma Congregatione S. Bernardi de obſeruantia Hiſpaniæ Procuratore Generali.

Pio ac Beneuolo

LECTORI
VINDEX.

NIHIL in gratiam celebritatis Conceptionis Virginis beatiſſimæ æquè conducere crediderim, quã Anſelmum vindicare, eiúſque pro eadem Conce-

torem immaculatæ Conceptionis, cùm tamen longè alio ſenſu,æuo ſuo,Conceptionis nomen eſſet in vſu,& ſolam carnalem fuiſſe in peccato contendiſſet; idcirco orationibus obtinuit à Deo,eiúſque ſancta Deipara,quatenus nouus ille ordo, qui ad ſpecialem venerationem immunitatis Virginis ab originali peccato decretus erat à Deo, ſub inſtituto ordinis Ciſtercienſis erigeretur,quò tandẽ omnes agnoſcerent,ipſum eſſe tanti myſterij Doctorem, ac Patronum.

Cæterùm vnde haberi poterit, Conceptionis Ordinem,Ciſtercienſiũ prolem fuiſſe,qui hodie ad Seraphici Patris filios ſpectare dubiũ nõ eſt? Non aliunde quàm ex Pontificiis litteris erectionis ipſius à bonæ memoriæ Innoc. VIII. editis, & ex diplomatibus trium aliorum Summorum Pontificum Alexandri VI. Iulij II. ac Leonis X. quibus ipſius erectionis agitur memoria. Et quoniam res eſt ſcitu digniſſima, & quæ cũ Bullis erectionis miracula patrata ſunt, magnopere immaculatæ Conceptionis veritatem commendant, cedúntque in gloriam Bernardi, ſub cuius inſtitutis Ordo ipſe fundatus eſt, placet breuiter eiuſdem primordia commemorare, ex hiſtoria manuſcripta quæ in archiuis primi monaſterij, (id eſt, Toletani) extat, cuius copiam à Monialibus ipſius accepi.

§. 13. *Bernardi, vt creditur, precibus ſpecialem Ordinem immaculatæ Conceptionis fundatum in Eccleſia, ſub eiuſdem Bernardi inſtituto.*

Quo

QVo tempore in Caſtella & Legione feliciter Ioan. I I. moderabatur habenas Regni, ſanguine nobilis,ac pariter moribus Beata Virgo, Beatrix de Sylua incredibili pulchritudinis laude florebat:erat verò in Palatio Regis,vtpote quæ cum Regina Eliſabetha , Ioannis infantis Portugalliæ filia inde in Caſtellã deſcenderat, ſanguine quoque Regio nobilitata. Cùm autem ob egregias corporis & animæ dotes Regi Ioãni eſſet chariſſima , & ab vniuerſis magnatibus celebraretur, Regina zelotypia ducta, ac furore percita,quo Beatricẽ à Regis conſpectibus reiiceret,in arcã quandam velut in carcerẽ,imò verò ſepulchrũ trudit inſontẽ.Neque enim publico carceri tradi licuit,ne re palã patrata à Rege impediri poſſet. Eò Beatrix ergaſtulo detenta (mirum dictu) toto triduo ſine cibo,ac potu,ac penè reſpiratione vitali impedita;cæleſti tamen pabulo cõſolata perſeuerat.Miſſis nãque ad Beatã Deiparã precibus,cuius immaculatæ Conceptionis impensè laudibus dedita erat , exaudiri meruit,& præsẽtia eiuſdẽ Virginis Dei Genitricis donari.Signũ tunc magnũ apparuit in terra, mulier amicta Sole,& Luna ſub pedibus eius;& in capite eius corona ſtellarũ duodecim ; veſtimentũ albũ ſicut nix , palliũ ſapphirini coloris, quaſi cælũ cùm ſerenũ eſt.Erat,hoc habitus futuri ſororum Cõceptionis exemplar,quod Beatrici mõſtrabatur in monte; quatenus ordinem poſtmodũ inſtitutura, cuncta diſponeret ſecundùm exemplar quod ſibi in monte monſtratum fuerat:& ne res tanta digna memoria laberetur,

iterum ſimili habitu & coloribus ſibi Beata Dei Genitrix viſa fuit, aliquot tamen tranſactis annis. Poſtriduum inuſitatæ recluſionis iterū reddita ſibi, Palatium & Curiam pariter dimittens (erant verò eo temporis Reges in Turreſellarum, Caſtellæ veteris oppido) Toletum verſus, iter arripit, quo in itinere diuos Franciſcum, & Antonium meruit habere comites, & conſolatores, à quibus futuri ordinis à ſe fundandi nobile vaticinium accepit. Toletum tandem perueniens, monaſterium S. Dominici *Antiqui* nuncupati, intrauit, ibique miris omnium virtutum exercitiis addicta, triginta permanſit annos, donec Conceptionis puriſſimæ Virginis deuotione inflammata, Sereniſſimæ Eliſabethæ Reginæ Catholicæ prædictorum Regum filiæ, ac Ferdinandi vxoris, conſilio, & auxilio, Ordinē nouum inſtituere meditata, Virginū, quæ habitu exemplaris ſui veſtitæ, cunctis diebus immaculatæ Conceptionis laudes canerent; Romam miſſis nuntiis, ac Regiis litteris cū Innocentio VIII. Romanæ tunc ſedis Pontifice de eius erectione, ac confirmatione actum eſt. Cæterùm cùm per triginta annos cum Virginibus Ciſtercienſibus Cœnobij S. Dominici Silenſis, ſeu Antiqui, deguiſſet, S. Bernardi, & Ordinis ſui amore correpta, ſub eius inſtitutis voluit nouum ſuum Ordinem inſtituere. Sic prorſus Pontifici ſupplicatum ipſe narrat in Bulla. *Pro parte* (inquit) *eiuſdem Beatricis aſſerentis ſe de nobili genere procreatam eſſe, ac ipſam, & mulieres prædictas Ordinem Ciſtercienſem, ad quem ſingularem gerunt*

deuo

deuotionis affectum, velle profiteri, nobis fuit humiliter ſupplicatum vt in dicta domo, monaſterium monialium dicti ordinis, ſub inuocatione Conceptionis huiuſmodi, cum dignitate Abbatiſſali erigere dignaremur. Et inferiùs, *Mandamus quatenus in dicta domo vnum monaſterium ordinis Ciſtercienſis ſub inuocatione Conceptionis huiuſmodi auctoritate noſtra erigatis.*

Interim ſpe confirmationis accipienda concepta de Toletani Archipræſulis conſenſu Beatrix cum nonnullis ſororibus Ciſtercienſibus monaſterij S. Dominici, Regiis Palatiis de Galliana nuncupatis includitur,& noui ordinis fũdamenta iacit. Vbi cùm die quodam ad rotam monaſterij cum œconomo de rebus monaſterij agens (erat verò 30. Aprilis die anni 1489.) à nuntio ſeu peregrino Romano requiritur, & quod bono ſit animo iubetur,quoniam erectionis ſui Ordinis diploma expeditum iamiam erat Romæ. Colloquebatur Beatrix nuntio,quam tamen œconomus coram conſiſtens nec videbat, nec audiebat, quare cùm œconomo Virgo deuota committeret,vt de eius hoſpitio,ac gratificatione curaret, Angelum Dei eſſe inuiſibilem probatum eſt, & ſuo pòſt tempore comprobatũ,quòd ea ipſa boni nuntij die diploma expeditum fuerat, quod ex notis ipſius liquet:creditum verò Raphaëlem fuiſſe, cui Beatrix negotium commiſerat.

Nouo maiorique miraculo Conceptionis diploma nobilitatum eſt. Poſt tres menſes gaudij, triſtis ſuperuenit Toletum nuntius,litteras tan-

diu deſideratas in mari cum triremi eam vehẽte ſubmerſas; orta ſiquidem tempeſtate animæ ſolæ beneficio Dei ſaluæ factæ fuerant. Quo nuntio accepto, ſancta virgo lachrymabunda, & mœrens cubiculo recluditur, ibíque toto triduo in oratione, ac lachrymis perſeuerat. Sed corde, Dei munere ſerenato, ſpéque in Deum concepta, cùm ab oratione ad actionem tranſitum facere properat, clauſam diu aperit arcam, ibíque (ô magna Immaculatæ Conceptionis commendatio) diploma complicatum reperit, quod pelagi vorago abſorbuerat; & tam ſanum ac ſiccum, ac ſi guttam omnem aquæ neſciret. Cæterùm ne ſibi nimium credula videretur, Epiſcopum Accitanum eo temporis Toleti degentem, ac ſibi familiarem conuocat, qui inſpecta veritate, & miraculo Ordinarij auctoritate comprobato, certiores de eo Reges Catholicos fecit: & totum populum in laudes Immaculatæ Conceptionis excitans, ſolemnem Toleti celebrauit proceſſionem, in qua primatis Eccleſiæ Canonici, canticum, *Te Deum laudamus*, proclamantes, & toto populo præeunte, ſubſequebatur Accitanus Antiſtes, Pontificalibus paramentis indutus, miraculoſum in manibus geſtans diploma; ſicque à ſancta Eccleſia ad monaſterium Cõceptionis itũ eſt; vbi publicè miraculo recitato, Beatrix & ſorores eius noui ordinis habitum ſolemniter acceperunt: diploma verò ad ſacrariũ, inter Martyrũ reliquias ſacras poſitum fuit; quo loco hodiéque venerabiliter aſſeruatur, & hiſtoria rei geſta in archiuo monaſte

monaſterij. Quis neget nobili augmento ordinis huius, & miraculis in eius confirmationem editis nobilitatum magnopere ſacrum Bernardi inſtitutum? Et eius precibus cuncta tribuenda, in latius præloquuti ſumus. Nec te fraudatum velim, Lector Candide, tanto diplomate, quod dignum iudicabunt omnes perpetua luce, & memoria.

Copia Breuis Apoſtolici ſuper erectione Ordinis immaculatæ Conceptionis.

INnocentius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Caurenſi, & Canariẽſi,* Epiſcopis ac dilecto filio officiali Toletano, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. *al. Cathaniẽſi.

Inter innumera diuinæ Maieſtati accepta opera, fundare cœnobia, ac religioſa loca, in quibus prudentes Virgines acceptis lampadibus ſe præparent obuiam ire ſponſo Chriſto Ieſu, ac gratum, & ſedulum illi exhibeant famulatum, non modicum reputantes: piis deuotarum perſonarũ deſideriis, per quæ cœnobia & loca ipſa fundari, & erigi valeant, libenter annuimus, & earum humiles preces exaudimus. Sanè pro parte dilectæ filiæ Beatricis de Sylua mulieris Toletanæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd olim chariſſima in Chriſto filia noſtra Eliſabeth Caſtellę, ac Legionis Reginę illuſtris; ob ſingularem quem ad Conceptionem B. Mariæ Virginis gerit deuotionis affectum, vnam maximam domum *Palacios Galliana* nuncupatã

in,

in ciuitate Toletana conſiſtentem, ad ipſam Reginam legitimè pertinentem, in qua vna antiqua Eccleſia, ſiue Capella ſub inuocatione Sanctæ Fidis eſt conſtituta, præfatæ Beatrici cupiēti vitam ducere regularem, ad effectum, vt ibi vnum monaſterium alicuius ordinis approbati ad honorem eiuſdem Conceptionis erigeretur: in quo dicta Beatrix & aliæ deuotæ mulieres eius ſodales, ſub regulari obſeruantia viuerent, ac Altiſſimo, & eidem B. Mariæ famularentur, liberaliter & gratioſè conceſſit, & donauit; ipſáque Beatrix & mulieres Conceptionis, & donationis huiuſmodi vigore, dictam domum receperunt, & illam ex tunc in communi viuentes, & eidem Altiſſimo, ac B. Mariæ famulantes inhabitarunt, prout habitant de præſenti, ea tamen intentione, quòd dictum monaſterium inibi erigeretur. Quare pro parte eiuſdem Beatricis, aſſerentis ſe de nobili genere procreatam eſſe, ac ipſam & mulieres prædictas ordinem Ciſtercienſem, ad quem ſingularem gerunt deuotionis affectum, velle profiteri, nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt in dicta domo monaſterium monialium dictum ordinis ſub inuocatione Conceptionis huiuſmodi, cum dignitate Abbatiſſali, campanili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortiliciis, & aliis neceſſaris officinis, in quò in communi, & ſub regulari obſeruantia, ac perpetua clauſura viuant, erigere; illíque dictam Eccleſiam ſiue Capellam pro Eccleſia, ſiue Capella aſſignare; aliáſque in præmiſſis opportunè prouidere de

beni

benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui diuini cultus augmentum, religionis propagationem, & animarum ſalutem noſtris potiſſimè temporibus, ſupremis deſideramus affectibus, pium & laudabile propoſitum Reginæ, & Beatricis prædictarum plurimùm in Domino commendātes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati; nec non conſideratione ipſius Reginæ nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrûm, in dicta domo vnum monaſterium eiuſdem ordinis Ciſtercienſis ſub inuocatione Conceptionis huiuſmodi; cum dignitate Abbatiſſali, campanili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortiliciis, & aliis neceſſariis officinis, pro vna Abbatiſſa; quæ aliis præſit monialibus dicti ordinis, ac Beatrici, & mulieribus inibi nunc ſecum degentibus, ſi profiteri voluerint, quæ in communi, ac ſub regulari obſeruantia, & perpetua clauſura viuant, & quæ ac monaſteriũ huiuſmodi prout S. Dominici Toletani dicti ordinis, *El viejo* nuncupatum, ac nonnulla alia eiuſdem Ordinis monaſteria, locorum ordinariis ſunt ſubiecta, Archiepiſcopo Toletano pro tempore exiſtenti ſubiiciantur, aliàs ſine alicuius præiudicio & iure parochialis Eccleſiæ ac cuiuſlibet alterius in omnibus ſemper ſaluo: auctoritate noſtra erigatis, dictámque Eccleſiã, ſiue Capellam illi pro Eccleſia perpetuò aſſignetis, ac Abbatiſſæ dicti monaſterij pro tempore exiſtenti, & illius conuentui, quod aliqua ſtatuta

tuta,& ordinationes laudabilia & honeſta, ſacris canonibus non contraria, quæ moniales in dicto monaſterio pro tempore degentes perpetuò obſeruare teneantur, etiam circa electionē Abbatiſſæ, tam hac prima vice, quàm deinceps perpetuis futuris temporibus, faciendi, concedere poſſint, licentiam concedatis, & quòd Abbatiſſa pro tempore exiſtens, & moniales præfatæ veſtem albam cum ſcapulari etiam albo, & deſuper mantellum coloris cæleſtis; in quibus quidem mantello & ſcapulari, imago B. Mariæ affigatur, deferre; ac cingulo cannabis ad inſtar fratrum Minorum cingi debeant; at in horis canonicis iuxta morem Romanæ Eccleſiæ dicendis, in hunc modum; videlicet quòd Dominicis in quibus aliqua hiſtoria inchoata, ſiue officium Dominicæ de neceſſitate dici debet, & quibus feſta duplicia, & ſemiduplicia & ſolemnia celebrantur, diebus etiam ferialibus, quibus officiū feriale omitti non poteſt, ac octauis ipſarum feſtiuitatum duntaxat exceptis; omnibus aliis diebus per totum annum, Horas canonicas maiores, & officium diuinum de huiuſmodi Conceptione dicere; & vt præfatis exceptis diebus, in quibus Horæ maiores de Dominica; vel feria, aut feſto dici debent, Horas minores, & officium paruum B. Mariæ, cum Antiphonis, verſiculis, Capitulis, & orationibus de eadē Conceptione dicere debeant: ac ſingulis ſextis feriis & per Aduentū Domini, ac aliis diebus, quibus alij Chriſti fideles ad ieiunandū ſunt adſtricti, ieiunare teneantur, & ad alia ieiunia nō obligētur,

tur,ac cùm, ſicut aſſeritur, dicta Ciuitas à mari per ſeptē dietas,& vltrà diſtet,ac piſciū penuria in ea cōtinuè vigeat,carnibus omni tēpore,pręterquā diebus ieiuniorū huiuſmodi,ac Sabbati, ac quartis feriis veſci, ac Abbatiſſa pro tempore exiſtēs de cōſilio monialiū ſibi pro tempore in conſiliis aſſiſtentiū,ſecum & cum aliis monialibus dicti monaſterij ſuper ieiuniis,ad quę ex ſtatuto,& ordinatione præſentibus, nō autē ex iuris diſpoſitione obligabuntur;& lineis indumētis,cùm viderit expedire; ac quoſcumque preſbyteros ſæculares, vel de licentia ſuorū ſuperiorū,cuiuſuis ordinis regulares in earū confeſſores, ad celebrandum eis Miſſas, & alia diuina officia ac Eccleſiaſtica ſacramenta eis miniſtrandū,qui Abbatiſſæ & cuiuſlibet monialiū in eodem monaſterio pro tēpore exiſtentiū confeſſionibus diligēter auditis, eis in ſingulis ſedi Apoſtolicę reſeruatis caſibus ſemel dūtaxat in vita; in aliis quoties fuerit opportunū,pro cōmiſſis de abſolutionis debito beneficio prouidere, ac pœnitētiam ſalutarē iniūgere; necnō ſemel in vita & in mortis articulo plenariā omniū ſuorū peccatorū,de quibus corde contritæ & ore cōfeſſæ fuerint,remiſſionem;cuilibet earū in ſinceritate fidei, vnitate S. Romanæ Eccleſiæ,ac obedientia, & deuotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium perſiſtentibus concedere valeant, eligere poſſint; quódque nullus abſque Abbatiſſæ pro tempore exiſtentis expreſſa licentia clauſtra dicti monaſterij ingredi poſſit

ſub

ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam eo ipſo contra faciens incurrat, eadem auctoritate ſtatuatis, & ordinetis. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dicti ordinis, iuramento, confirmatione Apoſtolica, aut quauis firmitate alia roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim ſi erectio huiuſmodi per nos vigore præſentium fieri contigerit, vt præfertur, Abbatiſſæ ac Monialibus præfatis de cætero perpetuis futuris temporibus, vt Quadrageſimæ & aliis diebus, quibus ſtationes in Eccleſiis Vrbis & extra eam celebrantur, aliqua Altaria, in Eccleſia dicti monaſterij viſitando, & ante illam genibus flexis ter orationem Dominicam & toties ſalutationem Angelicam deuotè dicendo, eaſdem indulgētias conſequantur, quas conſequerentur ſi Eccleſias prædictas viſitarent; ac omnibus & ſingulis gratiis, priuilegiis, & exemptionibus aliis dicti ordinis; per ſedem prædictam in genere conceſſis vti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè poſſint & debeant, Auctoritate Apoſtolica tenore earundem præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Datis Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXXXIX. Pridie Kalendas Maij, Pontificatus noſtri anno V.

Poſt aliquot annos ab Alexandro VI. Ordo iſte ad S. Franciſci inſtituta tranſlatus fuit; ac tandem ab eis ad nouam regulam tranſiit, quam ſororibus Conceptionis Iulius II. dictauit, anno

no 8. ſui Pontificatus & Chriſti Domini 1511. in qua de indumentis agens, clarè Pontifex tantus myſterium Conceptionis immaculatæ profitetur; ait enim, *Pallium ſit groſſi panni, ſeu ſtaminea hyacinthini coloris, propter myſticam ſignificationem, videlicet, quòd Glorioſa Virginis anima, à creatione ſua, tota facta fuit cæleſtis & ſingularis, Regis æterni thalamus.* Fuſiùs de ordinis eiuſdem progreſſu egimus in hiſtoria ipſius.

Poſſem & alia, quæ faciunt in commendationem myſterij immaculatæ Cõceptionis & feſtiuitatis, afferre, quę meritis ac precibus Bernardi omnimodis adſcribenda: vt quòd B. Brigitta, cui myſterium clariſſimè reuelatum fuit, lib.6. cap.44. & lib.5. in fine, ſpiritum Prophetiæ acceperit in monaſterio de Aluaſtra ordinis S. Bernardi, vt conſtat ex eius vita apud Surium tomo 4. die 23. Iulij; & quòd de ea dictum fuerit cælitus B. Gerechino eiuſdem domus Conuerſo, *Noli mirari; eſt enim hæc amica Dei; atque ea de cauſa hûc venit, vt in hoc monte flores colligat,* (id eſt, veritates reuelatas) *è quibus multi etiam vltra mare, & in extremis orbis partibus degentes accipient medicinam:* & quòd vniuerſalis Doctor Alanus Ciſtercienſis Conuerſus toto orbe celeberrimus, (de quo epitaphium ſepulcrale clamat,

Qui duo, qui ſeptem, qui totum ſcibile ſciuit:
nimirum vtrumque ius, & ſeptem liberales artes, Theologiam, & ſcientias omnes) myſterium immaculatæ Conceptionis docuerit, ſcribens in Anticlaudiano, de B. Virgine,

M *Neſcia*

ANSELMVS

VINDICATVS

A VVLGARI SENTENTIA,

quæ illi in controuerſia de immaculata Virginis Conceptione imputari ſolet.

Labore & induſtria Fr. Franciſci Biuarij Mantuacarpentanei, Ciſtercienſis Monachi, ac in Romana Curia pro alma Congregatione S. Bernardi de obſeruantia Hiſpaniæ Procuratore Generali.

Pio ac Beneuolo

LECTORI

VINDEX.

NIHIL in gratiam celebritatis Conceptionis Virginis beatiſſimæ æquè conducere crediderim, quã Anſelmum vindicare, eiúſque pro eadem Conce-

ptione ſcripta; nam tametſi tot ſæculis creditus ipſe fuerit præcipuus vel primus eius feſtiuitatis promulgator; non defuere tamen qui moderno tempore id in dubium vertere conarentur; eo vel maximè quòd lib. 2. *Cur Deus homo*, c. 16. videatur ipſi myſterio immaculatæ Conceptionis contrarius, & ſcripſiſſe quod minimè oporteret, (aiunt) ſi feſtũ Conceptionis in eius honorem ipſe inſtituiſſet. Ab vtraque igitur impoſtura nunc vindicandus mihi eſt; ſpero autem, non minus feliciter quàm Bernardus: fuit ſiquidẽ & feſtiuitatis eximius promulgator, & nuſquam minus rectè de eius myſterio ſcripſit; libro autem illo, *Cur Deus homo*, longè alio ſenſu, quàm vulgo credatur loquutus eſt; eo nimirum quo Gregorius Nazianzenus, Ioannes Damaſcenus, Ambroſius, Rupertus, Ildephonſus, Ricardus, Chryſippus, Fulgentius, & alij, quos omnes cum Anſelmo, breuiter tamen, vindicare neceſſarium fuit, quòd ſimili prorſus phraſi loquantur, & crediti à nonnullis ſint, eidem obſtaculum inferre myſterio. Hoc te præmonuiſſe volui, amice Lector, cætera vindicatio ipſa monſtrabit.

LIBER

LIBER PRIOR

PROBAT

S. Anſelmum præcipuum fuiſſe feſtiuitatis Conceptionis promulgatorem.

§. 1. *Tanto id authoritatis pondere fulciri, vt in dubium verti non liceat.*

CONCEPTIONIS ſacroſanctæ Deiparæ feſtum à S. Anſelmo in primis celebratum in Anglia, & publicatum in Orbe, tam multi ſunt qui referant, quòd nemo, vt credo, inficias ibit, qui numerum & authoritatem illorum perpenderit. Longum eſſet & oneroſum cunctos recenſere, præſertim cùm abſque eo ſtrepitu voti compotes euadere poſſimus. Sanè ex antiquis Theologis id profitetur Ioannes Bachonius in 4. ſent. diſt. 2. quæſt. 4. art. 2. & lib. 3. quodlibet. quæſt. 13. qui obiit anno Domini 1346. ex Anglia oriundus, vbi Anſelmus claruit; aſſeritque ita ſe in multis variiſque Bibliothecis, non ſolùm Angliæ, ſed etiam Franciæ legiſſe. Id quoque expreſſit Du- Bachon.

Durandus. randus in 3. d.3. q. 1. in quo vno authore non ſolùm authoritas,& antiquitas ponderanda eſt, ſed quòd aliàs immunitatem Virginis à peccato originali impugnauerit, & tamen ſimul expreſſerit Anſelmum authorem ſeu propagatorem feſti Conceptionis extitiſſe: vt vel in hoc ſalutem ex inimicis noſtris prædicare poſſimus.

Aureolus. Addo & Petrum Aureolum in 3.diſt.3.vt innumeros alios omittam Theologorum qui præſenti ſententiæ ſubſcribunt: ſi tamen aduerterim Ioannem Gerſonem Pariſienſem Cancellarium, & Doctorem ſui temporis facilè principem idipſum ſcripſiſſe ſerm. de Conceptione habito in Concilio Baſilienſi; & Petrum Epiſcopum Equilinum lib.1. Catalogi Sanctorum c. 42. de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, cuius illa ſunt verba: *Huius autem celebrationis feſti principium fuit B. Anſelmus Prior monaſterij Beccenſis,poſtmodũ Canturienſis Archiepiſcopus.* Et idem repetit lib.6.c.56.inquiens,*Ipſe feſtum Conceptionis almæ Deigenitricis à Domino reuelatũ, miraculosè,colendum didicit, ipſe & primus celebrauit, & celebrandum in eius Eccleſia conſtituit.* Sed & Thomas Bozius lib.9. de ſignis Eccleſiæ, c.8. & Claudius de Rota in additionibus ad legendas Iacobi Ianuenſis, tribuunt Anſelmo primordia celebrationis eius feſti. Quibus tandem acceſſit Cardinalis Baronius in notis ad 8. Decembris Rom. Martyrologij, in hæc verba: *Habemus rei geſtæ hiſtoriam in antiquo codice manuſcripto, cuius exordiũ eſt: Eo tempore quo Guillermus,*&c.*ex quibus omnibus ſatis compertum habetur, eiuſmodi celebritatem*

Gerſon. Equilinus. Bozius. Claud. de Rota. Baron.

atem in Anglia primùm celebrari cœptam, eidémque fuiſſe S. Anſelmum. Quo videas non ſua duntaxat authoritate, ſed etiam vetuſtiſſimi codicis MS. teſtimonio intentum noſtrum, Baronium comprobare.

Accedat & Concilij Canturienſis authoritas celebrati anno Incarnationis Dominicæ 1328. quo tempore Ioannes Bachonius Anglus & ipſe florebat; in eo enim hæc ratio redditur celebrationis feſti immaculatæ Conceptionis, *Quia inter omnes ſanctos memoria Beatiſſimæ Virginis & Matris Domini, eo frequentiùs agitur atque feſtiuiùs, quo maiorem gratiam apud Deum, (qui eius Conceptionem prædeſtinatam ad Vnigeniti ſui temporalem originem veraciter ordinauit,) creditur inueniſſe Venerabilis Anſelmus.* Citans Concilium S. Anſelmum in calce conſtitutionis, manifeſtè profitetur, ipſum fuiſſe feſtiuitatis huius promulgatorem. Quod ſi quis dicat idcirco à Concilio citari, quia verba illa ipſius ſunt; non minus habemus intentum: nam iis expreſsè aſſeritur feſtũ Conceptionis Virginis, vltra feſtiuitates eius reliquas admittendum in Eccleſia, quia nimirũ *memoria B. Virginis eo frequentiùs agitur, atque feſtiuiùs, quò maiorẽ apud Deum gratiã creditur inueniſſe, qui Conceptionẽ ipſius ad Vnigeniti ſui temporalem originem prædeſtinatam veraciter ordinauit.* At nõ fuit Conciliũ hoc (inquiens) generale. Fuit ſaltẽ nationale in Anglia, atque in ipſa ſede primaria Canturiæ celebratum, cui pridẽ prefuerat Anſelmus; quare vt minimũ exploratum habebat ipſum inibi feſtũ inſtituiſſe. Meminit huius

Concil. Cantuarienſe.

Bachon. decreti & Concilij Bachonius præfatus quodlibetorum ſuorum lib. 3. quæſt. 13. & Petrus Hojeda. Hojeda in ſua informat. cap. 12. & alij.

Cùm autem maximum authoritatis pondus multarum Eccleſiarum concors acclamatio cuiuis adferat aſſertioni, veritas hæc nutare non poterit, ſi ſemel monſtrauerimus, quòd eam innumeræ proclamant Eccleſiæ. Ego quidem in Hiſpania natus de Hiſpanis teſtimonium facilius ferre queo, quàm de alterius Prouinciæ Eccleſiis; in ea autem nulla ferè ante reformationem Breuiarij Romani fuit, quæ in ſuo vnaquæque Breuiario non legeret in feſto Conceptionis D. Anſelmum promulgatorem feſtiuitatis eius extitiſſe; præſertim illæ quæ lectiones Matutini officij ex epiſtola Anſelmi ad Epiſcopos Angliæ conflauerant, quod feciſſe conſtat Hiſpalenſem, Cordubenſem, Segouienſem, Conchenſem, & alios; ſeu ex ſermone eiuſdem S. Doctoris de eadem celebritate, qui in Segouienſi Breuiario legitur; ſiuè ex alio tractatu vel libro de Conceptione Virginis, qui in Euorenſi, ſub titulo S. Anſelmi reperitur. Sed ad Angliam transfretemus.

Grauiſſimis authorum veterum teſtimoniis liquidò conſtat, Conceptionis feſtum in Eccleſiis Anglicanis, præſertim in Canturiēſi, quæ totius Angliæ prima exſtitit, non quidem à paucis annis, ſed à tempore Anſelmi ſolitum celebrari; authores verò omni exceptione maiores ſunt Petrus Abbas, primùm Cellenſis, tandem Carnotenſis Epiſcopus, in Gallia; & Nicolaus

Mona

Monachus S. Albani in Anglia; æquales D. Bernardo, & conſequenter Anſelmo parùm tempore inferiores; quandoquidem Anſelmus obiit anno 1109. vt apud Baronium videre eſt, tomo 12. Annal. quo anno Bernardus vigeſimum agebat ætatis ſuæ, vtpote qui poſtmodum diem clauſit extremum, ætatis anno 63. Chriſti autẽ 1153. Cõſtat verò ex epiſtolis Cellenſis, Anglos eo temporis celebraſſe Conceptionis feſtiuitatem, cæleſti reuelatione allectos: nam Petrus ipſe Cellenſis lib. 6. epiſt. 23. Nicolaum Anglum S. Albani Monachum & ſocios eius deridet, quòd reuelatione quadam mouerentur; nec eo contentus, totam Anglorum gentem notat facilitatis in ſomniando. *Non indignetur* (ait) *Anglia leuitas, ſi ea ſolidior ſit Gallica maturitas; Inſula enim eſt circunfuſa aqua; vnde huius elementi propria qualitate eius incolæ non immeritò afficiuntur, & nimia mobilitate, in tenuiſſimas & ſubtiles phantaſias frequenter transferuntur; ſomnia ſua viſionibus comparantes, ne dicam præferentes. Et quæ culpa naturæ, ſi talis eſt natura terræ? Certè expertus ſum, ſomniatores plus eſſe Anglos, quàm Gallos: cerebrum namque humidius fumoſitate ſtomachi citiùs inuoluitur, & quaſlibet imagines in ſeipſo depingit, quæ ab animali virtute, vtcumque ſpirituali deferuntur. Non eſt tam cauernoſa Gallia, non ſic aquatica, vbi ſunt montes lapides, vbi ferrum naſcitur, vbi terra ſuo pondere grauatur.* Quis autem non videat Petrum in illam reuelationem inuehi, quæ in epiſtola D. Anſelmi refertur? Quòd verò in Eccleſia Canturienſi celebraretur feſtum Conceptionis, inferiùs meminit

Baron.

Petr. Cellẽſis.

minit idem Petrus. Cùm enim Nicolaus illum ad Cantuarenſem vocaret Eccleſiam, vbi quem ipſe Petrus alibi laudauerat, S. Thomas, recèns martyrio coronatus, ac innumeris illuſtratus miraculis, Conceptionem quoque coluerat; reſpondet, *Repetenda tibi, imò noua & longa expetenda peregrinatio, non ad S. Thomam Archiepiſcopum in Anglia, ſed ad S. Thomam Apoſtolum in India; quia ſemper interero conuenticulis, vbi Domina noſtra digna celebratur commemoratio, ſiue nominetur Conceptio, ſiue Natiuitas, ſiue Aſſumptio, ſiue alia quæcumque veneratio.* Quaſi dixerit: Inuitas me, vt adeam Cantuariam, quò feſto Conceptionis interſim, auctoritate S. Thomæ Archiepiſcopi, & Martyris, celebrato; ſed nunquam ego refugio intereſſe laudibus Virginis, quocumque cenſeantur nomine; & ob eam rem parum eſt, à Gallia ad Angliam peregrinari: nam Indiam, ſi neceſſum fuerit, penetrabo. Hinc verò ſatis deducitur, Anſelmum primũ celebraſſe Canturiæ Conceptionem: conſtat ſiquidem in ſua Eccleſia celebratam ab eo tempore: renuẽte autem Archiepiſcopo certum eſt celebrari nequiuiſſe; non renuiſſe verò celebrationi Anſelmum, effectus probat; vnde ab ipſo quoque celebratam fuiſſe, certum eſt. Semel autem eo admiſſo, nemo inficias ibit, S. Anſelmum promulgatorem eius feſti fuiſſe; cùm monſtrari non poſſit, ante ipſius quoque ætatem celebratum.

Vnum eſt quod hactenus nonnullos reddidit dubios, de ſententia Anſelmi, nimirum ſcripſiſſe

lib.

lib. 2. *Cur Deus homo*, B. Virginem in peccato originali conceptam fuiſſe, ait ſiquidem, Boſo eius diſcipulus, *Licèt ipſa hominis Chriſti conceptio ſit munda, & abſque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen ipſa vnde aſſumptus eſt, eſt in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam mater eius; & cum originali peccato nata eſt; quia & ipſa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt.* Verùm quidquid de ſenſu huius ſententiæ ſit, & de ea quam Anſelmus habuerit, quod ſuò loco commodiùs examinabitur, celebratio feſtiuitatis Conceptionis B. Virginis, nullatenus ex eo pẽdet, quandoquidem pro gratiarum actione cuiuſdam magni à Deo accepti beneficij, faciẽdam docebat ſemper Anſelmus, cum quo nihilominus ſtare poterat, quòd forſan in ipſa Cõceptione peccatum originale interueniſſet. Id ſanè eleganter præ aliis expoſuit Seraphicus Doctor Bonauentura in 3. diſt. 3. art. 1. quæſt. 1. ad 4. argum. Cùm enim præmiſiſſet, *Vt quidam dicunt, hac ſolemnitas celebrari non cœpit humana inuentione, ſed diuina reuelatione; quod ſi verum eſt; ſine dubio bonum eſt ſolemnizare in eius Cõceptione*; modum ſubiungit: *Poſſunt enim irreprehenſibiliter gaudere animæ ſanctæ, pro eo quod tunc inchoatum eſt. Quis enim audiens Virginem, de qua ſalus totius mundi proceſſit, conceptam, gratias Deo exoluere negligat, & omittat exultare in Deo ſalutari ſuo?* nulla nimirum de peccato facta mentione. Cùm enim ibi diuerſa valde eſſent, initiũ capere humanitatis Matrẽ Dei, & pro eo tẽpore peccato inquinati originis; bene poterit gaudere quis

Boſo.

Bonauẽtura.

quis, *pro eo quod tunc incboatum eſt*, nihil de peccato originis curans, de quo ſcit, certiſſimè quamprimum beneficio Dei liberandam, ſi forſan illo inquinabatur. Eius rei elucidandæ gratia Bonauentura, adducit filij Regis exemplum claudi nati ad tempus, de cuius tamen cõualeſcentia nullus dubitaret: abſque dubio tũc eius ſubditi (& meritò) de paruuli natali, tametſi claudi feſtum agerent; quia ipſi non celebrarent naturæ defectum ſeu vitium, ſed primordia ætatis Principis. Sic prorſus de feſto Conceptionis Virginis, indicat Bonauentura philoſophari oportere. Et ſic diſpoſuit Anſelmus docens, quòd celebrare debemus Conceptionem pro magno quodam beneficio humano generi à Deo liberaliſſimè collato, ea die gratias agentes benefactori tanto, & congaudentes de initio ſalutis ſuæ; quæ ſemel concepta Deigenitrix, dilatanda vlteriùs non erat. Id ex Epiſtola de feſto Conceptionis celebrando ad Epiſcopos Angliæ ſcripta, & aliis opuſculis Anſelmi, quæ ſuo loco dabimus, palàm fiet. Sed ad alia tranſitum faciamus: ſi tamen priùs admonitus lector fuerit, quòd tametſi celebrationi feſti Conceptionis nihil conducat, vel noceat ſententia Anſelmi, de præſeruatione Virginis, vel infectione ab originali peccato; nihilominus inferiùs ex profeſſo eam inquiſituri ſumus, & pariter oſtenſuri, nihil contra ipſam ſcripſiſſe, multa tamen in eius fauorem.

§. 2. *Pro*

§. 2. *Proponitur reuelatio primigenia, quæ feſto Conceptionis initium dedit.*

SAtis ſupérque probatum à nobis eſt, B. Anſelmum promulgatorem feſti Conceptionis extitiſſe. Sed adhuc in gratiam vtriuſque placet nunc oſtendere, eumdem Anſelmum authorem eſſe germanum Epiſtolæ ad Epiſcopos Angliæ, qua feſtum commendatum ac promulgatum ab initio fuit. Id ſanè comprobari authoritate multarum Eccleſiarum quæ ſub Anſelmi nomine eam legere conſueuerunt, & doctorum magni nominis, qui id affirmant, ex ſupradictis liquet; verùm & examine hiſtoriæ ipſius reuelationis, quæ in ea refertur, nunc comprobandum à nobis eſt; quo vno (à nemine hactenus elaborato) demonſtrabimus, reuelationem illam factam eſſe primò inter amicos Anſelmi, à quo ipſe rem totam pleniſſimè cognouit, cognitam approbauit, approbatam (vt par erat) diuulgauit, & vterque ſimul primi omnium Conceptionem celebrauit. Sed quo pacto id ex relatione illius reuelationis deduci poterit, in qua nihil horum dicitur? Ex eo ſanè quòd reuelatio facta fuit Abbati ſui monaſterij, videlicet Beccenſis, cuius nimirum tunc temporis Anſelmus erat Prior. Cæterùm vt recto ordine procedamus, libet reuelationem ipſam huc inſerere, prout in antiquis Codicibus manuſcriptis reperitur, quorum nonnulli apud Cardinalem Baronium

exta

Sanctorum,ſub titulo de Cõceptione Virginis.

Placet nunc quidẽ Anſelmi Epiſtolã ad verbũ dare,prout in prioribus Codicibus reperitur:Officiũ autem cum lectionibus, & hiſtoriã dabimus §.12.in calce huius primi libri.

Epiſtola S. Anſelmi de Conceptione B. Mariæ.

Anſelmus Canturienſis Archiepiſcopus, & Paſtor Anglorum, Coëpiſcopis ſuis, cunctíſque orthodoxis ſalutem,& perpetuam in Chriſto benedictionem.

CONceptio venerandæ Deigenitricis perpetuæ Virginis Mariæ, dilectiſſimi fratres. Quemadmodũ per multa ſignorũ experimenta in Anglia & in Francia, cæteríſque climatibus mundi celebranda ſit declarata, me narrantem audiat dilectio veſtra.

Tempore namque illo, quo diuinæ placuit pietati, Anglorũ gentem de malis ſuis corrigere,ſuæque ſeruitutis officiis arctiùs adſtringere; Glorioſiſſimus Normanorum dux Guillelmus eamdẽ patriam debellando ſubegit. Qui videlicet Guillelmus tunc temporis Rex Anglorũ factus, Dei virtute,& induſtria ſua, totius Eccleſiaſticæ dignitatis honores in melius reformauit. Cuius piæ intẽtionis operibus inuidẽs bonorũ omniũ inimicus Diabolus,tũ familiarium fraudibus, tũ extraneorũ incurſibus multoties conatus eius obſiſtere ſucceſſibus.Sed Domino

prote

protegente, & timentem ſe Regem glorificante, ad nihilum deductus eſt malignus. Audientes autem Daci, Angliam eſſe ſubiectam Normanis, grauiter ſunt indignati, & ſuo quaſi hæreditario iure priuati, arma parant, claſſem aptãt vt eos adeuntes à data ſibi diuinitus patria expellant. Hoc comperto prudentiſſimus Guillelmus Heluinum * quemdam religioſum Abbatem Beccenſis * cœnobij accerſitum in Daciam dirigit, vt inquirat huius rei veritatem. At ille, vt vir ſagacis ingenij, ſtrenuè Regis negotium exequitur. Quo fideliter peracto, ad Angliam reuerti cupiens, mare ingreditur; & cùm iam maximam partem maris proſpero curſu tranſiſſet, ſubitò denſis ſurgentibus vndique ventis, horrida tempeſtas cœlum commouit, & vndas. Fatigatis igitur nautis, nec vltrà iam obniti valentibus, fractis remis, funibúſque ruptis, cadentibus velis, ſpes ſalutis amittitur, nihil ſibi niſi ſubmerſionis exitium miſerabiliter expectantibus. Cúmque de ſalute corporum deſperati, animarum ſolummodo magnis clamoribus ſalutem creatori ſuo commendarent, & Beatiſſimam Virginem Mariam Deigenitricem, miſerorum refugium, & deſperatorum ſpem denotè reclamarent; ecce ſubitò conſpiciunt quẽdam admodum reuerendæ habitudinis virum, Pontificali infula decoratum, quaſi inter medias vndas naui proximum. Qui vocans ad ſe Helùinum * Abbatem, his verbis cœpit eum appellare. Vis (inquit) periculum maris euadere? Vis in patriam tuam ſanus redire? Cúmque cum fletu

* al. *Helſinum.*
* al. *Remenſis, vel Remeſienſis.*
* al. *Helſinum.*

fletu id toto corde deſiderare, & hoc ſolum expectare reſponderet; tunc ille: Scias (inquit) me ad te à Domina noſtra Dei genitrice Maria directum eſſe, ad quam dulciter reclamaſti; & ſi dictis meis obtemperare volueris, ſanus cũ comitibus tuis euades imminens periculũ maris. Ille verò ilicò ſpondet ſe ei in omnibus obtemperaturum, ſi hoc euaderet naufragium. Promitte, inquit ille, Deo & mihi, quòd diem Conceptionis, & Creationis Matris Domini noſtri Ieſu Chriſti ſolemniter celebrabis, & celebrandum prædicabis. At ille, vt prudentiſſimus: Et quis, inquit, dies in hoc feſto celebrandus erit? Sexto, ait, Idus Decembris, hoc feſtum ſolemnizandum tenebis. Et quo, inquit Abbas, officio vtemur in Eccleſiaſtico obſequio? Omne, inquit, officium quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur in Conceptione; excepto quòd nomen Natiuitatis mutabitur in nomen Conceptionis. His dictis ille diſparuit, & dicto citius ſedata tempeſtate, Abbas incolumis, concito flatu applicuit littoribus Anglicanis: & quæ viderat, & audierat, quibus potuit notificauit. Statuit autem idem feſtum in Beccenſi * cœnobio celebrari, & ipſe quandiu vixit deuotis obſequiis celebrauit.

* al. *Remenſi*, al. *Remeſienſi*.

Et nos ergo, fratres dilectiſſimi, ſi portum ſalutis volumus apprehendere, Dei genitricis Conceptionem dignis obſequiis, & officiis celebremus, vt ab eius Filio digna mercede remuneremur.

En totam reuelationis hiſtoriam. Nunc ſigil-

N latim

latim eius partes examinare oportet, quò tandem optatam veritatem poſſimus in luce perſpicere.

§. 3. *Quidquid de Guillermo Normaniæ Duce, & Anglorum Rege, déque bello à Dacis inito in epiſtola narratur, verum eſſe.*

PRimùm omnium, vt recto procedamus ordine, indagare neceſſe eſt, síntne vera quæ de Guillermo Normanorum Duce, ad regnum Anglorum tranſlato, hîc referuntur: etenim ſi hæc forſan fabuloſa eſſent, minimè cætera quæ illi innituntur, ſubſiſtere poſſent. Cæterùm nequaquam propter hoc verendum eſt, quòd reuelatio vera non ſit; nihil enim æquè relatum, aſſeueratúmque apud probatos authores reperitur: quandoquidem quidquid de Guillermo in noſtra epiſtola ſcribitur, ſiue quòd eſſet Normanorum Dux naturalis, ſiue quòd ad regni Anglicani ſolium euectus ſit, ſiue quòd eccleſiaſticæ dignitatis honores in melius reformarit, multis ad hoc coactis Prouincialium Epiſcoporum Conciliis; ſiue tandem quòd à multis bello impetitus ſit, præſertim à Dacis, vel Danis; fusè nimis referunt ſcriptores omnes rerum Anglicarum, & inter cæteros Ingulfus eius hiſtoriographus lib. 3. rerum Angl. eiúſque coæui Guillermus Malmeſburiēſis, & Matthæus Veſtmonaſterienſis; & poſtmodum Matthæus Paris, ac tandem Polidorus Virgilius lib. 8. & nonnulla ipſius geſta refert Card. Baronius tomo

Ingulfus. Guiller. Malmeſburiēſis. Matth. Veſtmonaſteriēſis. Matth. Paris. Polid. Virgil. Baron.

mo 11. Rem verò ſic accidiſſe dicunt. Eo tempore quo diuinæ placuit pietati Anglorum gentem de malis ſuis corrigere, S.Eduardo Angliæ Regi virginitatis ſpiritum indidit, & regnum ipſum propter populi demerita prole & ſucceſſione priuauit: Eduardus tamen prouidere volens de ſucceſſore, Guillermum Normaniæ Ducem, ad ſe vocatum (eſt autem Normania in ea parte Franciæ, quæ Angliæ propinquior eſt) quòd ſibi ſanguine coniunctior eſſet, ſucceſſorem deſignauit, & à totius regni proceribus, vt ipſi præberent iuramentũ fidelitatis exegit. Habeo S.Alredum Abbatem Rieuallis Ciſtercienſis Ordinis (in vita S.Eduardi apud Surium tomo 1. die 5. Ianuarij) referentem, Regem ſanctiſſimum in ecſtaſi per duos continuos dies raptum, cùm ad mortem decumberet; cæterùm ad ſe reuerſum, palàm quæ tunc viderat edixiſſe; nimirum, duos Normanos Monachos, cæleſti beatitudine donatos, quos ipſe benè nouerat, miſſos fuiſſe à Deo, eiúſque nomine ſibi intimaſſe, iniquitates Anglorum eſſe adimpletas, irámque Dei iamiam accelerare vindictã; eo quòd Eccleſiaſtici omnes res ſacras maculatis tractabant manibus; mercenarij & prædones effecti: ſæculares verò Principes, patriæ miſerabiles rapaces erant harpiæ, omni Dei timore poſtpoſito. Tunc Eduardus oratione facta, pro pœnitentia populi impetranda, arborem viridem, proceram & elegantem conſpexit, abſciſſam tamen à radice, ac detruncatam; & ad longitudinem trium iugerum areæ proiectam; Surius.

dictúmque eſt illi: Cùm arbor hæc iterum trunco adhæſerit ſuo, fructúmque fecerit, miſericordiæ locus erit. Eo verò hieroglyphico promiſſum fuit, tunc quidem regnum Anglicanum vitioſum ac viride, omnimodis à regali trunco euellendum, ſic peccatis hominum exigentibus; tertio verò poſt ſe regnante Guillermo, illius Guillermi Normani Ducis filio, iterum ad progeniem priſtinam regrediendum, cùm Mathilda ipſius S. Eduardi nepos, matrimonio prædicto tertio Regi copularetur, vt exitus comprobauit.

Tandem obiit S.Eduardus die 5.Ianuarij anni 1066.Sedem Petri Alex. II. tenente, Imperium verò Romanorum Henr.IV. Tunc Haraldus S. Eduardi Maiordomus tyrannidē arripiens, Guillermi ſucceſſionē impedire conatus eſt, periurus licèt, & à ſanguine regio alienus. De eo S.Alredus; *Interea* (inquit) *Haraldus filius Goduuini, regnum nec iure, nec natura ſibi debitum vſurpans, malum quod Anglis, ſecundùm S.Regis oraculū Dominus præparauerat, tranſgreſſione pacti cū Duce Guillermo, & fidei læſione accelerauit.* Et primùm quidem egit cum eo pacificum Regem, ac Patrem Guillermus, & per multos menſes per internuntios res inter eos acta eſt; *Cúmque hæc intermedia* (ait Ingulfus) *quotidie agerentur; & ſolùm nuntiorum curſus, & recurſus tota æſtate ſine fructu conſummarentur, Guillermus prepropera querela Papam conſuluit; & ab eo animatus etiam vexillum legitimæ victoriæ pro munere accepit.* Interim Rex Noruegiæ ingentem inſtructam claſſem

claſſem Regni quoque ſucceſſionem affectans, in Angliam traducit, & cum Haraldo manus conſerit, ab eo tamen victus, & mortuus eſt; cum non modica Anglorum nece; quo ſic Deo diſponente vires Haraldi extenuarentur; vincendi poſtmodum à Guillermo, Rege diuinitus deſtinato:id die 14. Octobris eiuſdē anni 1066. accidit, Normanis aduersùs Anglos rebellantes triumphum reportantibus. Guillermus in die Natalis Domini coronam regni accepit, incipiente anno 1067. Statim verò totus reformationi regni ſui intentus, leges tulit pro temporis malignitate neceſſarias, quas Polidorus fusè refert lib. 9. iíſque factum eſt, vt feroces Anglorum animi deprimerentur; & fortunæ réſque domeſticæ (ſic ſuis peccatis exigentibus) extenuarentur: multíque ipſorum de ſuis dignitatibus ac titulis honorariis deponerentur, Normanis in ipſorum loca ſuffectis. Rurſus ad clerum reformandum conuerſus ab Alexandro II. impetrauit Legatos, qui Vvintoniæ Concilio celebrato, Eſtingandum intruſum Canturienſem Primatem depoſuerunt; & nonnullos alios Epiſcopos dignitatibus pro meritis exuerunt. Incidit reformatio huiuſmodi & Cantuarienſe Concilium,in annum 1070. quo è Normania vocatum Lanfrancum, (Abbatem tunc Monaſterij Cadomenſis, primùm verò Priorem Beccenſis, ac S. Anſelmi inibi præceptorem) in ſedem Canturiacenſem euexit. Eboraci inſtituit Thomam quemdam Normanum,virum ſummæ ſcientiæ,& virtutis; Vvintoniæ

Polid. Virgil.

toniæ Valcellinum Capellanum ſuum, & alibi alios multos, quos refert Rogerius in Annalibus Angliæ ad annum 1070. Eius quoque iuſſu Concilium Londini celebratum eſt, de

Polid. quo Polidorus lib. 9. (S. Lanfranco præſidente) *In eo conuentu*, ait, *nihil non, quod ad conſeruationem rei Chriſtianæ pertineret, multo ſanctius curatum eſt: ſed ante omnia mores ſacerdotum parum puri, quàm proximè potuit, ad priſcorum Patrum regulam reuocati ſunt: éſtque illis in poſterum tempus, rectè viuendi modus præſcriptus.* En quàm verè ab authore epiſtolæ dictum ſit, *Tempore illo quo diuinæ placuit pietati Anglorum gentem de malis ſuis corrigere, ſuæque ſeruitutis officiis arctiùs adſtringere, glorioſiſſimus Normanorum dux Guillermus, eamdem patriam debellando ſubegit.* Et illud quoque quod immediatè ſubiecit. *Qui videlicet Guillermus, Rex Anglorum factus, Dei virtute & induſtria ſua totius Eccleſiaſticæ dignitatis honores in melius reformauit.*

Cæterùm quod ſtatim ſubdit, *cuius piæ intentionis operibus inuidens bonorum omnium inimicus Diabolus, tum familiarium fraudibus, tum extraneorum incurſibus, multoties conatus eſt eius obſiſtere ſucceſſibus: ſed Domino protegente, ac timentem ſe Regem glorificante, ad nihilum deductus eſt malignus*; hoc, inquam, quomodo acciderit, nunc videndum. Narrant authores prædicti, quòd cùm Angli non ſolùm Normanum habere Regem, ſed dignitatibus ſuis priuare

priuare quotidie ſe viderent, & Normanos alienigenas ad eas prouehi, id indignè ferentes, coniurare ſecretò in Regem & ſuos cœpere. Erant autem coniurationis totius Principes Hedouinus & Mercatus, nobiles in Anglia Comites, qui ad defectionem populum commouerunt, Edgardum quendam bonæ indotis adoleſcentem, regia Anglorum ſtirpe prognatum, Regem poſtulantes. Verùm re ante partum comperta à Guillermo Rege, coniuratio diſſoluta eſt; Comitibus & aliis multis in fugam actis, quorum quidam in Scotiam, reliqui in Daciam (quam nunc Dinamarcam dicimus) perrexerunt: vbi Reges illos in Guillermi perniciem concitarunt. Erat tunc temporis Canutus eius nominis IV. Dacorum Rex; is Anglorum ſuaſionibus allectus, & quòd ſciret Angliam à prædeceſſoribus ſuis ad viginti ſex annos dominatam, iure tunc ad ſe deuolutam exiſtimans, arma parat, & claſſem ducentarum nauium inſtruit, vt Guillermum Normanum è regno & vita deturbet. Hæc inter alios Polidorus fusè proſequitur, inquiens; *Angli qui in Daciam confugerant, non ceſſabant Canutum Regem IIII. ad arma contra Normanos capeſſenda ſolicitare.* Et paulo pòſt; *Itaque Canutus & exules Angli, breui pòſt tempore parata ducentarum circiter nauium claſſe, cum magno exercitu ad oram Orientalem Inſulæ perueniunt.* Hoc ſanè eſt quod in epiſtola dicitur: *Audientes autem Daci, Angliam eſſe ſubiectam*

Normanis, grauiter ſunt indignati: & ſuo quaſi hereditario iure priuati, arma parant, claſſem aptant, vt eos adeuntes à data ſibi diuinitus patria expellant. Peruenit rumor tanti apparatus bellici ad Guillermi Regis aures, qui exploratorem ſecretiſſimum illac mittere cupiens, vt de veritate totius negotij certior redderetur, elegit Abbatẽ Herluinum; quem à Normania accerſitum in Daciam direxit; Quo in itinere, dum in Angliam rediret, tempeſtas oborta eſt, & reuelatio ipſi de celebrando feſto Conceptionis facta. *Hoc comperto* (ait author epiſtolæ) *prudentiſſimus Guillermus, Herluinum quemdam religioſum Abbatem accerſiuit, & in Daciam direxit, vt inquirat huius rei veritatem. At ille, vt vir admodum ſagacis ingenij, ſtrenuè negotium exequitur : quo fideliter peracto ad Angliam reuerti cupiens, mare ingreditur; & iam maximam partem maris proſpero curſu tranſierat, cùm ſubitò denſis ſurgentibus vndique ventis*, &c. Is autem de Conceptione Virginis celebranda voto nuncupato, Guillermum de iis quæ viderat certiorem fecit; qui tandem Dei gratia Dacum vicit, & percuſſum in patriam redire compulit. De quo bello ſcripſerunt Saxo Grammaticus *in Canuto*, & Polidorus citato ſuperiùs loco, cuius illud eſt, victoriam obtentam fuiſſe de Dacis anno Domini 1070. qui tertius fuit regni Guillermi, *Fuit is annus* (ait) *ſalutis M. L X X. & cùm regnare cœpit Guillermus, tertius.* Cœperat ſiquidem ab initio anni M. L X V I I. cui ſi triennium adiicias, in annum M. L X X. belli incides, iſque ipſe eſt an-

nus

nus reuelationis Conceptionis Herluino vel Helſino factæ, vt Cardinalis Baronius notatum reliquit, ex codice manuſcripto, & peruetuſto ſuæ bibliothecæ. Quo videas omnia conſonare, & hiſtoriam in epiſtola enarratam de Guillermo & Dacis veriſſimam eſſe. Sed iam vlteriùs examinare neceſſum eſt, fueritne Abbas ille S. Anſelmi ſuperior, necne? quod nunc diſquirendum eſt.

§. 4. *Abbatem illum, cui feſtum fuit reuelatum, fuiſſe Herluinum, Beccenſis cœnobij Patrem; cuius tunc temporis D. Anſelmus erat Prior.*

QVi librum priorem vitæ S. Anſelmi ab Edinero Monacho Anglo eiuſdem Doctoris ſancti coæuo, atque diſcipulo exaratæ, diligenter perlegerit, cognoſcet proculdubio, Herluinũ Beccenſis cœnobij in Normania fundatorem & Abbatem, qui magna illa ſuæ ætatis lumina Lãfrancum & Anſelmum religionis habitu ſub S. P. Benedicti regulis inueſtiuit, non alium eſſe, quàm eum qui in Daciam à Guillermo Rege directus, reuelatione Conceptionis ſolemnizandæ meruit illuſtrari. In illo enim conueniũt, nomen, tempus, patria & Guillermi Regis amicitia, ac rerum bellicarum peritia; quæ omnino, & nihil aliud, neceſſaria videbantur, ad exploratoris Daciæ munus ritè exequendum. Sed enodemus ſingula.

Edinerus.

Quod ad nomen Abbatis ſpectat, Edinerus author eſt, Herluinum nuncupatum illum, qui ad habitum religionis Anſelmum admiſit, ait enim: *Anſelmus ſæculo relicto, Becci Monachus factus eſt, anno ætatis ſuæ 27. Regebat eo tempore cœnobium ipſum Dominus Abbas Herluinus nomine, vir grandæuus, & magna probitate conſpicuus; qui primus illius loci Abbas monaſterium ipſum à fundamentis de ſuo patrimonio fecerat: ſæpedictus autem Lanfrancus gradum Prioris obtinebat.* Et inferiùs: *Cùm verò Abbas Herluinus, cuius ſuprà fecimus mentionem*, &c. & rursùs: *Defuncto ſæpe memorato Herluino, vno omnium fratrum Beccenſium conſenſu, Anſelmus in Abbatem eligitur.* Neque verò obſtare poteſt, quòd in epiſtola vocetur Helſinus; id enim vitio librariorum accidit; quinimò non omnes legunt ibi Helſinum, ſed alij Heliſinũ; alij Eliſinum, vt Baronius in notis ad diem Conceptionis; alij Elpinum, vt Bozius lib.9. de ſignis Eccl. c.8. Nec mirum cùm propria illa nomina, quæ rara & incognita ſunt, facile ſit ſic vel aliter legere, & ſcribere. Exemplum in re de qua agimus ſuppeditant duo illa *Guillermus* & *Dacia*, (non enim indigemus eius rei gratia foras euagare) multi ſiquidem ſcribunt Guilliellmum, alij Guillermum, nonnulli VVillermum, aut VVillelmum: & tamen certum eſt, non propter diuerſitatem ſcripturæ, vnius vel alterius litteræ, variari perſonam ſignificatam. Daciã verò multi Daniam nuncupant, & hactenus

Baron.
Bozius.

nus

nus ſub iudice lis eſt, quid horum propriè vocetur. Simili pacto prorſus ſiue dicatur Helſinus, ſiue Herlumus, ſiue tandem Herleuuinus(quod Trithemio placuit lib. 2. de viris Ordinis S. Benedicti) dum tamen in cæteris non ſit diſcrepantia, vnus idémque homo iudicandus eſt. Trithemius.

Tempus deinde per omnia quadrat. Habemus ex Edinero ad finem vitæ S. Anſelmi annos Chriſti, & ætatis, ac Epiſcopatus ipſius Anſelmi: inquit enim, *Tranſiit autem illuceſcente aurora quarta feria, præcedentis Cœnam Domini, XI. Kalend. Maij anno videlicet Dominicæ Incarnationis M.C.IX. qui fuit annus Pontificatus eius XIII. vitæ verò LXXVI.* Inde verò neceſſariò infertur, Anſelmum anno Domini 1060. indutum ab Herluino Abbate Beccenſi habitu monachali, quandoquidem vt ætatis 76. obierit, & Chriſti 1109. neceſſum eſt, vt natus ſit anno Domini 1033. à quo vſque ad 1109. mortis intercedunt prædicti 76. ætatis ſuæ. Cùm autem alias, eodem authore, liquidum ſit, ætatis 27. habitum induiſſe illis verbis, *Anſelmus ſæculo relicto Becci Monachus factus eſt, anno ætatis ſuæ 27.* & natus ſit anno Domini 1033. fieri nequit, quin anno 1060. monachiſmum inierit, ſub Abbate Herluino. Viuebat igitur Abbas Herluinus anno 1060. ac proinde coæuus fuit duci Normaniæ Guillermo, qui poſt annos duntaxat ſex, Angliæ coronam accepit, anno videlicet 1066. vti ſuperiùs probatum eſt. Edinerus.

Viuũ adhuc Herluinũ exigis anno Dominicæ

Natiui

Natiuitatis 1070. vt explorationem illam Dacicæ expeditionis obiret? Non cunctabor oſtendere. Triennio ſui monachatus ſanctè tranſacto, D. Anſelmus Prior ſui monaſterij Beccenſis electus eſt. *Anſelmus verò* (ait Edinerus) *ſtudioſè vitam aliorum æmulabatur, & ita per triennium de die in diem ſemper in melius proficiens magnus & honorandus habebatur. Venerabili autem Lanfranco in Cadomenſis cœnobij regimen aſſumpto, Prioris officio functus eſt.* Incidit eius electio in annum Domini 1063. quandoquidem anno 1060. habitum induiſſe iam monſtratum eſt. Fundauerat Guillermus Normaniæ tunc dux, & Princeps, cœnobium Cadomenſe, ad cuius Abbatiam, celeleberrimum ſanctitate & doctrina Lanfrancum vocauit, è monaſterio Beccenſi, vbi erat Prior ſub Herluino Abbate; atque in eius locum Anſelmus euectus fuit, vt diximus anno 1063. Aliunde verò habemus in eodem Prioratus officio perſeueraſſe decennio, plus minúſve, quouſque Herluino ſublato in cœlum, ipſe ſucceſſit in Abbatiam. Ait ſiquidem hiſtoriographus Edinerus; *defuncto ſæpe ſuperiùs memorato Abbate Herluino, vno omnium fratrum Beccenſium conſenſu in Abbatem eligitur.* Sed vnde conſtat decennium in Prioris munere expleuiſſe? nam ſi hoc demus, dabimus etiam anno 1073. vel 1072. Abbatis iniiſſe officium; & quod inde fit conſequens, Herluinum vſque ad eum annum ſuperuixiſſe, & anno legationis ſeu explorationis Dacicæ, id eſt, Chriſti 1070. adhuc in viuis fuiſſe, quod inquirimus. Sanè id deduci valet, ex eo quod Edini

dinerus ait; *Habebat ipſum cœnobium plures poſſeſſiones in Anglia, quas pro communi fratrum vtilitate neceſſe erat per Abbatis præſentiam nonnunquam viſitare. Ipſo itaque ſuæ ordinationis anno, Anſelmus in Angliam profectus eſt*; videlicet vt ſui monaſterij poſſeſſiones viſitaret, *& vt reuerendum Lanfrancum videret; ipſe ſiquidem venerabilis vir, iam de Abbate Cadomenſi, factus fuerat Archiepiſcopus Canturienſis.* At Lãfrancus aſſumptus fuerat ad ſedem Cantuariæ ad finem menſis Auguſti anni Domini 1070. vt author eſt Guillermus Malmuſburienſis, in Chron. ſuo; quod etiam Baronius amplectitur tomo I I. Annal. eodem anno 1070. §. 16. quo fit vt eo ipſo anno adhuc viueret Abbas Herluinus; ſiquidem quãdo Anſelmus in Angliam, Abbas & ſucceſſor Herluini exiſtens, ipſo ſuæ ordinationis anno profectus eſt, iam ante annos aliquot Lanfrancus erat Archiepiſcopus Cantuariæ. Quare vt minimum duos aut tres annos Lanfrancus in Epiſcopatu inſumpſerat, vſque ad 1074. in quẽ oportuit mors Herluini incidiſſe, & Anſelmi in Abbatem Beccenſem ordinatio:& quod inde fit conſequens, Herluinus anno legationis Dacicæ viuus erat.

Cætera perquiramus. Quod ad patriam & amicitiam cum Guillermo ſpectat; certum eſt monaſterium Beccenſe, cui Herluinus præſidebat, in Normania, Guillermi Regis, ac ducis terra natiuitatis, ſitum fuiſſe; vnde & frequenter Guillermus inuiſebat Abbatem & Monachos, eorúmque conſilio in omnibus ferè vtebatur.

batur. Hinc & amicitia inter vtroſque orta, altas miſit radices. Sed vnde hæc deſumam inquiris? Beccum in Normania ſitum omnes profitentur, Trithemius lib. de ſcrip. Eccleſ. in Anſelmo hæc habet. *Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis in Anglia, ex Abbate monaſterij Beccenſis in Normania Ordinis S. Benedicti, Lanfranci quondam auditor, atque diſcipulus*, &c. Nec mirum cùm Edinerus ipſe initio ferè vitæ Anſelmi dicat, *Exactis dehinc partim in Burgundia, partim in Francia, fermè tribus annis, Normaniam adit; ibi quemdam nomine Lanfrancum præſtanti religione, ac ſapientia verè nobilem videre, & alloqui & cohabitare volens. Becci ſupereminens prudentia Lanfranci, qui illic monachus eſt*, &c. Erat verò in Diœceſi Rothomagenſi (hodie Roüen) &, vt ea ferebat ætas, Archiepiſcopo ſubiectum; vnde Maurilius Archiepiſcopus multam cum Anſelmo habuit amicitiam, & frequentiſſima colloquia; quinimo nonnunquam, vt ſuperior præcepiſſe videtur Anſelmo, ne Prioratum deſereret; huius ſiquidem apud Edinerum ſunt illa verba: *Per ſanctam obedientiam præcipio tibi; quatenus prælationem quam nunc habes retineas, nec eam niſi tuo iubente Abbate deſeras; & ſi quando fueris ad maiorem vocatus, eam ſuſcipere nullatenus abnuas: ſcio enim quòd in hac, quam tenes, non diu manebis; verùm ad altioris prælationis gradum poſt non multum proueheris: Quibus auditis, va, inquit, miſero mihi: in eo quod porto deficio, & ſi grauius imponitur onus reiicere non audeo? Repetit Præſul edictum, & vt*

Trithemius. Edinerus.

primò

primò iubet, ne tranſgrediatur. Et inferiùs: *Defuncto ſæpe nominato Abbate Herluinus vno omnium fratrũ Beccenſium conſenſu, in Abbatem eligitur. Quod ipſe omni ſtudio ſubterfugere geſtiens, vicit tandem importuna diligentia fratrum; vicit quoque & multo maximè vicit præceptum, quo ei fuerat ab Archiepiſcopo Maurilio per obedientiam iniunctum; videlicet vt ſi maior prælatio, quàm illius Prioratus extiterat, ipſi aliquando iniungeretur, nullatenus eam ſuſcipere recuſaret.* Erat igitur Beccenſe monaſterium ſub Archiepiſcopi Rothomagenſis ditione, & diœceſi; ipſa verò Rothomagenſis vrbs *Normaniæ ſeu Normandiæ ducatus & Galliæ regionis Metropolis, atque Parlamenti ſedes eſt.* Verba ſunt Caroli Stephani in ſuo Dictionario hiſtorico litt. R. atque hinc ortum duxerat neceſſitudo Guillermi ducis, & Regis cum Beccenſibus; quorum virtuti tantum tribuebat, vt inde Monachos ad fundandam Cadomenſem Abbatiam extraxerit, Priore Lanfranco in Abbatem aſſumpto; quem poſtmodum in ſedem Cantuariæ, Rex Angliæ iam exiſtens tranſtulit. De amicitia quoque quam cum Anſelmo habuit, nihil ab exteris inquirere libet, dum habemus ipſum Guillermum inſtante hora mortis ſuæ, coram vniuerſa regni Anglici curia, celebre teſtimonium proferentem. Refert Baronius cuncta quæ ad proceres ſuos habuit verba, ad annum Domini 1087. vbi inter cætera hæc dixiſſe legitur. *In electione perſonarum vita meritum, & ſapientia doctrinam inueſtigaui;* Baronius

&

& quantum in me fuit, omnium digniſſimo Eccleſia regimen commendaui. Hoc nimirum probari poteſt veraciter in Lanfranco Canturienſium Archipraſule; hoc in Anſelmo Beccenſium Abbate. Tales ſocios ad colloquium elegi; in horum contubernio veritatem, & ſapientiam inueni; ideóque ſemper gaudens optabam eorum conſiliis perfrui. Fatetur ergo Guillermus Lanfrancum, & Anſelmum Beccenſes monachos, ſocios ſibi ad colloquium elegiſſe; in iis inueniſſe ſapientiam, & ſemper optaſſe eorum perfrui conſiliis. Et dubitare quis iam poterit, Abbatem vtriuſque Herluinum, fundatorémque ipſius cœnobij Beccenſis prope curiam eiuſdem ducis Normaniæ, ad illius amicitiam minus fuiſſe receptum? Dignum ſanè regia conſuetudine virum eum fuiſſe, ſanctitas morum, prudentia, dignitas & ætas ſatis ſupérque perſuadent: erat ſiquidem teſte Edinero, *vir grandauus, & magna probitate conſpicuus.* Eius verò ſapientia, in eo maximè relucet, quòd non ſolùm monaſterium Beccenſe à fundamentis extruxit, ſed etiam celebre, & honorabile fecit per orbem vniuerſum; nam & litterarum ſcholas inibi inſtituit, & talibus condecorauit Doctoribus, quòd ex orbe vniuerſo eius rei gratia homines Beccum confluebant; primùm quidem ſub Lanfranco, ac deinde ſub Anſelmo. De
Edinerus. Lanfranci vniuerſitate hæc Edinerus, *Excellens ſiquidem fama illius circumquaque percrebuerat, & nobiliſſimos quoſque Clericorum ad eum de cunctis mundi partibus agebat.* De Anſelmo autem, *Fama eius non modò Normania tota eſt reſperſa, verùm etiam*

etiam Francia tota, Flandriâ tota, contiguáque his terra omnis; quin & mare tranſiit, Angliámque repleuit. Exciti ſunt quaquagentium multi nobiles, prudentes clerici, ſtrenui milites, atque ad eum confluxere, séque & ſua in ipſum monaſterium ſeruitio Dei tradidere; Creſcit cœnobium illud intus & extrà; intus in ſancta religione, extrà multimoda poſſeſſione. Hauddubium quin prudentia Abbatis, & fama quoque in his omnibus percrebruerat, & dignum reddebant regia conſuetudine.

Video lectorem meum mihi obiicere, ſatis ſupérque probari ſibi ex dictis, Herluinum multis nominibus Guillermo Regi notum, & in Normania charum & amicum, virúmque ad conſilia præſtanda idoneum, & ob ſanctitatem venerandum; at nihil in his ad militaria munera aptum, quod præcipuè requiri videbatur, ad explorandum Daci Regis bellicum apparatum. Decebant hæc militem ſtrenuum, non ſenem ſanctum, & monachum. Quid enim de inimici exercitus robore, quid de eius conatibus iudicare poſſet, qui bellum nunquam præterquam cum Diabolo geſſerat, qui ab omni armorũ ſtrepitu elongatus in cella quieſcere ſemper ſtuduit? Quæſo lector, ſi hoc ſolo moueris, ne moueatis, vt alium quàm Herluinũ aptiorem toto regno extitiſſe credas, fungendi legatione, ſeu exploratione illa: quãdoquidem ipſe expertiſſimus miles erat, vtpote qui non ſolũ florentes iuuentutis annos, ſed maiorem ſuæ ætatis partem in militari exegerat arte. Vincentius Beluacẽſis Beluacenſis.

in Speculo hiſt.lib.26.c.36. quem S.Antoninus amplectitur tomo 2.hiſt.t.16.c.10.ex geſtis Lanfranci, hæc aſſerit, *Hic Lanfrancus monaſterium Beccenſe adiit, vbi venerabilis Abbas Herluinus eiuſdem cœnobij fundator, ac nuper ex grandæuo milite in Clericum promotus, eum cum gaudio ſuſcepit.*

Yepius. Idem prorſus ſcribit P. Antonius Yepius tomo 6.& centur.6. Chronici Benedictini, ad annum Chriſti 1070.c.1.Audis ex grandæuo milite monachum factum;quæris iam ſub cuius ſignis militauerat?Non video alia proximiora ſignis Ducis, ac Domini ſui Guillermi, quandoquidem ipſum quoque Normanum fuiſſe illud conuincit,quod ex Edinero ſuperiùs retulimus,Beccenſe videlicet fundaſſe monaſterium de ſuo patrimonio:hauddubium quin in fundo patrimonij ſui,vel vt minimũ in patria ſua. Maiora igitur & antiquiora amicitiæ cum Guillermo vincula,quã hactenus requirebamus,habebat Herluinus;& grandæuus erat miles dignus prorſus, & ſupra deſiderium,aptus,cui exploratio Dacici exercitus committeretur; vtpote in quo vno, militię longa exercitatio,& monaſticus habitus concurrebant,vt illã robur inimici Regis calleret, hoc verò exploratoris munus celaret. His accedit, Guillermum Regem in rebus arduis, numquã Anglis vsũ fuiſſe, ſed Normanis,quos ſibi fidiſſimos naturæ dono nouerat; præſertim eo tẽpore, quo rebelles ſibi Anglos abundè expertus fuerat: Herluinus verò Normanus erat.

Vnum eſt quod ſcandalũ debilibus generare poſſet,nomẽ ſcilicet Abbatiæ illius Abbatis,qui in Daciam à Guillermo miſſus fuit; in epiſtola ſiquidem

ſiquidē legi ſolet monaſteriū *Remenſe*,quod valde diuersū à Beccenſi eſt.Cæterùm tametſi verū ſit in quibuſdā codicibus legi,*Remenſe*, quo pacto Robertus de Licio Aquinas Epiſcopus legit in ſerm. de Concept. attamen corruptè nimis, quamquā & alij corruptiùs,*Remeſienſe*,& nōnulli adhuc deteriùs *Remēſienſe* legant:vt Claudius de Rota in additionibus ad legendas Ianuenſis Epiſcopi;& alij inter vtrāque lectionē Remēſis & Remeſiēſis cœnobij ancipites hærent,vt Hojeda.Cæterum vel ipſa lectionis diuerſitas ſatis arguit eos ignorātię lectionis verę,ac genuinę,vt vel hoc ſolo tit.dubietatis & ignorātiæ,audiēdi nō ſint.Habemus tamēqui verā lectionē adeptus ſit,Petrum Epiſcopum Equilinū lib.1. Catalogi Sāct. c.42.Is enim neutrū legit,ſed *Beccēſe*,quod verè fuit Herluini cœnobiū;quod etiam placuit Georgio Vicelio in ſuo Hagiologico,c.de feſto Concept.ne quis ſine authore putet nos incedere.Addamus nullo pacto legi poſſe *Remenſe*;quoniā cœnobium huius nominis nō in Anglia,aut Normania ſitū eſt,ſed in Campania Galliarū;nimirū in celeberrima vrbe Remenſi:ciuitas autē Remenſis C C C. M. paſſ. diſtat à Normania; quô quiſque facilè aduertat,nequaquā ad manū fuiſſe Guillermo Abbatē Remenſem, vt ipsū in Daciā mittere poſſet;quinimo ob tāti loci intercapedinē nequaquam ei notū fuiſſe. Vt quid n. quęreret alterius Regis ſubditū,cui ſua cōmendaret negotia,præſertim habēs in ſuis ditionib. viros omnigenæ artis,ac prudētiæ,belli domiq; expertiſſimos, qualē diximus Beccensē Abbatē. Difficilius videtur lectionē *Remeſiēſis* explodere,

Rob. Licius.

Cl. de Rota.

Equilinus.

Vicelius.

ſeu Remenſienſis, quandoquidem intra Angliam erat Benedictinorum cœnobium *Ramiſia* nuncupatum, cuius Abbas ad manum erat Guillermo, vt in Daciam mitteret ipſum. Sanè Polydorus de eius cœnobij fundatione hæc habet lib. 7. hiſt. Angl. *Circiter annum ſalutis* 979. *Oſuualdus Eboracenſis Archiepiſcopus moritur. Cuius pietatis teſtimonium præbet cœnobium Ordinis D. Benedicti, quod ille extruxit in pago Lincolienſis diœceſeos, & Ramuſia dicitur, quæ Elim inſulam proxima eſt.* Sed vt omittamus tunc legi oportere Rameſienſe cœnobium, & non Remeſienſe, nec Remenſienſe, vt fit; duo tamen ſunt, quæ eiuſmodi lectionem impoſſibilem conuincunt. Alterum videlicet, quòd Guillermus in rebus arduis, & firmitatem regni ſui concernentibus omnino abhorrebat Anglorum contubernium; quippe cùm ipſi præcipui eſſent hoſtes ſui imperij; & Dacos ad arma contra ipſum capeſſenda concitauerant: ob quæ reprimenda conamina, quatuor fortiſſimas arces in diuerſis regni partibus extruxit, in Nortyngamia vnam, prope fluuium Trentam, Lincoliæ alteram, Eboraci tertiam, Haſtingi quartam. Sic Polydorus lib. 9. qui addit, minimè adhuc his Regem ſatisfactum, nonnullos ex primoribus Angliæ in Normaniam miſiſſe, alios officiis & dignitatibus priuaſſe, Normandóſque ſibi vnicè fideles in eorum locum inſtituiſſe. Id etiam Rogerius ſcribit, inquiens, *dediſſe operam Regem, vt quamplures ex Anglis ſuis honoribus priuarentur, in quorum loco ſuæ gentis perſonas ſubrogaret.* Ob confirmationem

Polyd.

Roger.

mationem ſcilicet ſui,quod nouiter acquiſierat, regni. Addítque nec Abbates Anglicos ſibi fideles exiſtimaſſe: *Abbates etiam nonnulli ibidē degradati ſunt, vt in eorũ loco ſuæ gentis perſonas ſubrogaret.* Ergo ne Rex Guillermus ſic de alicuius Angli diligentia confideret, vt rem tanti momenti, qualis erat Anglorũ pariter, & Danorum exploratio, illi committeret? Aut verò deficiebant illi in Normania Abbates, quibus id committeret? Audi quid ipſe Rex moribundus dixerit regni primatibus, *Nouem Abbatiæ Monachorum, & vna ſanctimonialium, quæ à patribus meis in Normania fundatæ ſunt, me adiuuante, cum auxilio Dei creuerunt, & glorioſè multarum augmentis rerum, quas dedi, magnificatæ ſunt.* Ita refert Baronius tomo 11. Baron. ex Anonymo authore, qui cum ſcriptoribus Angliæ, cuſus eſt Francfordiæ anno 1602. Habebat igitur Abbates multos Guillermus, ſi vellet Abbatem vnum in Daciam mittere. Hi verò multo fideliores illi, quàm Ramiſienſis Anglus, erant.

Rurſus impoſſibilem omnino reddit lectionem illam, quod habemus ex grauiſſimo eius temporis ſcriptore, S. Alredo; Ramiſię Abbatem his ipſis diebus, non Herluinum, vel Helſinum, ſed Alexium fuiſſe nuncupatum, ipsúmque non quidem Guillermi Regis, ſed potiùs Haraldi rebellis ſui, & Angliæ Tyranni familiarem. Narrat ſiquidem Alredus, quòd cùm Noruegiæ Rex Angliam cum exercitu ſuo intraſſet, Alred. antè acceſſum Guillermi, Dei quidem proui-

dentia, vt Haraldi tyranni vires extenuaret, *apparuit tunc S. Eduardus* (Rex recèns mortuus) *cuidam Alexio Abbati Rameſia, viro religioſo dicens: Vade & dic Haraldo, vt homines, qui contra ius, & fas regni huius fines inuadunt, aggrediatur ſecurè: ego enim ero Dux & protector exercitus; quoniam iuſtitia gentis huius deeſſe non poſſum; per me enim reportabit vice hac de hoſte triumphum.* Vice, inquit, hac, quia paulo pòſt victoria cum regno, Guillermo ceſſura erat. Quid igitur nunc deſiderari oportet? Si Alexius erat tunc temporis Abbas Rameſienſis, & in Daciam non mittitur Alexius, ſed Herluinus qui erat Abbas in Normania; nequaquam in epiſtola legendus eſt Abbas Remeſienſis, ſed Beccenſis. Certè vt meum promam ſenſum, dubio procul mihi eſt, in antiquis codicibus *Beccenſem* legi, inde autem ab imperito aliquo facilè *B.* in *R.* & duplex *cc.* in *m*, mutatum fuiſſe, & ſic corruptè lectum in Remenſem: cæterùm cùm de rebus Anglicis hîc ageretur, & Remeſia in Anglia ſit, Remenſis verò vrbs Campaniæ Galliarum, aliquis Remenſem in Remeſienſem commutauit. Sed de his ſatis.

§. 5. *Haberi ex dictis, S. Anſelmum, primum omnium Conceptionem Virginis celebraſſe; eiúſque feſtum per Angliam & Gallias propagaſſe. Agitur etiam de authore feſti Eccleſiæ Lugdunenſis.*

Habemus

HAbemus igitur ex dictis Herluinum venerabilem Beccenſem Abbatem miſſum fuiſſe à Guillermo Normaniæ Duce,& Angliæ Rege in Daciam, vt vires & intentionem Canuti Regis exploraret; Ex quo manifeſtum eſt, ipſimet, dum iterum in Angliam rediret, mandatum cælitus fuiſſe de feſto Conceptionis Beatiſſimæ Virginis celebrando; quod in epiſtolà refertur. Adhuc autem duas inde vtilitates eliciamus, quæ maximè ad honorem feſti ſpectant; alteram quidem, quòd ex hoc notitiam habeamus perfectam,temporis, perſonæ,& cæterarum circunſtantiarum, hiſtoriæ reuelationis;cuius defectu,multi hactenus de ea iure dubitarunt;nec mirum,cùm caſus qui nomine cuiuſdam,& contigiſſe quodam tempore, in quodam loco refertur, vetularum fabellæ potius, quàm veræ hiſtoriæ ſpecimen gerat; & tametſi in noſtra,nomina & circunſtantiæ totius negocij notarentur,erant tamen omnia æquè confuſa, ac ſi notata non fuiſſent. Altera ſit, quam præcipuè intendimus, videlicet S. Anſelmum principem celebrantium feſtum fuiſſe,quandoquidem, quo tempore Herluino Abbati reuelatio facta eſt, ipſe Beccenſis cœnobij erat Prior, vt ſatis in ſuperioribus probatum eſt; celebratum verò primùm, à conuentu Beccenſi ex hiſtoria ipſa liquet;dicitur enim de Abbate:*Statuit autem idem feſtum in Beccenſi cœnobio celebrari, & ipſe quandiu vixit deuotis obſequiis celebrauit.* Certum autem eſt, reuelationem ipſam ab Abbate cũ Anſelmo Priore ſuo communicatã primùm;

& ab eodem examinatam & approbatam; aliàs minimè celebraretur. Hoc ex eo ſatis liquet, quòd res ipſa examine erat & approbatione Theologorum digna; Anſelmus autē ſui temporis facilè princeps; reuelationē verò ſatis ſupérque commendabant, tum ſanctitas & diſcretio Abbatis, tum quòd non in ſomnis vel in angulo illi ſeorſum oranti, vel quieſcenti facta fuit, ſed publicè coram nautis, & quotquot nauem illam conſcenderant; *Cúmque de ſalute corporum eſſent deſperati* (inquit author epiſtolæ) *animarum ſolummodo magnis clamoribus ſalutem Creatori ſuo commendabant. Et ecce ſubitò conſpiciunt quendam venerandæ habitudinis virum*, &c. Non igitur ſolus Abbas conſpexit ſuper tumidas maris vndas deambulantem cæleſtem illum nuntium, qui de ſummis cælorum fornicibus mundo notitiam feſti Conceptionis attulit; ſed quotquot in naui erant. Ex quo & cæteris rei circumſtantijs, ac patenti ſedatæ tempeſtatis miraculo ſubſequuto, facile fuit Anſelmo reuelationem totam approbare: quo fit vt iudicio factum ſit, vt feſtum in monaſterio ſuo celebraretur: nam, vt ait in eius vita Edinerus. *Quidquid* (Becci) *agi oportebat, ſub Anſelmi Prioris diſpoſitione fiebat.* In Abbatem poſt annos tres aſſumptus celebritatem continuaſſe dubium non eſt; ac poſtmodum in Canturienſem Archipræſulatum, & totius Angliæ Primatum euectus, tota Anglia celebrem fecit; atque vbicumque acceptus erat, promulgauit: id quod teſtimonio Concilij Cantuarienſis probatum reliquimus.

Edinerus.

Cùm

Cùm verò certum ſit nobis, ex ſuperiùs dictis, S. Anſelmum feſtiuitati Conceptionis dediſſe principium, & aliàs Eccleſiam Lugdunenſem eo tempore celebrem ipſam habuiſſe, quod epiſtola Bernardi abundè comprobat; conſequens eſt, vt ab Anſelmo eam acceperit. Et tametſi ſufficeret ad hoc probandum ipſius Anſelmi Epiſtola ad Epiſcopos Angliæ, & vniuerſos Orthodoxos ſcripta, & notitia feſtiuitatis Anglicanæ, ad cuius ſe exemplum Lugdunenſes Eccleſiæ conformarẽt; proculdubio mihi eſt, S. Anſelmum ſua præſentia, Lugduni feſtum eiuſmodi inſtituiſſe. Vt hoc ſuadeamus doctis & piis viris, ſatis erit oſtendere Anſelmum Lugduni non ſemel conſtitiſſe, nec in tranſitu quidem, & leuiter eam vrbem attigiſſe, ſed multũ inibi tempus conſumpſiſſe, & ſæpe Lugduni commoratum. Inde verò ſatis elucebit, feſtum, quod tantopere ipſe reuerebatur, & tota Anglia celebre fecerat, Lugdunenſibus quoque communicaſſe. Sed quando Lugdunum acceſſit Anglicanus Epiſcopus? Nimirum cùm à Guillermo II. Angliæ Rege, prædicti Guillermi I. & Normaniæ ducis filio, eo quòd iura Eccleſiæ defenderet exagitatus, extra Angliã peregrinari coactus fuit circa annum Domini 1097. cum Vrbano II. Romano & vniuerſali Pontifice de iis rebus acturus. Et quidem Edinerus ſocius eius itineris, (nam & teſtem oculatum habemus hac in re) lib. 2. vitæ ipſius multa ſcribit in hãc ſententiam, *Anſelmus itaque* (ait) *extra Angliam poſitus, magnificè lætatus eſt, & multiplices Deo gratias*

egit. Cùm autem Lugdunum veniſſet, & ab Archiepiſcopo ciuitatis ipſius glorioſè ſuſceptus fuiſſet, poſt dies paucos miſſis litteris, conſilium à Domino Papa de negotio ſuo quæſiuit; & quia partim imbecillitate ſui corporis, partim aliis pluribus cauſis præpeditus, vltra Lugdunum progredi nequaquam poſſet, ei ſuggeſſit. Itaque Lugduni reſedit reditum nuntiorum ſuorum ibi ſpectans. Poſt tempus Româ nuntij redeuntes, quoniam omni ſublata excuſatione, eum ad ſe Papa properare præceperit, referunt, &c. Honorificè admodum ab Vrbano ſuſceptus, cum eo Barenſe Concilium contra errores Græcorum celebrauit; cùm tamen priùs in Capuana Prouincia libro (*Cur Deus homo*, vltimam manum impoſuiſſet. Finito Concilio orator quidam Regis Angliæ *obtinuit ab Vrbano; vt inducias Regi Angliæ daret de cauſa Anſelmi. Quod Anſelmus agnoſcens illicò Lugdunum redire volebat*, (vide animum eius circa Lugdunenſes) *ſed prohibitus à Papa eſt propter Concilium quod ſe tertia hebdomada Paſcha Romæ habiturum ſtatuerat. Soluto conuentu* (Lateranenſi) *accepta licentia Roma digredimur: via verò redeundi multis erat periculis obnoxia, ſed protegente nos Domino, pericula cuncta euaſimus, ac Lugdunum illæſi peruenimus. Vbi ſummo cum honore gaudióque ſuſcepti, & à Pontifice ciuitatis, venerabili ſcilicet Hugone detenti, manſionem noſtram illic firmauimus, amiſſa omni fiducia viuente Rege Guillermo in Angliam remeandi. Habitus eſt ergo ibi Anſelmus*

mus non ſicut hoſpes, aut peregrinus, ſed verè ſicut indigena & loci Dominus. Vnde nuſquam ipſius vrbis Antiſtes, eo præſente, ſuo volebat loco præſidere, ſed præſidente vbique Anſelmo, ille mira humilitate, & honeſtate præditus, inferioris & quaſi ſuffraganei loco ſimul & officio fungebatur. Super hæc vt Epiſcopale officium per totam parochiam ſuam pro velle exerceret, in voluntate eius, ac deliberatione conſtituit. Quod vbi per loca vicina innotuit, ilicò frequens populorum concurſus factus eſt, vnctionem ſacri chriſmatis per impoſitionem manus iſtius poſcentium ſibi conferri. At ille omnes ad gratiam ipſius ſacramenti admittebat, itaut ſæpiſſime in hoc totus dies expenderetur, & nos qui ei miniſtrabamus graui tædio afficeremur, ipſo ſemper iucundo, & hilari vultu exiſtente. Creuit autem ex hoc in eum mira quædam, & incredibilis dilectio omnium, & bonitas eius diuulgabatur per circuitum. Pergit author enarrare miracula, quæ meritis S. Patris, Deus toto Lugdunenſi tractu operatus fuit illis diebus; & quòd Cluniacum ſecedens iterum Lugdunum reuerſus eſt. *Itaque* (ait) *in habitaculum noſtrum Lugdunum reuerſi, quietam vitam ab omni tumultu negotij ſæcularis agebamus: Anſelmus verò veram vitam ſerui Dei in ſanctis meditationibus, in omni ſexu ætatis, & ordinis hominum ad ſe venientium ædificationibus, ac cæterarum virtutum exhibitionibus exercebat. Per id etiam temporis ſcripſit librum vnum de conceptu Virginali, & peccato originali.*

De

De tempore autem infert; *Hinc exilij noſtri anno tertio, qui quô à Roma Lugdunum venimus erat ſecundus, iuit Anſelmus Marcianum,* (monaſterium Cluniacenſe Sanctimonialium.) *Poſtera die, cùm inde digreſſi Lugdunum veniſſemus*; &c. Refert alia quæ S.Doctori acciderunt Lugduni exiſtenti, quouſque mortuo Guillermo I I. Angliæ Rege,à nouo Rege Henrico, in Angliam vocatus abſceſſit. Habemus Anſelmum non paucis annis Lugduni commoratum fuiſſe, & quaſi ciuem ac domeſticum inibi habitum; & quàm beneuolo erat animo in Lugdunenſes affectus: quandoquidem illic quaſi in domo propria degebat. Addit Edinerus, iterum reuerſum fuiſſe ab Anglia denuo Regi Henrico infeſtū; & Lugduni iterum reſediſſe; *Perueniens ergo Lugdunum reſedit ibi ex more antiquo, in pace, & quiete, propriam præfati Hugonis, eiuſdem vrbis Archiepiſcopi, domum inhabitans*; quouſque poſt annum & dimidium, ira Regis ſopita, iterum in Angliam ſe recepit. Quis igitur credere renuat, Anſelmum dediſſe principium Lugduni feſto Cōceptionis B. Virginis, quandoquidem conſtat aliàs ipſum fuiſſe feſti promulgatorem, vbicunque audiri potuit? Cui accedit, eo loci ſcripſiſſe auream illam ſententiam, libro de Conceptu Virginali, & peccato originali inſertam, quæ tātopere credita eſt in fauorem Immaculatę Conceptionis facere; *Decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret*, &c. vt vel inde credamus de myſterio Conceptionis tunc temporis etiam egiſſe.

§.6. *Scri*

§. 6. *Scripſiſſe Anſelmum ſermonem de feſto Conceptionis: & quis ille ſit.*

SEd & ſermo ille ſpecialis, quem Anſelmus compoſuit de Conceptione immaculata B. Virginis Mariæ, cuius initium eſt, *Hodierna die,* ſatis ſuadet non ſolùm promulgaſſe feſtum ipſius in Anglia, ſed etiam Lugduni. Habent eum ſub Homiliæ nomine nonnulla Breuiaria, præſertim Segobienſe antiquum; & cognoſcunt ipſum ſub titulo *Sermonis*, Ioannes Bachonius antiquus, eximiúſque Theologus in 4. ſent. d. 2. q. 4. art. 1. & Bernardinus Buſtus Serm. 6. & 8. de Conceptione; & ex familia S. Dominici Ioannes Herolt ſerm. de eadem Concept. cúmque Petrus de Hojeda tranſcripſit in ſua informatione pro Immaculata Conceptione cap. 12. Et quod cæteris præſtat, bonam eius partem reperi in MS. codice qui fuerat Card. Baronij, & aſſeruatur in Bibliotheca Varcellenſi, ſeu Oratorij Rom. ſub tit. Tomus X. vitarum SS. fol. 298.

Bachon. **Buſtus.** **Herolt.** **Hojeda.**

Sermo S. Anſelmi Epiſcopi in die Conceptionis B. Virginis Mariæ.

HODIERNA die fratres Chariſſimi, ſanctæ Dei genitricis Virginis Mariæ Conceptionem celebramus, quæ omnium rerum nobis genuit Creatorem: & ideo cum ſummis

præco

præconiis & ſumma deuotione huius eſt excolenda Conceptio, quæ ſalutem mundo perdito contulit. Quis non tantæ Conceptionis obſtupeſcat miraculum? Hodie concepta eſt Virgo Maria, quæ Altiſſimi Patris filium ex Virginali vtero edidit nobis. * Hodie concepta eſt ſtella cæli; hodie concepta eſt palma virtutum, hodie concepta eſt ianua cælorum. O ineffabile gaudium! ô admirabile ſacramentum! ô inauditum miraculum! Deus ante ſæcula ex hac Virgine, cuius hodie conceptionem colimus, carnem aſſumere dignatus eſt. Lætentur igitur cæli, quia hodie concepta eſt Virgo, per quam reſtaurantur perdita agmina Angelorum. Exultet mundus, quia hodie concepta eſt Virgo, per quam diluitur omnis culpa, vulpina fraude illata. Tremeſcat infernus, quia hodie concepta eſt Virgo, per quam reddidit illos, quos tenebat crudeli carcere clauſos. Congaudeamus & nos pari conſenſu, fratres chariſſimi, & cum ſuauibus hymnis dulcia cantica modulemur, quia hodie concepta eſt Virgo, per quam meruimus accipere Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Hæc recitat Buſtus ſer. 6. de Cōcept. Virg.

Quiſquis autem paruipendendum putat huius Virginis celebrare Conceptionem, nec meretur eſſe cum fidelibus, nec poſtea cognoſcere Saluatoris aduentum. Quæ enim feſtiuitas huic eſt præponenda, per quam omnium feſtiuitatum eſt exorta deuotio? Hæc namque Virgo, eſt mater æterni luminis: hæc eſt ſponſa cæleſtis ſponſi, Angelorum gubernantis imperium:

rium : hæc eſt Virgo puerpera , domicilium caſtum, receptaculum Dei omnipotentis digniſſimum;cuius Reginæ generationem ex Dauidica ſtirpe, Sanctorum Euangeliſtarum ordo nobis deſcripſit: vnus enim illorum , per Regiam ſtirpem deſcendens(id eſt, deſcenſum ſcribens) de huius Virginis Conceptione ſic eſt exorſus. Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid,filij Abraham. Nulli ergo ſit pigrum , nulli onerosum celebrare eius feſta.

Sciendum , quòd ſicut in Eccleſia Natiuitas eius colitur , ſic debet & coli Conceptio : niſi conciperetur,minimè naſceretur.Iuſſu Dei naſcitur, & concipitur: quæ niſi naſceretur,mundi Redemptor ex ea non naſceretur. Imò ſi diuina gratia proſpiciatur , ſpiritualis Conceptionis eius dies, maior fore approbatur , quàm Natiuitatis. Res enim maior extitit , Adam à Deo creari, quàm filios eius de matre naſci.

Quiſquis igitur Præſul, vel Abbas, aut Prælatus es, recole diligenter eius ſolemnia , & cũctis iube eam coli ; quia ſi eam toto corde amaueris , numquam à gradu tuo depoſitus eris. In memetipſo probaui quod aio. Erubeſcant omnino * qui tantum diem tantáque Sacramenta, ac myſteria,tenebris ignorantiæ detenti,reſpuũt celebrare , eo quòd viri & mulieris copula in Conceptione Virginis extitit. Et licèt eius Cõceptioné, eo quòd carnalis extitit, * nõ placeat hodie celebrare;tamen diem illũ & noctẽ,quanuis ſanè multis incognita,& tẽpus &horã ſpiritualis Cõceptionis eius,hodie celebrare delectat: quia

* In aliquibus codicibus *Inſenſati.*

* al. *ſtultiæ.*

quia ipſe qui eſt animarum Creator, animam ſuæ matris dignam ſanctiſſimo corpori Virginali eius, Angelis miniſtrantibus copulauit. Si non placet illius celebrare ſolemnia Cõceptionis carnalis, Dominicæ Matris, placeat eis colere animæ eius ſpiritualem creationem, ac corporis & animæ copulationem. O quanta eſt dies illa, qua noſtræ Reparationis anima digna creatur, & ſacratur, & ſanctiſſimo corpori vnitur! Non eſt verus amator Virginis, qui reſpuit colere diem Conceptionis.

*al. inſani.

Erubeſcant iterum * qui hanc diem colere nolunt, quoniam aliorum Sanctorum Conceptiones, ſancta minimè conſueuit Eccleſia colere. Maximæ quidem ruſticitatis eſt, eam aliis Sanctis in hoc comparare, in qua Deus humanam carnem aſſumpſit; quam ſuper omnes ſanctos, etiam & Archangelos in cælis ſublimauit. Et quanuis cæteris Sanctis dies Conceptionis non ſit conceſſum vt celebretur, illi tamen ab Spiritu ſancto conceſſum eſt, quæ maior, & excellentior eſt cunctis. Pulchrè & dignè hanc dominationem ſuper cæteros Sanctos illa debet habere, quia per eam omnes Sancti beatificantur, & ſanctificantur. Quid longius? Conceptionem Dominicæ Matris colere, Chriſti generationem eſt commemorare. Celebremus ergo hodie dignis officiis vtramque Conceptionem eius, ſpiritualem ſcilicet & humanam, vt ipſius meritis & precibus à ſæcularibus curis, & à cunctis vitiis mereamur eripi, & ad æterna gaudia paradiſi perduci.* Huius celebratoribus

*Hæc Buſtus ſerm. 8.

toribus ſolemnitatis dicitur à filio eius Domino noſtro Ieſu Chriſto, pax & longa ſalus, & poſt tranſitum huius vitæ requies æterna.

§. 7. *Quibus auctoritas huius ſermonis demonſtretur.*

MVlta ſanè in hoc ſermone reperio ſcitu digniſſima: & illud in primis, quòd ex eo habemus ſatis manifeſtè, Anſelmi opus eſſe germanum: nam num.4. affirmat author de ſe, Præſulem fuiſſe, & in Præſulatu paſſum perſecutionem,ſed tamen meritis feſti Conceptionis Beatiſſimæ Virginis, minimè à gradu ſuo depoſitum: vnde & cæteris Prælatis Eccleſiæ eam deuotionem commendauit, futurum pollicens, quòd quantunuis à Principibus fuerint perſecuti, numquam à gradu ſuo depoſiti erunt. *Quiſquis igitur Præſul, vel Abbas, aut Prælatus es, recole diligenter eius ſolemnia, & cunctis iube eam coli; quia ſi eam toto corde amaueris, nunquam à gradu tuo depoſitus eris. In memetipſo probaui quod aio.* Notarunt hæc verba Anſelmi Ioannes illi duo celebres, Gerſon, & Herolt, & hunc ponunt inter præcipuos fructus celebrationis feſti Cõceptionis. Vis ſcire quomodo in ſemetipſo probauerit quod ait? Audi quæſo Edinerum latè hæc narrantem in lib. 2. vitæ ipſius. Pridie Nonas Decembris Cantuariæ conſecratus eſt. *Dehinc cùm ſe regali Curiæ (Londini) in Natiuitate Domini præſentaſſet, & honorificè à Rege ſuſceptus, primos dies feſtiuitatis circa Regem lætus tranſegiſſet;* Edinerus.

P *poſt*

poſt inſtinctu Diaboli, hominúmque malorum, mutatus eſt animus Regis contra eum; eo quòd ipſe ſpoliatis hominibus ſuis, mille libras denariorum ei pro agendis munificentia ſua gratiis, dare noluit, & ita Principe turbato à Curia diſceſſit. Nec dum viginti dies Pontificatus ſui ſine perſecutione tranſegit. *Poſt hæc paucis diebus interpoſitis, mandatur ad Curiam ire Anſelmus: qui opportunum ſe tempus nactum exiſtimans, Regem pro Eccleſiarum quæ de die in diem deſtruebantur reuelatione; pro Chriſtianæ legis, quæ in multis violabatur renouatione; pro diuerſorum morum, qui in omni ordine hominum quotidie nimis corrumpebantur correctione, cœpit interpellare; quæ omnia Rex cum indignatione ſuſcipiens, hominem diſcedere iratus præcepit. Hæc ſunt primordia perſecutionis Anſelmi. Multis itaque ac diuerſis iniuriis ab illis fatigabatur.* Sed quæ inde ſecuta? *Regem trans mare regreſſum Anſelmus adiit; & vt ſibi Romam ad Papam Vrbanum pro ſtola ſui Archiepiſcopatus eundi licentiam daret, humiliter petiit. At ille ad nomen Vrbani turbatus, dixit ſe illum pro Papa non tenere, nec ſuæ conſuetudinis eſſe, vt abſque ſua electione alicui liceret in regno ſuo Papam nominare. Hinc igitur orta quadã diſſenſio grauis eſt, ſed in aliud tempus diſcutienda eſt dilata. Indicitur ergo, vt totius Angliæ Epiſcopi, Abbates, & Principes, ad diſcuſſionem diſſidij huius apud caſtrum quod Rothingeam dicitur, veniant; Factum eſt, & tertia ſeptimana quadrageſimæ iuxta edictum conuenerunt. Cauſa in medium ducitur, & Anſelmus diuerſis querelis hinc inde concutitur. Siquidẽ multi & maximè Epiſcopi regiæ voluntati fauere volentes, ſpreto æquitatis iudicio, id probare*

re

re nitebantur ; quòd Anſelmus ſalua fide, quam Regi debebat, nullatenus poſſet in regno Vrbanum ſedis Apoſtolicæ Præſulem pro Papa tenere. Quibus cùm plura, quæ ratio tulerat, obiecta fuiſſent, & Anſelmus eos ex verbis Domini, Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, penitus infrenaſſet ; illi è contra quid dicerent non habentes, eum in Regem blaſphemare vno ſtrepitu conclamauère, quandoquidem auſus erat in regno eius, niſi eo concedente, quicquam vel Deo adſcribere. Tunc vniuerſi Epiſcopi ab eius obedientia reſilierunt, vno Roſenſi excepto. Anſelmus verò, *Balduino*, eius ſocio, *extra regnum depulſo, hominibúſque ſuis captis, & ſpoliatis, terríſque vaſtatis in immenſum afflictus eſt.* Vide obſecro, à quanto tempore Angli Papæ authoritatem ſufferre nequierint ; & quas eius rei gratia, iam olim, Anſelmus, calamitates paſſus fuerit. Perſtitit nihilominus Anſelmus in eiuſdem profectionis Romanæ facultate à Rege impetranda, quouſque tertiò pulſatus, & rogatus Rex, *turbato animo iubet, vt aut cœpto deſiſtat, & inſuper ſe numquam B. Petrum vel ſedem eius pro quolibet negotio appellaturum iureiurando promittat ; aut ſine mora, omni ſpe remeandi ſublata, ſuo regno recedat.* Sed quid ad hæc Anſelmus ? *Rege igitur, & Curialibus contra virum Dei in iram permotis, ipſe ad eum placido vultu ingreditur, & ad dexteram eius ex more aſſidens, ait : Ego Domine, vt diſpoſui, vado, ſed primò meam vobis benedictionem, ſi non abiicitis, dabo, quam cùm ille ſe nolle abiicere responderet, conquieſcentem Regem ad hoc, leuata dextera benedixit, ſicque relicta Curia Cantuariam venit.*

Inde verò ab Anglia receſſit, & in Galliam,Italiámque profectus Vrbano viſitato, Lugduni reſedit extorris à Sede & patria : quouſque Guillermo Rege extincto, ſagitta ei in corde, dum venatum iret, immiſſa, prope feſtum Aſſumptionis B.Mariæ, *nuntij Anſelmo occurrunt, litteras ei cum precibus ex parte matris Eccleſiæ Anglorum, ex parte noui Regis Henrici, qui fratri ſucceſſerat, necnon ex parte Principum regni deferunt, ſummopere poſtulantes eum feſtinato greſſu redire, & aſſerentes totam terram in aduentum illius attonitam, omniáque negotia regni ad nutum eius pendere dilata.*

En primæ perſecutionis terminum glorioſum, ſed nondum ſtatim finem : nam non minorem paſſus fuit ab Henrico Rege : hæc verò in prima colloquutione vtriuſque cœpit oriri. Nam *vbi Seſberiam ad Regem venit, & ei quid de Eccleſiarum inueſtituris in Romano Concilio acceperit plano ſermone innotuit, turbatus eſt Rex, ac vehementer indoluit, nec nutum eius in aliquo, ſicut nuntij dixerant, expectare voluit.* Miſſus deinde Anſelmus à Rege ad Papam de inueſtituris cum eo acturus : *Rex autem Henricus, vt comperit Papam in ſua ſententia ſtare, mox Archiepiſcopatum in ſuum dominium redegit, & Anſelmum omnibus expoliauit.* Eo temporis perueniens Lugdunum vir ſanctus reſedit ibi ex more antiquo ; ac tandem Normaniam petiit, vbi poſt multos labores, dum Becci moram faceret cum ſuis Monachis, ira demum Regis ſopita eſt. Sed quo tempore? *Dehinc in Aſſumptione B.Deigenitricis, & perpetuæ*

petua Virginis Mariæ Rex Henricus Beccum adueniens, omnia quæ inter ſe & Anſelmum reſederant, moderante Sedis Apoſtolicæ ſanctione deleuit. Redit igitur victor in Angliam Anſelmus, *Rex verò valde lætabatur quòd fuerat Anſelmi pace potitus,* & cùm victoriam eo temporis à quibuſdam rebellibus obtinuiſſet, *omnes qui hæc geſta audiere, eam meritis concordiæ, quam Rex cum Anſelmo fecerat, adſcripſere.*

Hactenus de perſecutionibus S. Anſelmi, oculatus teſtis Edinerus, qui ſubdit: *Tertio anno poſtquam à ſecundo exilio per Regem Henricum reuocatus eſt, omnes cibi in faſtidiũ ei verſi ſunt: qua vi per dimidium circiter annũ vitã quoquo modo tranſigens, ſenſim corpore deficiebat,* ac tãdem diem egit extremum anno Domini 1109. Pontificatus ſui 13. vitæ verò 76. Ipſe igitur Anſelmus eſt qui in ſe probauit, quod cæteris commendauit, inquiens, *In memetipſo probaui quod aio.* Ipſe qui perſecutiones multas paſſus, beneficio tamen deuotionis Conceptionis immaculatæ Virginis numquam à gradu ſuo depoſitus fuit. Cuius vel illud magno arguměto eſſe poteſt, quòd à duobus exagitatus Regibus, bis exilium paſſus, bis quoque feſto Virginis die, ab exilio liberatus eſt. Sed & illud memoria dignum, quòd prioris exilij tempore, ac morte præcipitij cuiuſdam, meritis eiuſdem Virginis liberatus fuit; cùm enim prope Capuam Apuliæ ciuitatem in quadam Eccleſiola hoſpitaretur, de nocte conſurgens, cecidit in ciſternam magnæ profunditatis, clamoſa voce dicẽdo, *Sãcta Maria*; expergefacti

ſocij à ſtrepitu, ſubitò accurrunt, & virum Dei præcipitem datum videntes, præ timore ſimul & anguſtia cordis exanimati ferè ſunt. Hoc ipſe percipiens, mox leuato capite, vultu iucundo innuit, nihil læſionis ſeſe perpeſſum. Deſcendentes verò quidam eorum ex altera parte ipſius præcipitij, quà via erat deſcendendi, eduxerunt eum à loco, ſanum omnino, atque incolumem. Hæc ferè ad verbum Edinerus. Quo videas deuotione ſanctiſſimæ Deiparæ, cuius Conceptionem vbique prædicabat, à periculis cunctis & à perſecutionibus liberatum, vt veriſſimè dicere poſſet, *Quiſquis igitur Præſul vel Abbas, aut Prælatus es, recole diligenter eius ſolemnia, & cunctis iube eam coli: quia ſi eam toto corde amaueris, numquam à gradu tuo depoſitus eris.* & quod expertus loquebatur, *In memetipſo probaui quod aio.*

Animaduerſione quoque digniſſimum eſt, quòd numero tertio eiuſdem ſermonis feſtiuitas Conceptionis, eo inter alia niti aſſeratur, quòd neceſſariò præceſſerit eiuſdem Virginis Natalem. Si enim gaudemus de eo quòd nata ſit tandiu deſiderata Virgo, quæ remedium mundo perdito allatura erat, ſimul etiam gaudere debemus, de eo quòd tandem concepta ſit, & proxima iam ſit ſalus noſtra; quandoquidem qui de fine adepto lætatur, non poteſt non lætari de mediis, quæ neceſſariò conducunt ad eius adeptionem. At verò Conceptio Virginis medium neceſſarium fuit ad re-

demptio-

demptionem humani generis. Hoc ſanè eſt quod in epiſtola dicitur; *Sciendum quòd ſicut in Eccleſia Natiuitas eius colitur, ſic debet & coli Conceptio: ſicut enim ad ſaluandum genus humanum, olim fuit neceſſaria Natiuitas eius, ſic fuit neceſſaria Conceptio eius: niſi conciperetur, minimè naſceretur, iuſſu Dei naſcitur, & concipitur: quæ niſi naſceretur, mundi Redemptor ex ea non naſceretur.* Habentur hæc verba ſub nomine S. Anſelmi in vetuſtiſſimo Cod. MS. ſuperiùs à me citato §. 6. qui fuerat Card. Baronij, tanta vetuſtate referto, vt penè characteres in membrana aboliti ſint. Imò verò verba ipſa abundè probant ſermonem iſtum germanum fœtum eſſe Anſelmi, quippe cùm Lugdunenſes ea ipſa ratione, ſimul cum reuelatione niterentur, ad feſti celebrationem, quam ab Anſelmo ſuſceperant. Quòd verò Lugdunenſes ea vterentur ratione, teſtem omni exceptione maiorem habemus Bernardum in epiſtola de Conceptionis feſto ad eoſdem ſcripta; ibi enim cùm Lugdunenſes de cauſa feſti rogaret, reſpondiſſe refert, celebrandam eſſe Conceptionem, ſicut & Natalem, quia nimirum ſi conceptus non præceſſiſſet, non eſſet natalis, qui honoratur. En verba Bernardi: *Quid adhuc addendum his putamus honoribus? Vt honoretur, inquiunt* (nimirum Lugdunenſes cum quibus diſputat) *& conceptus, qui honorandum præiuit partum: quoniam ſi ille non præceſſiſſet, nec iſte eſſet qui honoraretur.* Verum quidem eſt nullatenus eam Bernardo Bern.

rationem ſufficientem viſam eſſe ad celebrandam Conceptionem ; & contra ipſam obiecisſe, tum quòd inde ſequeretur, quòd etiam parentibus, auis, & proauis Virginis feſtum eſſet celebrandum, & toti retro generationi ſuæ, quandoquidem neceſſariò & ipſi præceſſerunt Natalem Virginis. *Quid ſi alius propter eandem cauſam etiam vtrique parenti eius feſtos honores aſſerat deferendos? Sed & de auis, & proauis, idipſum poſſet pro ſimili cauſa quilibet flagitare, & ſic tenderetur in infinitum, & feſtorum non eſſet numerus.* Tum etiam quoniam non ex eo quòd natiuitas ſit ſancta, & vti talis in Eccleſia celebretur, ſtatim ſequitur quòd Conceptio quoque ſancta ſit; *Nam quid conſequentia* (inquit) *habet, vt quoniam ſanctum præceſſit Natalem Conceptus propterea reputetur & ipſe ſanctus? Nunquid quoniam præceſſit eum, fecit eum ſanctum? quia ſi præceſſit vt eſſet, non tamen vt ſanctus eſſet.* Et cætera quæ in eam ſententiã doctè & ſubtiliter proſequitur. Licèt, inquam, verum ſit D. Bernardum rationi eiuſmodi contradixiſſe, & inſufficientem ad feſtum Conceptionis celebrandum exiſtimaſſe, hoc tamen non tollit, quin à Lugdunenſibus data fuerit; imò ex eo ipſo quòd Bernardus eam in Lugdunenſibus reprehendit, manifeſtè conuincitur eius teſtimonio, Lugdunẽſes in fauorem ſui feſti protuliſſe rationem petitam à ſermone præſenti S. Anſelmi. Cuius rei argumento eſſe poteſt, quòd, teſte eodem Bernardo, Lugdunenſes requiſiti, de fundamento nouæ feſtiuitatis,

pro

produxerunt itidem reuelationem petitam ab epiſtola eiuſdem Anſelmi, inquit enim Bernardus: *Sed profertur ſcriptum ſuperna, vt aiunt* (Lugdunenſes) *reuelationis.* Et tametſi fidem eidem non præſtet, eo quòd talis reuelatio ab Eccleſia approbata non ſit; affirmat tamen, verè Lugdunenſes illi præcipuè inniti. Quare dubium non eſt, S. Bernardi teſtimoniuo ſermonem hunc & epiſtolam Anſelmi canonizari; quòd videlicet, eis vterentur Canonici Lugdunenſes.

§. 8. *In quo Anſelmi & Bernardi de Conceptione diſſidium fuerit.*

SI quæras verò in quo Anſelmi & Bernardi fuit diſſidiũ; illud in primis dicendũ videtur, non fuiſſe de myſterio immaculatæ Conceptionis B. Virginis, prout nunc voce Conceptionis fœtus animationem intelligimus; quandoquidem vterque nomine Conceptionis carnale matrimonij exercitium intellexit, videlicet receptionem paterni ſeminis in vuluam maternam: id quod §. 6. poſterioris libri Bernardi vindicati euidentiſſimo S. Anſelmi teſtimonio monſtrauimus. (Et de Bernardo toto illo libro itidem oſtenſum eſt.) Ex eo ſiquidem quòd homo dicatur concipi in peccatis, *inferri* (inquit) *videtur, quòd aut infans ſtatim ab ipſa Conceptione animam habet rationalem, aut in eo non eſt originale peccatum, mox vt conceptus eſt. Quòd autem mox ab ipſa Conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus ſuſpicit ſenſus; ſequitur*

enim vt quoties ſuſceptum ſemen humanum (etiam ab ipſo momento Conceptionis) perit antequam perueniat ad humanam figuram, toties damnetur in illo anima humana. Hac igitur pars penitus relinquenda eſt. Aſſerit igitur, penitus relinquendam eſſe vt falſam partem illam ſui dilemmatis, videlicet, *quòd infans ſtatim ab ipſa Conceptione rationalem animam habeat*; quare dubium non eſt, nihil minus docuiſſe nomine Conceptionis intelligi, quàm animationem ipſam: quinimo abſurdiſſimum, ac proinde penitus reiiciendum iudicat, aſſerere, quòd infans in ipſa Conceptione accipiat animam: & manifeſtè Conceptionem agnoſcit in ipſo momento ſuſceptionis ſeminis; ait ſiquidem, ſi ſtatim ab ipſa Conceptione infans animam habet rationalem, fieri vt pereunte humano ſemine, immediatè poſt ſuſceptionem ipſius in vuluam maternam, periret quoque, ac damnaretur anima illa. quod eſt falſum, eſſet enim aborſus verus ante formationem fœtus.

Rurſus in Conceptione ipſa ſic intellecta nō poteſt reperiri formale peccatum, cùm in ea fœtus animatus nondum ſit; ſed radix duntaxat, aut debitum peccati. Id quoque ex profeſſo Anſelmus expoſuit citato capite, & nos ex ipſo §. illo 6. quò lectorem remittimus. Quare relinquitur vt inter Bernardum, & Anſelmum diſſidium non ſit de præſeruatione Virginis ab originali peccato in animatione ſua, quam nomine Conceptionis minimè ſignificarunt; nec de præſeruatione à debito peccati, in ipſa Conceptione, neuter enim à debito illam excludit, ſed

de

de feſto, quod Conceptioni celebratur: Anſelmus ſiquidem aſſerebat celebrari poſſe & debere, Bernardus autem negabat; ille quidem mouebatur ex eo quòd tunc temporis ingens humano generi beneficium contulerat Deus, futuræ redemptionis fundamenta iaciens; hic verò ex eo quòd Conceptio ipſa ſine peccato non erat. Anſelmus diuina reuelatione mandatum nòuerat fieri feſtum, Bernardus quam non nouerat reſpuebat: præſertim cùm neque reuelatio, neque feſtum ab Eccleſia Romana adhuc approbata eſſent; quod tamen Anſelmus non credebat tunc temporis neceſſarium; quilibet namque Epiſcopus in ſua diœceſi ſicut ſanctos, feſta quoque canonizabat, cùm necdum id Apoſtolicæ ſedi reſeruatum eſſet. Cæterùm cùm feſtiuitas Conceptionis, nimirum carnalis, rei verè ſanctæ non eſſet, & ſimilis numquam introducta fuiſſet in Eccleſiis, videbatur Bernardo eo caſu omnimodis recurrendum ad Romanam ſedem, eiúſque iudicium ſuper eiuſmodi feſtiuitate expectandum. Talis fuit Bernardi & Anſelmi diſcordia; de myſterio autem præſeruationis in animæ Sanctiſſimæ Virginis infuſione quod nunc temporis ſub iudice ac celebritate eſt, nequaquam ab inuicem diſcreparunt. Et de S. P. Bern. ſatis ſupérque id ſuperiori tractatu demõſtratũ eſt; de S. autẽ Anſ. nunc oſtendendũ.

Sanè in ſermone hoc de Couceptione, conceptis verbis præſeruationem faſſus fuit, toto ferè num. 4. Cùm enim nonnullos ſibi repugnãtes Anſelmus experiretur, feſtúmq; eo quòd

Conce

Conceptionis cuiuſdam carnalis eſſet, viri & fœminæ commixtione perfectæ, reſpuentes, in id tandem nomen Conceptionis contorſit, vt ſub eo quoque animæ infuſio in corpus Virginis intelligeretur, quæ ab omni contagione peccati eo temporis præſeruata fuit. En verba

Anſelm. S. Doctoris. *Et licèt eius Conceptionem, eo quòd carnalis extitit, illis non placeat hodie celebrare, tamen diem illum & noctem, quamuis ſanè multis incognita, & tempus & horam ſpiritualis Conceptionis eius hodie celebrare delectat; quia ipſe qui eſt animarum Creator, animam ſuæ Matris dignam ſanctiſſimo corpori virginali eius, Angelis miniſtrantibus copulauit. Si non placet celebrare ſolemnia Conceptionis carnalis Dominicæ Matris, placeat eis colere animæ eius ſpiritualem Creationem, ac corporis, & animæ copulationem. O quanta eſt dies illa, qua noſtræ Reparatricis anima digna creatur, & ſacratur, & ſanctiſſimo corpori vnitur.* Quibus verbis clariora ſcribi non poſſunt.

Nec id in Anſelmo nouum videri debet, cùm eandem præſeruatæ Virginis ab originali contagio ſententiam expreſſerit in commentariis

Anſelm. cap. 5. epiſt. 2. ad Corinthios; dum enim exponeret verba illa Pauli, *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt:* ſic ait, *Si vnus Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, id eſt, vt omnes viuant; ergo neceſſe eſt fieri, quia omnes mortui ſunt in anima per peccatum, quorum viuificatio quæſita eſt in morte vnius, qui peccato ſolus carebat, nec mortis animæ particeps eſſe poterat.* Sed nunquid nullus alius fuit abſque peccato? Audi exceptionem generalis

ralis regulæ. *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, dempta Matre Dei, ſiue originalibus, ſiue etiam voluntate additis vel ignorando, vel ſciendo, nec faciendo quod iuſtum eſt.* Quibus manifeſtè aſſerit, omnes prorſus mortuos fuiſſe, ſiue originali peccato ſolùm vt pueri, ſiue etiam voluntate additis peccatis, quando non fit quod iuſtum eſt, aut ignorantia, aut malitia: *dēpta* tamen *Matre Dei*; quaſi dixerit (quod inde neceſſariò ſequitur) ipſa enim numquam in peccatis mortua fuit, non ſolùm actualibus, ſed etiam originalibus. Non me latet hoc teſtimonium infringere aliquos voluiſſe, aſſerendo, commentarios iſtos, qui in epiſtolas Pauli ſub nomine S. Anſelmi circumferuntur, non eſſe Anſelmi, ſed Heruæi; ſed præterquam quòd doctrina de immunitate Virginis à peccato originali, minus redolet Thomiſtam inſignem, qualem fuiſſe profeſſione conſtat Heruæum, reluctantur antiquiſſimi M S. Codices, & ferè omnes impreſſi, qui Anſelmi opus eſſe profitentur. Standum autem maiori teſtium numero nemo negabit.

§. 9. *Exſtare adhuc bonam partem libri de Conceptione Virginis ab Anſelmo elaborati.*

SCripſit quoque eiuſdem argumenti ſpecialem librum ipſe Anſelmus, quem vt legitimum eius partum iam olim Ioannes Bacho- **Bachon.**
nius

nius agnouit, in 4. ſent. diſt. 2. q. 4. art. 1. ſub titulo libri de Cóceptione Virginis, cuius exordium eſt, *Principium quo ſalus*, &c. perlegit quoque inter alios Bernardinus Buſti, eiúſque refert fragmenta non pauca (in ſerm. 4. de Concept. p. 1.) præſertim capitum 3. 4. 5. 6. 7. & 9. priora autem tria, nimirum cap. 1. 2. & 3. inueni in antiquo Breuiario Eborenſi, iuſſu Henrici Infantis Portugalliæ, & S. R. C. Cardinalis, & demum Regis correcto, quæ omnia hîc inſerere in gratiam lectoris volui. Hoc vnum tamen notarim, capita ipſa breuitate ſua ſatis admonere, ita forſan diuiſa, vt Matutini officij lectionibus inſeruirent.

Buſtus.

Sancti Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis de Conceptione B. Mariæ Liber.

Capvt I.

PRincipium, quo Salus mũdo proceſſit, mihi conſiderare volenti, occurrit hodierna feſtiuitas, quæ de Conceptione Beatiſſimæ Matris Dei Mariæ multis in locis recolitur. Nec magni ponderis eſt, omne quod dignitati, aut honori eius humana laude defertur, ſi meritis illius, & inſignibus comparetur. Tantorum nãque bonorũ conſummatio, quæ per ipſam Domini Matrẽ omni creaturæ prouenerunt, videtur admonere omnẽ humanam creaturã, pietatis affectu exordiũ ſuum conſiderare, quàm ſublime, quàm diuinũ, quàm ineffabile fuerit. Nec mirũ; funda

fundamentum ſiquidē,& quaſi quoddā ſacrariū ciuitatis & habitaculi ſummi boni in ea ponebatur:& māſio lucis æternæ corporalis,quā corporaliter inhabitaret ille incorporeus, & incircūſcriptus,creās ſimul & viuificās omnia Spiritus,parabatur.Sancta igitur Virgo Maria Mater Dei futura,ſicut eū qui ſupra omnia eſt incomprehenſibilis,verū erat hominē ineffabili modo de ſua ſubſtantia Virgo paritura, ac per hoc in Deitatē illius quodammodo tranſitura; ita non abſurdè credi poteſt, primordia Conceptionis eius tanta diuinitatis ſublimitate præſignata,vt humanarum conceptio mentiū ea planè penetrare non valeret. Et ideo eiuſdē Conceptionis dies feſtiuis laudibus à multis fidelibus meritò celebratur.

CAPVT II.

DE ipſa quippe multis ſæculis ante ortum eius Iſaiā Spiritu ſancto afflatū dixiſſe cōſtat: *Egredietur Virgo de radice Ieſſe,& flos de radice eius aſcendet;& requieſcet ſuper eū Spiritus Domini.* Hæc itaque virga, quæ talē ex ſe protulit florē, nullo diſſentiēte Virgo Maria fuit;& flos qui de radice eius aſcendit,eius benedictus filius;ſuper quē,& in quo omnis plenitudo diuinitatis eſſētialiter requieuit.Hæc igitur tanti filij digniſſima parens, cùm in aluo ſuæ parentis naturali lege conciperetur; quis non concedat Dei ſapientiam à fine vſque ad finem pertingentem, cuncta implentem, cuncta regentem, nouo quodam & ineffabili gaudio cælum & terram,

&

& omnia quæ in eis ſunt, profundiſſima, atatque ineffabili iubilatione, pro ſua reintegratione, quam per illam ſibi euenturam, diuina, & occulta inſpiratione præuidebat, perilluſtraſſe?

CAPVT III.

SEd cùm ipſa Conceptio fundamentum fuerit habitaculi ſummi boni, ſi peccati alicuius ex primæ præuaricationis origine maculam cõtraxit, quid dicemus? Vtique diuina voce dicitur ad Ieremiam, *Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de ventre ſanctificaui te.* De Ioanne quoque Angelus qui eum naſciturũ prænuntiabat, aſſeruit, quòd Spiritu ſancto repleretur adhuc ex vtero matris ſuæ. Si igitur Ieremias, qui in gentibus erat Propheta futurus in vulua eſt ſanctificatus; & Præcurſor Domini Ioannes Spiritu ſancto ex vtero matris eſt repletus; quis dicere audeat, totius ſæculi Propitiatorium, mox in ſuæ Conceptionis exordio, Spiritus ſancti gratiæ illuſtratione deſtitutum? Teſtante verò Scriptura, vbi Spiritus Dei, ibi & libertas; à ſeruitute igitur omnis peccati libera fuit, quæ olim peccatorum propitiatori aula, in qua & ex qua perſonaliter homo fieret, Spiritus ſancti præſentia & operatione conſtruebatur.

CAPVT IV.

MAgnitudinem operationum diuinæ virtutis, quadam mentis limpitudine pro

poſſe

poſſe conſiderans, videor mihi videre; quòd ſi quid originalis peccati in propagatione eius, & communis vitij exſtitit, illud propagantium, & non propagatæ prolis fuit. Nã ſi Dominus caſtaneæ confert, vt inter ſpinas remota compunctione recipiatur, alatur, & formetur; non potuit hoc dare humano, quod ſibi parabat templo, in quo corporaliter habitaret, & de quo in vnitate perſonæ perfectus fieret; vt licèt inter ſpinas peccatorum conciperetur, ab ipſis tamen ſpinarum aculeis, omnimodè exors redderetur? Planè potuit, & voluit; quòd ſi voluit, & fecit. Et quidem quidquid dignum vnquam de aliquo extra ſuam perſonam voluit, perperam eſt de te ô beatiſſima fœminarum noluiſſe. Matrem te fecit ſuam ille rerum omnium factor, & gubernator Dominus, omnium, inquam, intelligibilium, & intellectum tranſcendentium; & te Dominam, ac Imperatricem cælorum, terrarum, atque elementorum conſtituit: & vt ita eſſes, in vtero matris tuæ à primordiis Conceptionis, operante Spiritu ſancto crearis. Nunquid igitur in tanta futura gloria ſummi videlicet Dei mater vnica, & omnium quæ ſunt, fuerunt, & erunt, poſt Filium tuum Imperatrix prudens, & nobilis; nunquid in exordio tuo talis eſſe debuiſti, vt omnium quorum te dominium gerere certiſſimè nouimus, aut puritati, aut ſubiectioni poſſis addici?

CAPVT V.

ILle aſſertor puræ veritatis, & à Filio tuo, iam cælo præſidente, vas electionis cognominatus,

Paul. ad Rom. 5. tus, omnes homines in Adam peccaſſe fatetur; vera vtique ſententia, & cui contradici nefas eſſe pronuntio. Sed cùm eminentiam gratiæ Dei in te conſidero, ſicut te non intra omnia quæ facta ſunt, inæſtimabili modo contueor; ſic nec lege aliorum in tua formatione demetitã fuiſſe opinor, ſingulari, & humano intellectu impenetrabili Diuinitatis virtute, & operatione ab omni peccati adiunctione liberrima. Peccatum fuerat quod homines à pace dirimebat; & vt illud Filius Dei euacuaret, ſícque ad pacem genus humanum reuocaret, homo fieri voluit, & talis vt nihil in eo aliquatenus remaneret, quod non concordaret ei, vnde homo à Deo diſcordabat. Quia ergo ita fieri oportebat, matrem de qua talis lis tolleretur, mundam ab omni peccato eſſe decebat. Aliter quo pacto illi ſummæ puritati caro eius tanta coniunctione vniretur, vt indifferenter quæ ſunt hominis eſſent Dei, & quæ Dei hominis eſſent?

Capvt VI.

Adhuc propone tibi palatium, quod ſpecialiter ſuis vſibus aptum exiſtat, conſtruere volentem, in quo & ipſe frequentiori, & feſtiuiori curſu conuerſetur; & omnibus ope eius, atque auxilio indigentibus mitiori, & lætiori vultu reſpondeat, & auxilietur. Pateretur ne, quæſo, in principio palatij fundamentum inualidum, & ſtructuræ, quæ foret ædificandæ, incongruum, & non cohærens? Non puto ſi ſa-

peret,

peret, & propoſitum ſuum ad effectum perducere vellet. Ergo ſapientiam ante omnia ſæcula propoſuiſſe ſibi, habitaculum, quod ſpecialiter inhabitaret, conſtruere, ſimiliter indubitata fide tenemus. Quod autem habitaculum iſtud fuerit, iam dudum innotuit; hoc enim habitaculum, illud Sacrarium Spiritus ſancti eſſe fatemur, in quo & per quod eadem Sapientia humanæ naturæ coniungi voluit, & incorporari, & omnibus ſe pura mente confitentibus parcere, & miſereri; quod Sacrarium Aula videlicet vniuerſalis propitiationis, cùm operante Spiritu ſancto conſtrueretur, ſi fundamentum illius, ſcilicet initium, ſiue primordium formationis beatæ Mariæ corruptum fuit, ipſi certè conſtructuræ non congruebat, nec cohærebat. Inſcia ne fuit & impotens ſapientia Dei, & virtus, mundum ſibi habitaculum condere remota omni labe conditionis humanæ? Angelis aliis peccantibus, bonos à peccatis ſeruauit; & fœminam, matrem ſuam mox futuram, ab aliorum peccatis, exortem ſeruare non valuit? In æternitate conſilij fixum ſtatuit, eam dominatricem, & Reginam fore Angelorum; & nunc inferiorem Angelis natam, in conſortium acceptam eſſe credamus omnium peccatorum? Exiſtimet hoc, & argumentis ſuis probet qui vult: ego donec oſtendat mihi Deus aliquid dignius excellentia Dominæ noſtræ poſſe dici, quæ dixi, dico, quæ ſcripſi non muto; cæterùm me & intentionem meam, Filio eius, & illi committo.

Capvt VII.

NIhil tibi Domina æquale, nihil comparabile eſt; omne enim quod eſt, aut ſupra te eſt, aut ſubtus te eſt; quod ſupra te eſt, ſolus Deus eſt; quod infra te, omne quod Deus non eſt. Ad tuam tantam excellentiam quis aſpiciet? Quis attinget? Et certè vt ad hanc excellentiam peruenires, in humillimo loco, id eſt, in vtero matris tuæ puriſſima oriebaris. Quòd ſi tali modo concepta & ordinata non fuiſſes, ad tantam celſitudinem non ſuccreuiſſes.

Aliquid huius capitis, deeſſe videtur, & totum octauum.

Capvt IX.

DE Domina noſtra, quam in tantum culmen prædeſtinauit, & extulit diuina potentia, quam tot prærogatiuis dotauit cuncta diſponens Dei ſapientia, quam ſibi Matrem elegit ad mundo ſubueniendum, ipſa omnium ſaluandorum ineffabilis Dei miſericordia, dicere, morte peccati, quæ per inuidiam Diaboli occupauit orbem terrarum, in ſuo conceptu prægrauari, vt taceam interim ipſas, quas commemoraui rationes, animus euitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet. Qui aliter ſapiunt, & melius approbant credant; ego piiſſima Domina, qualiſcumque ſeruulus, credo & fateor, quòd tu ex radice Ieſſe pulcherrima, ac per hoc ab omni, quod te decoloret, peccati vulnere aliena, integerrima permanens, florem pretioſiſſimum protuliſti, non qualemcumque

cumque, ſed ſuper quem ſeptiformis Spiritus requieuit.

§. 10. *Alterà pars epiſtolæ S. Anſelmi ad Epiſcopos Angliæ proponitur.*

HÆc de S. Anſelmi libro, quæ ad manus meas venire datum eſt, ab obliuione in qua iacebant, vindicare placuit; tametſi credam nullatenus hîc integrum de Conceptione librum adeſſe, reperire tamen plura non valui. Ne tamen labori meo deeſſe videatur, aliquid ab Anſelmo in gratiam Conceptionis ſcriptum, quod prę manibus ſit, libet nunc pro huius primi libri coronide inſerere reliquã partem epiſtolæ, quæ vulgo eius nomine circumfertur ad Epiſcopos Angliæ; ſuperiùs ſiquidem pro loci commoditate ſolùm tranſcripſimus reuelationem Herluino Abbati factam, nunc verò duas alias apponimus, quibus integra manet epiſtola, vt vulgo circumfertur.

Epiſtola S. Anſelmi de feſto Conceptionis B. Virginis Mariæ.

Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus & Paſtor Anglorum Coëpiſcopis ſuis, cunctiſque Orthodoxis, ſalutem & perpetuam in Chriſto benedictionem.

COnceptio venerandæ Deigenitricis perpetuæ Virginis Mariæ,] cum reliquis de re-

 uelatione

uelatione Herluino facta, quæ ſuperiùs §. 2. ſcripta fuere, vſque ad illa verba, *digna mercede remunerentur.* Sequitur deinceps.

Rurſum hæc ſolemnitas alibi alio modo declaratur. Tempore namque Caroli Regis Francorum illuſtriſſimi, Clericus quidam ordine Diaconus Vngariæ Regis germanus, Matrem Ieſu toto corde diligens, eius horas ſolicitus decantabat. Parentum autem ſuorum conſilio, nubere volens cum quadam adoleſcentula valde pulcherrima, accepta à Preſbytero nuptiali benedictione, quadam die, Miſſa etiam celebrata, recordatus quòd eiuſdem beatiſſimæ Virginis horas illa die, iuxta morem ſolitum, non cantauerat; ſponſam domum mittens, omnes ab Eccleſia exire coëgit, & ipſe iuxta altare Virginis ſolus remanſit. Cúmque horas Dominicæ Matris decantaret, & hanc Antiphonam, *Pulchra es & decora filia Ieruſalem,* diceret; ſubitò apparuit ei Virgo Maria cum duobus Angelis, dexteram eius manum, & læuam tenentibus, dicens ei: Si ego ſum pulchra, & decora, quid es, quòd dimittis me, & ſponſam aliam accipis? Nunquid ego ſum optimè formoſa? Nunquid ego ſum pulchrior illa? Vbi vidiſti tam pulchram? Cui ille ſtupefactus ait: Domina mea dulciſſima, claritudo tua omnem mundi pulchritudinem excellit. Quid vis Domina vt faciam? Ait illa: Si ſponſam carnalem, cui adhærere vis, amore mei dimiſeris, me ſponſam in cæleſti regno habebis: & ſi Conceptionis meæ feſtum annuatim 6. Idus Decembris ſolemniter

lemniter celebraueris,& celebrandum prædicaueris, mecum in regno Filij mei laureatus eris. His dictis Beata Virgo diſparuit, Clericus verò domum adire renuit, & abſque parentum ſuorum conſilio, ad Abbatiam quamdam extra patriam illam perrexit, & ibidem monachali habitu decoratus, & poſt tempus exiguum meritis B. Mariæ Virginis Aquileiæ Epiſcopus Patriarcha factus feſtum Conceptionis B. Virginis die præfato, quandiu vixit, annuatim cum propriis octauis diligenter celebrauit, & vbique celebrandum prædicauit.

Aliud etiam miraculū huius feſtiuitatis alibi diuina inſpirante gratia, à nobis declaratur. In pelago Gallico Canonicus quidā, ordine ſacerdos, ſolitus B. Mariæ Virginis horas canonicas decantare, à villa quadā, vbi cum vxore alterius fornicatus fuerat, rediēs, ad oppidū in quo morabatur tendere curans,&pelagus Sequanæ trāſmeare cupiens, ſolus nauē ingreſſus Dominicæ Matris horas nauigando canere cœpit. Cúmque Inuitatoriū, *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum*, diceret,& iam in medio fluminis eſſet; ecce turba magna Dæmonū in profundo pelagi, vnà cū eius nauicula eū præcipitauit,& eius animam rapuit ad tormenta. Die autem tertia ad locum quo Dæmones eum tormentis afficiebant, venit Mater Ieſu cum magna Angelorū ſocietate, dicens eis: Vt quid animā famuli noſtri ita iniuſtè affligitis? Nos eam debemus habere,& meritò, quoniā in noſtris operibus capta eſt. Quibus Mater Ieſu: Si illius debet eſſe, cuius opera faciebat,

ergo noſtra debet eſſe, quoniam Matutinas noſtras, dum vos eum peremiſtis, decantabat, vnde magis rei eſtis, qui iniquè contra me egiſtis. His dictis dæmones huc, illúcque diſperſi fugerunt, & B. Maria animam reduxit ad corpus, & hominem ab vtroque funere ſuſcitatum per brachium arripiens, aquam à dextris & à ſiniſtris quaſi murum ſtare iubens, de profundo pelagi ad portum incolumem reduxit. At ille gaudens pedibus B. Virginis proſtratus ait: Chariſſima Domina mea, & Virgo ſpecioſa, Chriſto gratiſſima, quid tibi tribuam pro tantis beneficiis quæ mihi feciſti? Liberaſti me de ore leonis, & de tormentis inferni grauiſſimis animam meam. Cui Mater Ieſu ait: Precor te, ne de cætero in adulterij peccatum cadas; ne fiat tibi nouiſſimus error peior priore. Precor te iterum, vt de cætero feſtum Conceptionis meæ deuotè celebres annuatim 6. Idus Decembris, & vbique celebrandum prædices. Mox vt id dixit B. Virgo Maria, eo cernente, cælos aſcendit; & ipſe heremiticam vitam ducens, quod ſibi acciderat, cunctis audire volentibus narrauit; & poſtea quandiu vixit, illud feſtum Conceptionis ſolemniter, & deuotè celebrauit, & celebrandum prædicauit.

Nos igitur fratres dilectiſſimi meritis & interceſſionibus B. Virginis indigentes, cum tota mentis deuotione ſimus ſoliciti, vt nullus noſtrũ ita ſit rebus tẽporibus occupatus, aut propriis delictis deſperatus, quin B. Mariæ Virginis Conceptionẽ, pro poſſe ſuo celebret annuatim.

§. 11.

§. 11. *Cenſura prædictorum miraculorum.*

Hactenus epiſtolæ illius poſterior pars, ſub nomine S.Anſelmi.Cæterùm,vt verum fatear, ſuſpicor hæc duo miracula ab ipſo ſcripta non eſſe, ſed poſtea ab aliquo feſti Conceptionis deuoto ſuperaddita epiſtolæ Anſelmi, & ſub eius nomine euulgata, quo maiorem apud vulgus fidem exigerent: accidit tamen oppoſitum; ipſa namque cùm per ſe difficilia intellectu ſint, totam epiſtolæ authoritatem enervarunt; fecerúntque vt epiſtola ipſa nequaquam germana Anſelmi crederetur, ſed ſuppoſititia.Quęris quæ in his duobus miraculis ſint difficilia? In priori quidem, quòd Diaconus matrimonium iniret, præſertim in Latina Eccleſia; vt omittam, totam illam colloquij B. Virginis & Clerici narrationem, humillimo ſtylo conſcriptam, longè à grauitate S. Anſelmi abhorrere. In poſteriori difficilius eſt reuocatum ad vitam ab inferno damnatum trium dierum; indignámque tantæ Dominæ loquutionem illam, qua precatur vt celebret ille Conceptionem ſuam; quaſi ab aliqua miſeria ea feſtiuitate liberaretur, & non magis gratias ipſi exſoluendæ eſſent à fidelibus, pro notitia tanti myſterij. Adde minimè Anſelmi redolere circunſpectionem, quod inibi refertur, dæmones ſic Virginem allocutam inter alia, *Vt quid animam famuli noſtri ita iniuſtè affligitis?* Quî enim dici poterat *iniuſtè* affligi, qui in peccato adulterij mortuus fuerat? Nec dici poſſe videtur

Q 5

tur, quòd iam peccati pœnituerat, ex eo ſolùm quòd horas Virginis recitabat; quippe cùm ipſe faſſus fuit, ſe liberatū fuiſſe à pœnis inferni, *Liberaſti me* (ait) *de ore Leonis, & de tormentis inferni grauiſſimis animam meam*: quinimo ſi in gratia deceſſiſſet, non hortaretur à Virgine ad pœnitentiam commiſſi adulterij; quinimò minimè reuocaretur ad vitam, videlicet à ſecuritate ad incertitudinem ſaluationis.

Hæc, inquam, difficilia ſunt, & facilè quiuis hærebit, cùm legerit. Mihi verò alia adhuc abſona rationi videntur: nimirum quòd in eis de officio paruo, ſeu horis B. Virginis ſermo ſit, quas quidem dum Diaconus, & Sacerdos ille recitaſſent, reuelatione Conceptionis dignati referuntur; tempore verò Caroli illuſtriſſimi Francorum Regis, non erant inuentæ, ſed à tempore S. Petri Damiani, vti Cardinalis Baronius notauit tomo X I. ann. 1095. agens de Concilio Claramontenſi eo anno ab Vrbano I I. celebrato, in quo de iiſdem Horis B. Virginis actum eſt: Damianus verò meminit earundem tomo 2. epiſt. 32. ad Monachos Gamugnēſes, vbi refert miraculum quoddam de ſedatis monaſterij illorum calamitatibus meritis eiuſdem officij anno à Chriſto nato 1056. Atqui Carolus Magnus Francorum Rex illuſtriſſimus ante 242. annos obierat, nimirum Chriſti 814. vt omnes authores fatentur. Qua igitur ratione Diaconus ille, qui ſuo floruit tempore, horas quotidianas Virginis recitauit, quæ poſt 240. annos

Baron.

Damian.

annos inuentæ fuerunt? Nec verò dici poteſt ad alium Carolum referendum, quia epithetum illud *illuſtriſſimi*, ipſum proculdubio denotat.

Mouet etiam me ad id aſſerendum, quòd Anſelmus poſt enarratam Herluino Abbati ſuo factam reuelationem, videtur epiſtolæ finem imponere, exhortationem illam adiungens, *Et nos igitur fratres dilectiſſimi, ſi portum ſalutis volumus apprehendere, Deigenitricis Conceptionem dignis obſequiis, & officiis celebremus, vt ab eius Filio digna mercede remuneremur.* Anſelm. Et quod B. P. Bernardus eius epiſtolæ mentionem faciens, dum ad Lugdunenſes ſcribit, vnius reuelationis meminit in ſingulari, non plurium; *ſed profertur*, ait, *ſcriptum diuinæ reuelationis*: quòd ſi plures hæc epiſtola contineret, hauddubium quin diceret proferri ſcriptum diuinarum reuelationum. Bernard. Eodem prorſus modo antiquiores de ſingulari reuelatione facta Herluino loquentur. Quid plura? Antiqua Breuiaria non aliam quàm primam illam ponunt; Vidi ego Conchenſis Eccleſiæ peruetuſtum; quod epiſtolæ finem imponit in ſola prima. Vidi & M S. Cod. vetuſtiſſimum Romæ in Bibliotheca Valcellenſi, cuius titulus *Tom. V I I. vitarum S S.* fol. 11. vbi in epiſtola Anſelmi ſolùm primum miraculum refertur. Et hæc quidem pro meo ſapere dicta ſint, nollem etenim in re adeò graui, nihil quod incertum ſit adducere; cùm præſertim tot tantáque certiſſima teſtimonia habeamus, quòd minimè eorũ indigentia laboremus. Scio

verò etiam duo poſteriora miracula ab antiquiſſimis authoribus recognoſci, velut Anſelmi noſtri ſcripta germana, è quorum numero præcipuus eſt Ioannes Bachonius qui in 4. ſent. citato
Bachon. ſuperiùs loco, ea vocat authentica; ſimiliáque
Gerſon. Herolt. ſcripſit Ioannes Gerſon, & Ioannes Herolt, ſerm. de Concept. ſed fides eſto penes authores, & vnicuique integrum ſit, vt ſibi viſum benè fuerit iudicare.

§. 12. *Proponitur officium Conceptionis vetuſtiſſimum, à S. Anſelmo (vt creditur) compoſitum: & reuelationis eius eximium teſtimonium.*

IAm his noſtris lucubrationibus parabatur prælum, cùm ecce, magno Deigenitricis munere, dum Bibliothecam Vallifcellæ, congregationis Oratorij, in Vrbe nobiliſſimam, Card. Baronij ſtudiis condecoratam euoluerem, incidi in MS. Codicem, cuius inſigne c.9. in membrana characteribus Longobardis exaratum, & tanta antiquitate refertum, vt characterum ipſorum forma, & vſu, & ſuiipſius vetuſtate, quingentos proculdubio annos compleſſe, omnibus repræſentet. Continet verò feſti Conceptionis officium, non ab alio, vt par eſt credere, quàm à S. Anſelmo feſtiuitatis ipſius primo, ac præcipuo promulgatore compoſitum. Nam compoſuiſſe officium Conceptionis iuxta reuelationem ſuo Abbati factam, negabit ſolus, qui de ipſa (dicam luce, an reuelatione?) dubita

dubitauerit. Ne tamen quis deinceps ambigere queat, cum eiſdem Longobardis characteribus tota reuelatio refertur in 3. Nocturno in totidem lectiones diſtributa. Aſſeritur etiam in rubrica eius Officij, diem hunc feſtum nouiter prædicto Abbati reuelatum fuiſſe: quod ſanè Anſelmi tempore compoſitum indicat; & quod inde ſit conſequens,ab eo primùm ſit compoſitum, quia primùm omnium ab eo celebratum. Huius officij penè exemplar tranſcripſeram, cùm in alium codicem eiuſdem Bibliothecæ incidi, qui foris gerebat titulum, *Tomus 6. vitarum M. S. Sanctorum.* In eo totidem verbis officium ipſum inueni; penéque æqualis eſt vetuſtatis. Qua de re immenſam egi gratiam bonorum omnium largitori, quòd in lucem dederat quatuor vetuſtiſſimos codices MS. quibus cauſa immaculatæ Matris ſuæ magnopere fulciatur, & tandem citiùs, vt ſperamus, definitione fauorabili terminetur.Idcirco copiam officij huius, & hiſtoriæ facio, & iuris communis theſaurum, quod in angulo blattis, & tineis repletum,ac ſepultum iacebat.Fruere quæſo lector candide, & vtere ipſo pro deuotione tua. In vtroque codice rubricæ, quas ſcholaſticis damus litteris adnotatas, minio deſcriptæ ſunt.

Officium primitiuum Conceptionis B. Virginis Mariæ.

Sexto

SExto Idus Decembris, qui eſt octauus dies Kalendarum ipſius menſis, & celeberrimus dies feſtus Conceptionis Beatiſſimæ Deigenitricis Mariæ, qui nouiter reuelatus eſt; & cuidã reuerendo Abbati reuertenti per Britannicum Oceanum à Dacia in Angliam non ſine magno miraculo oſtenſus, vt in ſubſequenti legetur ſermone. In ipſis occiduis regionibus valde celebratur, atque per totam Angliam, Britanniam, Daciam, Normaniam, Germaniam, magna cum deuotione colitur, colẽdúmque per omnes mũdi partes, Deo gratias largiente, porrigitur. Illud nimirum deuotè cuſtodiendum eſt, & omne officium, quod in eius Natiuitate agitur, in hac eius Conceptione agatur; & ſicut Inuitatorium, & Antiphonæ, & Lectiones, atque Reſponſoria in Natiuitate dicuntur, ita in hoc feſtiuo die Conceptionis dicentur. Inſuper ad gloriam ſanctæ Deigenitricis, & Virginis celeberrimus dies eius Conceptionis magna cum exultatione celebretur.

In Vigilia ad Veſperas Pſalmi, & Antiphona ſicut in Natiuitate: Ante thorum huius.

Lectio ad Veſperam: Egredietur virga.

Reſponſorium: Glorioſæ Virginis Mariæ.

Hymnus: Nunc tibi Virgo.

Ad Magnificat Antiph. Conceptio tua Deigenitrix Virgo.

Oratio: Omnipotens ſempiterne Deus, qui humanæ fragilitati condolens, eíque clementer miſereri decernens, Verbum tuum ex glorioſa

B. Ma

B.Maria ſemper Virgine incarnari voluiſti,præſta quæſumus, vt ipſa iugiter tuam miſericordiam nobis obtineat in cælis, cuius ſanctam Conceptionem hodierna die, te iubente, celebramus in terris.Per eumd. &c.

Ad Matut. Inuitatorium : Beatiſſimæ Mariæ Conceptionem.*Pſal.* Venite.

Hymnus.Quem terra.

Antiph.Benedicta tu in mulieribus.

Deinde ſequantur Pſalmi & Antiphonæ, atque Capitula ſicut in Natiuitate eius.

In prima, & ſecunda Vigilia legatur ſermo iſte, qui in eius natiuitate legitur : Hodierna die fratres Chariſſimi S. Deigenitricis, & Virginis Mariæ Conceptionem celebremus.

In tertia verò Vigilia ſermo iſte, qui de reuelatione eius Conceptionis atque miraculi intitulatur, legatur.

Lectio I. Eo tempore, quo Guilielmus Normanorum dux potentiſſimus proſtrato Anglorũ Rege Eraudo * ipſos Anglos bello ſtrenuo ſibi ſuperando ſubiecerat:quidam Abbas Helſinus * nomine in Remeſienſem * Eccleſiam promotus Domino noſtro Ieſu Chriſto deuotiſſimè famulabatur, eiúſque Genitricem, ſeruitia eius faciendo, deuoto ſtudio venerabatur. Contigit autem, vt Danorum Rex, audita Eraudi morte, Anglorúmque ſubiectione, venire in Angliam properaret, vt ſuo eam dominio ſubiugaret,& proſtrato Guilielmo nouo Rege, vel (vt ipſe teſtabatur) ipſius terræ inuaſore, eam

* al. *Araldo.*
* al. *Helruinus.*
* *al. Beccenſem.*

Digitized by Google

eam in perpetuum poſſideret. Quo audito Guilielmus ad defendendum ſe præparauit ; & ex coniacentibus regionibus militem quampluri-mum congregauit; &,vt erat callidus, vrbes atque caſtella diligentiſſimè muniuit, & omnibus neceſſariis opulentiſſimè repleuit. Conſilio itaque inito Guilielmus Rex cum optimatibus ſuis, Abbatem Helſinum (de quo ſuprà retulimus) in Daciam miſit, vt conſilia eorum, & acta diligenter inquireret, & eorum in Angliam aduentum , prout poſſet auerteret. Aſcenſa igitur puppe , proſpero vento flante in Daciam venit ; ipſiúſque terræ Domino ſe præſentauit, & ſalutē,& munera atque ſeruitia ex Guilielmi parte ei obtulit. Deinde omnia , vt ſibi iuſſum fuerat inquiſiuit; quid dicerent, & quomodo ſe agerent percunctari non deſtitit. Poſtquam autem omnia propter quæ illuc ierat perfectè compleuit , proceréſque terræ muneribus , & promiſſis honeſtauit,in Angliam regredi voluit, ſed Rex Daciæ ſecum illum non paruo tempore retinuit.

Lectio II. Tranſacto itaque tempore non modico regredi illum Rex permiſit. Qui mox cum ſociis nauem conſcēdit; nautæ ergo apluſtria collegerunt, & in altum carbaſa extenderūt,& per frementia æquora itinera direxerunt. Dum itaque per alta maris pergerent , contrarius ventus eis ſurrexit , mare funditus commouit , omnéſque qui in mari erant, formidine repleuit. Timore igitur mortis conciti,nimiúm-

que

que perterriti, preces cum lachrymis fundunt Domino, & ſe grauia deliquiſſe miſerabiliter gemunt. In tanto diſcrimine poſiti maiora pericula incurrunt. Namque ſubitò ſirtes præ oculis conſpiciunt, quos naucleri velut in morte poſiti videntes, ex pectoris intimo nonnulla trahentes ſuſpiria, clamarunt ad Dominum fortiter: O Deus clementiſſime, Pater miſericordiæ; dignare nos reſpicere, merſos pro noſtro crimine. Reſpice nos dulciſſime, de ſede tuæ gloriæ; viſita nos iam poſitos, extremo ſub articulo. Adſit tua benignitas, ineffabilis Deitas: adſit maxima bonitas nobis & tua pietas. Et rector inuiſibilis, qui tuis ſemper famulis parcis, & vota ſupplicum, audis ad te clamantium. Succurre nobis miſeris, pietas ineffabilis: ne nos ſorbeat Inferus, nunc pro noſtris criminibus. Pie Deus cognoſcimus, quòd grauia deliquimus: peiora commeruimus, quia multum peccauimus. Benignè tua gratia fatentibus indulgeat: fatemur noſtra crimina, tu dele tua gratia. Qui promiſiſti miſeris, qua hora ingemuerint, & corde pœnituerint, ſaluos protinùs fieri. Parce nunc confitentibus, miſerere gementibus: miſerere nunc flentibus, & verè pœnitentibus. Maria Mater Domini, ora pro nobis miſeris; tuo filio Domina, commenda noſtra famina. Namque mari ſunt tradita, noſtra miſera corpora: tuus Filius animas in requie ſuſcipiat.

Oratio hæc tota, continuus eſt rhythmus.

Lectio III. Dum igitur ſic de hac vita deſperantes clamarent, & præſentem illis iam

R mortem

mortem intenderent; quemdam Pontificalibus veſtibus ornatum iuxta nauim aſſiſtere vident, qui Helſinum Abbatem proprio nomine compellans, hoc ei retulit, inquiens: O tu Abba Helſine, veni, ſurge, & mecum loquere. Dum autem admirantibus omnibus, qui in naui erant, quænam eſſet hæc perſona, & Abbas Helſinus ſurgeret, præfatæ perſonæ, vt credimus, Anglicè hæc ei dixit: Si vis ſanus effugere, ſi vis mortem euadere: ſi vis patriam cernere, tuóſque lares viſere: Promitte fideliſſimè, Matris Chriſti piiſſimæ, te facturum percelebrem, Conceptionis ipſius feſtum diem; in quo Virgo ipſa incomparabilis futura Deigenitrix in matris aluo concepta fuit: & doceto omnes quoſcumque poteris, vt percelebrem huius agant ſolemnitatis diem. Tunc Abbas Helſinus, vt erat prudentiſſimus, hoc ei conſtanter refert protinus: Quomodo faciam iſtud, quia diem quo iſtud faciam ignoro penitus. Dei Nuncius reſpondit: In 6. Idus Decembris eſt dies celeberrimus huius Conceptionis: hunc diem, vt celebres moneo, & celebrandum eſſe dicito quibus dicere poteris, qui ſcire voluerint. Tunc ſæpedictus Abbas Helſinus: Et quali, inquit, ſeruitio iubes vti in hoc feſto? Cui diuinus Nuncius reſpondit: Omne ſeruitium quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur & in Conceptione; ſicut Virginis natalitium in eius Natiuitate dicitur, ita Conceptio in hac celebritate dicetur. Prædictus verò Abbas poſtquam talia audiuit, Deo gratias retulit, & deuotiſſimè vouit ſe ſeruaturum

uaturum quod audierat diuinitùs iuſſum. Et ſtatim vt hoc vouit, tempeſtas omnis cecidit, & ſerenitas rediit. Ciuis autem cælicola, qui ad hoc ipſum venerat, & agenda præceperat, repentè diſparuit, atque teneris mixtus auris ab eorũ oculis euanuit, & illuc vnde iuſsũ venerat, greſſibus inuiſibilibus repedauit. Ilicò omnes in naui poſiti frementia pacata cernentes æquora, certatim omnium Saluatori gratias reddidêre innumeras, qui eos de tam duro exitio, atque mortis confinio ſua potentia liberauerat. Vento igitur ſurgente ſecundo procedũt, & læti in Angliam, atque alacres veniunt. Mox memoratus Abbas patria cũ ſuis optata potiti arena, cunɔ̃ta quæ viderat, quæque in mari audierat, quibuſcumque potuit in Anglia fideliter narrauit, ſtatuítque in Remenſi * Eccleſia, cui præerat ipſe Abbas, vt hoc feſtũ omni anno ſolemniter 6. Idus Decẽb. cum magna deuotione celebretur. Ipſe etiam quoad vixit tempore iſtam ſolemnitatem cũ magna reuerẽtia celebrauit. Huius ſolemnitatis celebratoribus detur à Filio ipſius Virginis D. N. Ieſu Chriſto pax, & ſalus longæua, & poſt tranſitum huius vitæ æterna requies concedatur; qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

* al. *Becc-cenſi.*

Antiph. ad Matut. & Veſper. Conceptio eſt Glorioſæ. *Deinde ſubſequantur reliqua, ſicut in Natiuitate eius.*

Lect. Egredietur Virga.

Reſpon. Cõceptio eſt hodie S. Mariæ Virginis.

Hymn. Gaude viſceribus.

Antiph. ad Benedictus: Conceptionem hodiernam perpetuæ Virginis.

Oratio: Omnipotens ſempiterne Deus, qui per glorioſiſſimam Mariam ſemper Virginem, Verbique tui ex ea incarnationem, mundo perdito nouæ ſalutis gaudia deſtinare dignatus es, exaudi quæſumus preces noſtras, & præſta, vt qui eiuſdem Filij tui Genitricis Conceptionis diem lætanter colimus, ipſa intercedente apud te, de inſtantibus periculis eruamur, veniámque noſtrorum criminum pariter conſequamur, vt quandoque tuæ ineffabilis gloriæ participes eſſe mereamur. Per eundem, &c.

Antiph. ad Primam: Conceptio eſt glorioſæ.

Oratio: Dirigantur quæſumus Domine viæ noſtræ ad tuas iuſtificationes cuſtodiendas: & glorioſæ Deigenitricis, & Virginis Mariæ patrocinio ſubleuemur, & eius ſemper orationibus à malis imminentibus defendamur. Per eumdem Dominum.

Antiph. ad Tertiam: Regali ex progenie.

Oratio: Quæſumus Domine Deus noſter, vt glorioſæ B.Mariæ Virginis Chriſti Filij tui Genitricis nos famulos tuos tibi aſſidua commendet oratio, cuius noſtræ reparationis exordium deſiderabilis extitit hodierna Conceptio. Per eundem.

Sequitur introitus (Miſſæ videlicet :) Salue ſancta parens. *Pſal.* Eructauit.

Oratio: Deus ineffabilis miſericordiæ, qui primæ piacula mulieris, per beatiſſimam Mariam Virginem expianda ſanxiſti; da nobis Conce

Conceptionis eius dignè ſolemnia venerari, quæ Vnigenitum tuum Virgo concepit, & peperit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium, &c.

Epiſt. Lectio libri Sapientiæ: Dominus poſſedit me, *vſque* & hauriet ſalutem à Domino.

Graduale: Propter veritatem. ℣. Audi filia.

Alleluia. ℣. Glorioſæ Virginis.

Euangelium: Liber generationis.

Offertorium: Diffuſa eſt gratia.

Secreta: Salutarem omnipotens Pater hoſtiam immolantes, imploramus clementiam tuam: vt Genitricis Filij tui ſupplicatione placatus, per eam nos & à peccatis abſoluas, & ad viſionem gloriæ tuæ perducas. Per eumd.

Communicanda: Beata viſcera.

Poſt commun. Cæleſtis alimoniæ repleti libamine, quæſumus Domine Deus noſter, vt glorioſæ beatæ ſemper Virginis Mariæ continua nos foueat protectio, cuius noſtræ cauſa ſalutis extitit hodierna Conceptio. Per Dominum.

Ad veſperas, vt in primis.

LIBER POSTERIOR

PROBAT

Anſelmum nunquam contradixiſſe myſterio immaculatæ Conceptionis B. Virginis.

Et pariter cum Anſelmo vindicat ſanctiſſimos Doctores Ioan. Damaſcenum, Gregorium Nazianzenum, Ambroſium, Fulgentium, Bedam, Chryſippum, Rupertum, Ricardum, & Bernardinum.

§. 1. *Videri quidem Anſelmum in libro,* Cur Deus homo, *Conceptioni immaculatæ contrarium; ſed verè non eſſe.*

NIHIL tam firmum, certúmque hominum opinione, vnquam compertum, quod aliqua ex parte nutare aliquibus viſum non ſit. Hoc vel maximè in Anſelmi ſententia de controuerſia Conceptionis, accidiſſe conſpicimus. Nec mirum, cùm in lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 26. conceptis videatur verbis adſtruere

ſtruere, quòd B. Virgo in originali peccato concepta fuerit. Sed quoniã oſtendere nunc eſt animus, eo etiam loco contrarium nobis non eſſe, & longè alio ſenſu, quã vulgo exiſtimatur fuiſſe loquutum; ídque non leuibus coniecturis, ſed grauibus ratiociniis demonſtrandum exiſtimamus; placet vires totas aduerſi placiti primùm referre. Inſtitutũ Anſelmi in eo c. ex tit. illi præfixo deducitur, quod ſic habet: Cap. 16. *Qualiter Deus de maſſa peccatrice aſſumpſit hominem ſine peccato*; indigebat enim explicatione, quónã pacto fieri potuerit, vt Deus naturam humanam ſine peccato aſſumpſerit, qui tamen non denuò eam creauerit, ſed ex eadem maſſa Adami, quæ tota erat vitiata, contagio originalis culpæ, carnem ſibi deſumpſit. Hæc igitur eſt præcipua dubitãdi ratio, quam Boſſo Anſelmi diſcipulus, vt ab eo erudiatur, Magiſtro proponit: liber ſiquidem iſte dialogiſmi perpetuò formam ſeruat. (De conuerſione Boſſonis ad religionẽ occaſione ſolutionis habitæ quarumdam quæſtionũ, quæ perplexum eum reddebant, agit Edinerus ad finem lib. 1. de vita S. Anſelmi.) Verba itaque Boſſonis hæc ſunt. *Quapropter ſicut eorum quæ ſuprà dicta ſunt rationem aperuiſti; ſic peto, vt eorum quæ ſum adhuc quæſiturus, rationem oſtendas. Primum ſcilicet qualiter de maſſa peccatrice, & humano genere, quod totum infectum erat peccato, hominem ſine peccato, quaſi azymum de fermentato Deus aſſumpſit? Nã licèt ipſa hominis eiuſdem conceptio ſit munda, & abſque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipſa vnde aſſumptus eſt, eſt in iniquitatibus concepta,*

& in peccatis concepit eam mater eius ; & cum originali peccato nata eſt, quia & ipſa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt. En quam dilucidè expreſſerit mentem ſuam, & conceptis verbis, Virginem in peccato conceptam confeſſus fuerit. Vt huic ſatisfaciant difficultati nonnulli Theologi, adnotarunt, nullatenus ex hoc teſtimonio quidquam haberi poſſe de mente Anſelmi, quippe cùm verba hæc minimè ſub Anſelmi nomine ſcripta ſint, ſed Boſſonis diſcipuli ſui. Quocirca ſi Anſelmus eis expreſsè non aſſentitur, quod tamen non facit, nullatenus, velut ex ſua ſententia, dicta credi debent. Cæterùm cùm aliàs conſtet, Anſelmum nequaquam prædictæ ſententiæ inficias iuiſſe, & ſi aliter ſentiret correcturum proculdubio fuiſſe diſcipuli ſui ignorantiam, certum eſto, ipſum ei acquieuiſſe, & identidem docuiſſe: eo præſertim, quòd nequaquam Boſſo ipſe hæc verè obiecerit, ſed totus dialogus opus ipſius Anſelmi ſit, qui nihil prorſus in ore diſcipuli poneret, quod ad rem non faceret, & negandum, vel affirmandum ab ipſo non eſſet. Quare ſatis videtur inferiùs ſe explicuiſſe, & acquieuiſſe dictis Boſſonis; poſtquam enim ad ſatisfactionem præfatæ difficultatis præmiſerat, non ſolùm eos, qui poſt Chriſtum natum nati ſunt, ſed etiam qui ipſius temporalem natiuitatem præceſſerant, eius virtute redemptos; ſubdit, idcirco aſſumere potuiſſe humanitatẽ ſine peccato ex maſſa naturæ corruptæ, quia nimirum mater eius per fidẽ futuræ redẽptionis ipſius mundata fuit,

Franc. Suarius & alij.

fuit, & poſt mundationẽ illius, ab eo carnẽ humanam accepit. *Virgo autem illa* (ait) *de qua ille aſſumptus eſt, de quo loquimur, fuit de illis, qui ante Natiuitatem eius, per eum mundati ſunt à peccatis, & in eius ipſa munditia de illa aſſumptus eſt.* Oppoſuit Boſſo: *Placeret mihi multum quod dicis; niſi cùm ipſe debeat à ſeipſo habere munditiam à peccato, videtur eam habere à matre, & per ſe mundus non eſſe, ſed per illam.* Reſpondit Anſelmus: *Non ita eſt, ſed quoniam matris munditia per quam mundus eſt, non fuit niſi ab illo, ipſe quoque per ſeipſum, & à ſe mundus eſt.* Dubitari igitur nequit, quòd Anſelmus Boſſoni conſenſerit. Inferiùs etiam c. 18. *Denique Virgo* (ait) *quæ per fidem munda facta eſt, vt de illa poſſit aſſumi*, &c. Vide quatenus per fidem mundam factam Virginem adſtruat: ex quo neceſſariò infertur, priùs fuiſſe immundam, iuxta mentem Anſelmi. Addam & nouum teſtimonium ex libro de Excellentia Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ cap. 2. vbi ſic legimus; *Nimirum tenemus fide, ab omni, ſi quid adhuc in illa originalis, ſiue actualis peccati ſupererat, ita mundatum cor illius, vt ſuper eam Spiritus Domini, ſcilicet ſuper humilem & quietam, & trementem verba ſua, totus requieſceret, ipſam voluntati Dominicæ caſtiſſimo ac ſimplici corde obedientem, & omni holocauſto ſuauiùs acceptaret, virtutéque Altiſſimi obumbratam, Filium Dei ex illa incorporaret.* Aſſerit igitur, mundatum ab Spiritu ſancto cor B. Virginis à peccato originali.

Nihilominus poſſet reſponderi, librum hunc de excellentia B. Virginis Mariæ adhuc ſub iu-

dice eſſe, fueritne Anſelmi, vel alterius, eo vel maximè quòd peccatum aliquod actuale in Virgine fuiſſe concedat; quod ſanè à doctrina, & pietate Anſelmi multum abhorret; De libris verò illis, *Cur Deus homo*, non valde curandum, cùm in lucem, ipſo renuente, priuſquam vltimam illi manum imponeret, dati ſint. Qua de re Anſelmus ipſe conqueſtus præfixit poſtmodum præfatiunculam eiſdem, quo lector ſuus inoffenſo pede imperfectiones operis percurreret, tenoris ſequentis. *Opus ſubditum, quod propter quoſdam, qui antequam perfectum, & exquiſitū eſſet, primas partes eius me neſciente ſibi transſcribebant, feſtinantiùs quàm mihi opportunum eſſet, ac ideo breuiùs quàm vellem ſum coactus, vt potui conſummare. Nam plura quæ tacui inſeruiſſem, & addidiſſem, ſi inquiete & congruo ſpatio illud mihi edere licuiſſet. In magna enim cordis tribulatione. (quam vnde, & cur paſſus ſum, nouit Deus) in Anglia rogatus incepi, & in Capuana Prouincia peregrinus perfeci.* Et poſt pauca ſubdit: *Hanc præfatiunculam cum capitulis totius operis, omnes qui librum hunc tranſcribere volent, ante eius principium, vt præfigant poſtulo; quatenus in cuiuſque manus venerit, quaſi in fronte eius aſpiciat, ſi quid in toto corpore ſit quod non deſpiciat.* Qui ergo his libris præfigi voluit eiuſmodi antidotum, faſſus eſt, in eis non omnia ſibi placere; quinimò ſi quid in toto corpore ſit, quod lector non deſpiciat, attentè conſiderandum eſſe: atque adeò de mente eius ex peculiari ali-

qua

qua doctrina librorum, *Cur Deus homo*, nequaquam certum videtur aliquid haberi poſſe. Neque verò Anſelmus ipſe contentus fuit præfixione illius præfationis, nam paulo pòſt Lugduni exiſtens, & quamuis exul, maiore quàm antea quiete fruitus, de eadem re, nouum opus conſcripſit, ſub titulo, *De Conceptu Virginali & peccato originali*, multa addens, & plurima emẽdans. Id ex eius exordio ſatis percipitur, quod ſic incipit; *Cùm in omnibus religioſa tua voluntati velim, ſi poſſim, obſequi (frater & fili chariſſime Boſſo) tunc vtique maximè debitorem me iudico, cùm eam à me in te excitari intelligo. Certus autem ſum, cùm in libro,* Cur Deus homo, *(quem vt ederem tu maximè inter alios me impuliſti, in quo te mecum diſputantem aſſumpſi) legis, aliam præter illam quam ibi poſui, poſſe videri rationem, quomodo Deus accepit hominem de maſſa peccatrice humani generis ſine peccato; quia ſtudioſa mens tua ad quærendum quænam ſit illa, non parum prouocatur; dicam ſic breuiter de hoc quod ſentio*, &c. In hoc igitur nouo eiuſdem argumenti opere, non ſolùm magna circunſpectione de Virgine ſanctiſſima loquutus eſt, nihil prorſus dicens, quo de eius mente maculam originalem illi inhæſiſſe ſuſpicari queat; verùm & verba illa adiunxit, quibus Theologi veteres & moderni immunitatẽ ipſius à labe originalis contagij, probant fuiſſe alienam, nimirum, *Nempe decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium ſuum,*

ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum, tanquam ſeipſum diligebat, ita dare diſponebat, vt naturaliter eſſet, vnus idémque communis Dei Patris, & Virginis Filius, &c. Hæc, inquam, ſcripſit cap. 18. eiuſdem libri, & innumeri ſcriptores eo ſenſu accipiunt, vt planè pronunciet B. Deiparam etiam originis macula caruiſſe, hæc enim eſt illa puritas, qua maior ſub Deo intelligi nequit, caruiſſe ſcilicet, non ſolùm mortali, & veniali actualibus, ſed etiam originali; aliàs ſi ſolis actualibus caruiſſet, alia maior puritas intelligi poſſet, nimirum immunem etiam fuiſſe ab originali. Atque ita inter alios expoſuit Doctor Angelicus in 1. ſent. d. 17. quæſt. 1. a. 4. ad 4. argumentum; & diſt. 44. a. 3. ad 3. qua de re inferiùs
Anſelm. agemus. Docuit item D. Anſelmus in libro eodem ad c. 7. Conceptionem hominis nihil eſſe aliud quàm ſeminis paterni ſuſceptionem in vuluam maternam; peccatum verò eo ſolùm titulo in Conceptione ipſa reperiri, quòd in ipſo vitiatæ naturæ ſemine neceſſitas, ſeu debitum eius contrahatur, *Vt cùm habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam. Nam etſi ex vitioſa concupiſcentia ſemine generatur infans*, (ait ille) *non tamen magis eſt in ſemine culpa, quàm eſt in ſputo, vel in ſanguine, ſi quis mala voluntate expuit, aut de ſanguine ſuo aliquid emittit; non enim ſputum, aut ſanguis, ſed mala voluntas arguitur. Patet igitur, quomodo & in infantibus non ſtatim ab ipſa conceptione ſit peccatum; & vera ſunt quæ de diuina Scriptura oppoſui; quippe non eſt in illis peccatũ, quia*
non

non habent, ſine qua non eſt peccatum, voluntatem: & tamen dicitur ineſſe, quoniam in ſemine trahunt, cùm homines iam erunt, neceſſitatem.

Vide, obſecro, lector, quàm diuerſa ſint principia Anſelmi in hoc libro, ab eis quæ in libris, *Cur Deus homo*, ſine quieta & ſufficienti indagine perſcripſit: & quæ præ aliis amplectenda ſint. Certè ſi authoritas illorum librorum admitteretur, adſtruere de Anſelmi mente deberemus, Virginem beatiſſimam non ſolùm conceptam, ſed & natam ſub originali maledicto fuiſſe; quod tamen indignum tanto Doctore nemo non videt; eo vel maximè quòd eius tempore celebris habebatur Natiuitas ipſius in tota Eccleſia; nam, vt omittã multo antè à B. Ildephonſo celebratam, & ſermonibus ſpecialibus decantatam; de feſto ipſo Natalis Dominæ noſtræ mentio honorifica fit ab Edinero lib. 2. vitæ Anſelmi, in principio, illis verbis: *Pridie igitur Natiuitatis B. Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ Cantuariam venit, vbi cùm quaſi ex præſagio futurorum, multi & monachi & laici conclamarent, illum Archiepiſcopũ fore; ſummo mane à loco diſceſſit, nec vllo pacto acquieſcere petentibus, vt ibi feſtum celebraret, voluit.* Fieri ergo nequit, vt Anſelmus re ſeriò perpenſa, Natiuitatem Virginis macula originalis peccati deturpatam aſſeruerit: ac proinde nullatenus ſtandum eſt ſcriptis ſub Boſſonis interrogantis nomine, nec ea fuiſſe de mente Anſelmi, iudicandum.

Edinerus.

§. 2. *Po*

§. 2. Poſuiſſe quidem in Virgine vſque ad Annuntiationem peccati fomitem,(hauddubiũ quin ligatum) ſed minimè peccatum originale.

ADhuc ſubtilius aliquid, & menti S.Anſelmi conformius occurrit,quo ſine dubio nõ ſolùm eius ad vnguem enucleatur ſententia,ſed multorum aliorum Patrum , qui hactenus Immaculatæ Cóceptioni vtcumque aduerſari crediti ſunt. Atque eo præſens expoſitio cæteris præferenda eſt,quòd omnia Anſelmi ſcripta admittat,& verba eius toto rigore dicta fateatur: & nihilominus nunquam peccati originalis maculam in anima B.Virginis agnouerit. Quid igitur Anſelmus docere voluit? Nimirum peccati originalis nomine nõ aliud intellexit quàm fomitem,ſeu concupiſcentiam,ex peccato Adami vitiatam; de macula autem animæ, nec verbum ſcripſit. Neque verò hæc duo ita neceſſariò connexa ſunt,vt condonatione diuina vnum ab altero ſeparari nequeat;potuit enim præſeruare Virginem à labe peccati, animam eius gratiæ ſuæ dono perpetuò muniens ; & tamen inferioris portionis vires , & animalis partis appetitum, in communi, ac naturali repugnantia ad ſuperiores relinquere , ſiue ea relinqueretur in pœnam peccati,cuius in Conceptione debitum incurrerat , ſiue ſolùm in pœnam peccati primi humani generis parentis , quod probabilius

lius iudico. Vtcumque enim ſit,vnum ab altero ſeparabile fuit: vnde ex aſſertione vnius habere non poſſumus quòd vtrúmque ſenſerit Anſelmus. Quòd autem non aliud peccatum, quàm peccati fomitem in Virgine conceſſerit in libro illo 2. *Cur Deus homo*,c.16.inde manifeſtum fit, quòd peccatum de quo agit, perſeueraſſe docet in Virgine Deipara vſque ad Verbi diuini Incarnationem: nefas verò eſſet aſſerere, Anſelmum exiſtimaſſe Sanctiſſimam Virginem cum vero peccato originali perpetuò vixiſſe, dignam ira, & odio Dei, vſque ad ſuperuentionem Spiritus ſancti in Annuntiatione Angelica.Nam vt minimum octauo die à ſua Natiuitate oportuit ab originali peccato purificari, quando videlicet ei à parentibus ſuis adhibita fuit oblatio illa,vel ceremonia, quæ in puellis correſpondebat puerorum Circuncíſioni. Imò verò incredibile eſt, ſenſiſſe natam Virginem nondum ſanctificatam in vtero, cùm ipſe natiuitatem eius ſolemnem toto orbe agnouerit,& celebrauerit, vt iam vidimus.

Sed vnde haberi poteſt docuiſſe peccatum de quo agebat, vſque ad Incarnationem Verbi perſeueraſſe in Virgine Beata? Sanè ex reſponſione quam ipſe adhibuit ad dubitationem Boſſonis. Cùm enim Boſſo obieciſſet, difficile explicatu videri, Deum aſſumpſiſſe humanitatem ſine peccato, de maſſa tamen peccatrice; Boſſo. nec ſufficere quòd illa Conceptio ſine viro, fuerit abſque carnali delectatione, quandoquidem *Virgo ipſa vnde aſſumptus eſt, eſt in iniqui*

iniquitatibus concepta, & cum originali peccato nata eſt, quia & ipſa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt. Reſpondet, id quidem minimè obſtare, quoniam *Virgo illa, de qua ille homo aſſumptus eſt, de quo loquimur, fuit de illis, qui ante natiuitatem eius per eum mundati ſunt à peccatis: & in eius ipſa munditia de illa aſſumptus eſt.* (In codicibus Anſelmi excuſis legitur, *Fuit de illis qui ante neceſſitatem eius per eum mundati ſunt à peccatis*, vbi pro *natiuitatem*, habent, *neceſſitatem*, quod tamen nullum aut falſum reddit ſenſum; ante natiuitatem ſiquidem Chriſti Domini, multi eius meritis, mundati ſunt à peccatis, nemo verò mundari potuit ante neceſſitatem Redemptoris.) Nihil igitur obeſt puritati hominis Chriſti, (ait Anſelmus) quòd eius mater in peccato concepta ſit, & nata, quoniam priuſquam Deum conciperet, ab eo peccato mundata fuit; & in eius ipſa munditia de illa factus eſt homo. Mundata verò fuit per fidem, cùm credidit in ipſum Redemptorem mundi futurum: Angelo videlicet annuntianti præbens fidem; de qua & Eliſabeth Spiritu ſancto afflata dixit, *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi ab Angelo*; quòd autem per hanc fidem mundata ſit, non ſemel, ſed centies prompſit Anſelmus: primò quidem in eodem cap. 16. *Nam ſi moriturus non eſſet* (ait de Chriſto Domino) *Virgo de qua aſſumptus eſt munda non fuiſſet, quoniam hoc nequaquam valuit eſſe, niſi veram eius mortem credendo, nec ille de illa potuit aliter aſſumi.* Et cap. 18. eiuſdem lib. 2. *Cur Deus homo*, inquit, *Denique*

Virgo

Virgo quæ per fidem munda facta eſt, vt de illa poſſet aſſumi, nequaquam crediderit illum moriturum, niſi quia vellet. Et rurſus: *Quapropter quoniam vera fuit fides eius, neceſſe erat, ita futurum eſſe, ſicut credidit. Quòd ſi te iterum perturbat quod dico, Neceſſe erat; memento quia veritas fidei Virginis non fuit cauſa, vt ille ſpontè moreretur, ſed quia hoc futurum erat, vera fuit fides.* Certè hæc fides, in Virgine adulta ponitur ab Anſelmo, nimirum tempore ſuperuentionis Spiritus ſancti. Nec ſententiam (quo ad hoc ſaltim) mutauit in libro de Conceptu Virginali, & peccato originali, nam c. 18. quo verba illa aurea ſcripſit, *Decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret:* ratum habet quod in lib. *Cur Deus homo,* dixerat, de mundatione Virginis per fidem, inquiens, *Qualiter autem Virgo eadem per fidem ante ipſam Conceptionem* (Chriſti) *mundata ſit, dixi, vbi aliam rationem de hoc ipſo, vnde agitur hîc, reddidi; quæ duæ rationes videtur intellectui meo vnaquæque per ſe ſufficere.* Nimirum, quòd tametſi de matre in peccato concepta, & nata Verbum Dei humanam aſſumpſerit naturam, quia tamen priùs per fidem mundata fuerat, idcirco maculari in Conceptione nequiuit; quam rationem in lib. *Cur Deus homo*, aſſignauerat; in libro verò de Conceptu Virginali, addit aliam, videlicet, quòd etiãſi Virgo Deipara peccatrix eſſet, eo tamen ſolo quòd ſine viri permixtione concepiſſet, inquinare non poterat prolem, nam niſi per naturalem propagationem peccatum trahi non poteſt. *Et quamuis ad idem ten-*

dant (ait cap. 19. ſequenti) *iſta duæ rationes, in hoc tamen differunt, quòd ipſa quidem, quam hic protuli, monſtrat Deum etiam de peccatricis Virginis ſubſtantia, (quoniam nuſquam eſt in hominis natura præter voluntatem peccatum) prolem debere iuſtam (imò non ſine niſi iuſtam) nulla ratione repugnante, tali propagatione producere: illa verò probat, quòd etiamſi in tota Virginis eſſentia peccatum eſſet, tamen ad huiuſmodi Conceptionis munditiam, per fidem munda fieri poſſit.* Habemus igitur ſemper Anſelmum docuiſſe Virginem beatã per fidem ante Incarnationem Verbi mundatam fuiſſe, hauddubium non ab alio peccato, quàm ab eo in quo, apud ipſum, concepta & nata fuerat; cùm autem nefas ſit dicere eo temporis aliud habuiſſe peccatum, quàm fomitem, & hunc ligatum, reſtat vt nihil aliud de mente Anſelmi habere poſſimus, quàm cum fomite ſeu concupiſcentia ligata Virginem fuiſſe conceptam, & natam.

Accedit (& eſt ratio ſatis efficax) quòd peccatũ originale in rigoroſa ſignificatione, prout maculam animæ infert, nihil ad propoſitum Anſelmi conducebat, peccatũ verò prout fomitem ſignificat, omnino erat ad rem: quare fateri cogimur non in illa, ſed in hac ſignificatione peccati nomine vſum fuiſſe. Sed vnde hoc quæris? Placet oſtendere. Nónne ſubdubitatũ fuerat à Boſſone, *qualiter de maſſa peccatrice, & humano genere, quod totum infectum erat peccato, hominẽ ſine peccato, quaſi azymum de fermentato Deus aſſumpſit? præſertim, quia Virgo etiam ipſa de qua aſſumptus eſt,*

fuerat

fuerat in iniquitatibus concepta, & cum originali peccato nata? Verba eius expreſſa ſunt. Rurſus quæram, quid cauſet peccatum in prole, peccatũ ne originale exiſtens in animabus parentũ, an verò cõcupiſcentia carnalis delectationis in ſemine? Sanè parentes Catholici, aut fideles, cùm generant prolem, minimè originali macula inquinati ſunt, & tamen maculatã prolem edunt. Quinimo etiamſi illud haberent eo tempore, non ideo filios inquinatos ederent, quia ipſi inquinati eſſent, nã peccatũ in vno exiſtens ſubiecto, non eſt productiuum peccati ſimilis in alio. Ad hæc ſi Virgo beatiſſima ab ea macula præſeruata, (ſupponatur hoc argumenti gratia) filios ex Ioſepho ſponſo, ac viro ſuo ſuſciperet, dubiũ nõ eſt, quòd peccatũ originis in eos transfunderet. Habuiſſe ergo vel non habuiſſe peccatũ originale, nihil prorſus conducit, ad inducendã maculam filio. At verò inordinata concupiſcentia fomitis ad generationem inquinandam maximè conducit; id quod latè deſumitur ex Aug. lib. 2. de Nuptiis & concupiſc. c. 8. & lib. 3. contra Iulianum Pelagianum c. 18. & aliis locis, vnde Doctor Angelicus in 3. d. 12. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 2. vitioſam libidinem vocat principiũ peccati originalis: & in 2. ſent. diſt. 31. q. 1. art. 2. ad 3. & 4. docet ineſſe ſemini quoddam vitium; quamquam eius interpres Capreolus valde laboret in explicanda vitij huius qualitate, aſſerátque eſſe quandam qualitatem intentionalem, in 3. diſt. 31. quæſt. vnic. ad 1. contra 3. concl. Auguſtini ſententiam ſequutus fuit etiam Anſelmus, Auguſt. D.Th.

præſertim c.7. libri de Conceptu Virg. & pecc. origin. exponens ſeriò, quónam pacto ſemen hominis apud S.Iob dicatur immundum; & tametſi inibi aſſerat, in ſemine nullatenus reperiri verè & in rigore peccatum, non magis, quàm in ſputo, aut ſanguine, ſi quis mala voluntate expuat, aut ſanguinem mittat; nihilominus ex vitioſa concupiſcentia docet hominem generari peccato maculatum: & licèt in ſemine peccatum non ſit, eſſe tamen peccati orignem, ſeu radicem. *De immundo ſemine (ait) in iniquitatibus & in peccatis concipi poteſt homo, intelligi, non quòd in ſemine ſit immunditia peccati, aut peccatum ſiue iniquitas; ſed quia ab ipſo ſemine, & ipſa conceptione, ex qua incipit homo eſſe, accipit neceſſitatem, vt cùm habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam.* Cùm ergo Anſelmus Virginem in Filij ſui Conceptione à peccato mundatam edocet, nihil aliud contendit, quàm inibi fomitem eius prorſus extinctum fuiſſe; & ſemen ipſius ex qua corpus Domino fabricandum erat, fuiſſe omnino à ſuperueniente Spiritu ſancto purificatum, ne videlicet quantum erat ex ſe produceret fœtum ſimili fomitis vitio ſeu peccato inquinatum. Hunc enim ſenſum habent verba illa ſubdubitãtis Baſſonis; vt enim oſtenderet nõ facilè explicari poſſe, qualiter Deus de maſſa peccatrice hominem ſine peccato quaſi azymum de fermentato ſumpſiſſet, ſubdit rationem; *Nam licèt ipſa hominis eiuſdem conceptio ſit munda, & abſque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen ipſa vnde aſſumptus eſt, eſt in iniquitatibus*

tibus concepta,& cum originali peccato nata eſt,quia ipſa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt. Vbi quidem in primis ipſe fatetur, dubium hîc eſſe non poſſe de Conceptione Chriſti Domini, fueritne ex modo ſuo immunda? conſtat enim & vti certum ſupponitur, & conceditur, quòd fuit munda, vtpote abſque carnalis delectationis peccato, eo ipſo quòd ſine viri admixtione perpetrata eſt: *Nam*, inquit, *licèt ipſa hominis eiuſdem Conceptio ſit munda, & abſque carnalis delectationis peccato*, &c. Hoc verò ſemel admiſſo, ſolùm relinquitur dubium de ſemine Virginis, ex quo homo ille formandus erat, an videlicet haberet aliquam immunditiam, quæ in fœtum deriuari poſſet. Quare cũ addit,*Virgo tamen ipſa vnde aſſumptus eſt, eſt in iniquitatibus concepta, & cum originali peccato nata eſt*, non poteſt reddere ſenſum,quòd verè in originali concepta & nata fuerat; hoc ſiquidem parum faciebat ad propoſitum, ſi aliàs in ſemine non eſſet aliquod vitium quod deriuaretur in prolem.Si autem originalis peccati nomine fomitem intelligamus, omnia conſtant, & arguentis difficultas apparet; ſenſus enim eſſet, quidquid ſit de inquinamento animæ Virginis,hoc ſatis conſtat,& ſufficit, quòd ipſa ſicut cæteri omnes ab Adamo cum peccato concepta & nata fuit, hoc eſt, facta fuit ex ſemine vitioſo,& ita prodiit in mundum; vnde & ſemen ipſius eodem laborare vitio videbatur. Hoc verò dubium Anſelmus diſſoluens primò reſpondet, antè quidem quàm Verbum diuinum ex ea carnem aſſumeret,mun-

datam fuiſſe carnem ipſius à peccatis,id eſt, vitiis naturalibus,& in eius ipſa munditia, de illa aſſumptam eſſe. In libro autem de Conceptu Virgin.addit in ſemine Virginis,eo ſolùm quòd virgineum ſemen erat, nullum eſſe peccatum. *Non longè* (ait) *ſuprà inueſtigare propoſui,quomodo ſemen ſumptum de Virgine,in quo monſtratum erat, nullum eſſe peccatum, liberum poſſit intelligi*, &c. Nimirum, quia originale, niſi per commixtionem duorum ſeminum, contrahi non valet.

Sed & illud magnopere in Anſelmo conſiderandum eſt, quòd vbi ſcribit ſub Boſſonis nomine,Virginem beatiſſimam in peccato conceptam & natam fuiſſe,manifeſtum eſt non ſumere nomen peccati in rigoroſa & ſtricta ſignificatione, prout maculam animæ denotat, ſed in latiſſima, prout concupiſcentiam & fomitem etiam ſignificat. Hoc ſi ſemel oſtenderimus, nihil aliud poterit deſiderari, quo deinceps certum ſit apud omnes, eo loci nullatenus D. Anſelmum aſſeruiſſe Virginem conceptam, & natam in originali illa macula, quæ animam Deo inuiſam reddit; ſed ſolùm in concupiſcentia ſeu fomite, quæ peccatum etiam vocari ſolet.Vnde autem haberi poteſt,tam lata ſignificatione peccati voce Anſelmum vſum fuiſſe?Sanè ex verbis ipſius quæ aliam ſignificationem non patiuntur; & hoc non ex doctrina alterius libri, aut capituli, ſed ex illamet ſententia, qua peccatum adſtruitur in Virgine. Audi verba ſancti Præſulis.*Nam licèt ipſa hominis eiuſdem (id eſt,*

eſt, Chriſti) conceptio ſit munda, & abſque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen ipſa, vnde aſſumptus eſt, eſt in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam mater eius, & cum originali peccato nata eſt. Quid eſt illud, *& abſque carnalis delectationis peccato?* Hauddubium, carnalem delectationem ſeu concupiſcentiam, per quam homo concipitur, vocat peccatum. At verò nequaquam potuit intelligere in ea vel eam eſſe verum originale peccatum, quia hoc etiam conceſſo, quòd Chriſtus conceptus fuerit abſque carnalis delectationis peccato, adhuc ſubdubitat quomodo ſine peccato concipi potuerit, quandoquidem Virgo ipſa de qua aſſumptus eſt, fuerat in peccato concepta, & nata. *Licèt ipſa hominis eiuſdem conceptio ſit munda, & abſque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipſa*, &c. Non igitur aſſumit peccatum rigorosè, ſed latè, prout carnalem concupiſcentiam comprehendit. Ex hoc autem rurſus deducitur, in Virgine ſolùm conceſſiſſe peccatum carnalis delectationis, nam illud quod à Chriſto Domino abfuiſſe docet, ponit in Virgine, vt ex eius verbis conſtat, & ex particula illa *tamen*, ait enim, *Ipſa hominis Chriſti conceptio fuit abſque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipſa; de qua aſſumptus eſt, eſt in iniquitatibus concepta, & nata*: à Chriſto autem tollit peccatum delectationis carnalis. Hoc item ſenſu conſtant Anſelmi ſcripta, & neutrum ab altero diſſonat, ſimul enim compatitur quòd afferat Virginem

immunem fuiſſe ab originali peccato, & nihilominus in peccatis conceptam & natam eſſe, id eſt, in concupiſcentia carnalis delectationis. Rurſus ſanum habet intellectum, quod ex libro de Excellent. Virginis ſuperiùs retulimus, *Nimirū tenemus fide, ab omni, ſi quid adhuc in illa originalis, ſiue actualis peccati ſupererat, mundatum cor illius*, in Spiritus ſancti ſuperuentione. Vt enim Tridentini Concilij Patres ſeſſione quinta docuerunt, concupiſcentia, ſeu peccati fomes non ideo in ſacris Scripturis nuncupatur peccatum, quia verè peccatum ſit, *ſed quia à peccato eſt, & ad peccatum inclinat*, id eſt, quia oritur à peccato originali ſaltim Adami, & ad peccatum actuale inclinat; quare pro vtroque ſimul accipi poteſt; vt enim originem reſpicit ſuam, originale ſignificat, vt verò in terminum ſuum ordinatur, actuale. Idcirco cùm ſcripſit Anſelmus, Virginem emundatam fuiſſe ab Spiritu ſancto, *ab omni, ſi quid adhuc in illa originalis ſiue actualis peccati ſupererat*, nihil aliud docere voluit, quàm à fomite peccati, & carnis concupiſcentia mundatam fuiſſe; ſi enim adhuc fomes remanſerat in ea, aliquid erat originalis, ſiue actualis peccati: non quidem quia verè peccatum ſit, ſed quia à peccato eſſet (Adami) & ad peccatum inclinaret. Neque verò quis meritò hanc Anſelmi interpretationem improprietatis vocum notare poterit, quandoquidem ex doctrina eiuſdem Concilij ſatis liquet, quòd plerunque in ſacris litteris nomine peccati concupiſcentia duntaxat & fomes peccati propriè intel

Concil. Trident.

intelligatur; id quod multis Pauli Apoſtoli teſtimoniis facilè comprobatur: vt cùm dixit, *Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, ad Rom. & ſæpe alibi. Et eo vel maximè in Anſelmo cogimur peccati nomen in eo ſenſu accipere, quòd vtroque loco aliquid afferat, in alio ſenſu falſum, & tanto Doctore indignum: nimirum in libro, *Cur Deus homo*, Virginem, in eo peccato natam, in quo & concepta fuit; in libro autem de Excellent. Virginis, eam ab Spiritu ſancto mundatam ſimul ab originali, & actuali peccato; nequit autem de Anſelmo exiſtimari ſenſiſſe Virginem Mariam, cum vero originali natam, & in eo vſque ad Annuntiationem Angeli perduraſſe; & actualia quoque peccata commiſiſſe. Cùm igitur ea expoſitio Patrū cæteris anteponenda ſit, quæ verba in alienum ſenſum non contorquens in omnibus ſuis ſcriptis(ſi fieri poſſit) locum habeat, nihilque indignum eis tribuat, & hæc omnia in noſtra reperiantur; dubium non ſit hanc prorſus eſſe legitimam, & germanam Anſelmi interpretationem; & eapropter communem & vulgarem deinceps, vt falſam poſthabendam: & (quod ex omnibus prædictis ſit conſequens) nihil vnquā contra immaculatam Virginis Conceptionem, vel leuiter ſcriptum reliquiſſe; quinimo in libro de Excellent. Virgin. tanta circunſpectione fomitem etiam conceſſiſſe in illa, vt nequaquam abſolutè ipſum conceſſerit, ſed ſub conditione, *ſiquid adhuc in illa ſupererat*, Incarnationis Verbi tempore: quod ego limitaſſe intel-

ligo, quatenus innueret, ſi quo pacto fomes in Virgine fuit, nequaquam tamen ſolutum & liberè rationi repugnantem concedamus, ſed ligatum; & idcirco non dixit abſolutè, mundata fuit ab originali ſeu actuali peccato; ſed ſub conditione, *ſiquid adhuc in illa originalis, ſiue actualis peccati ſupererat*; & rectè quidem, quia fomes ligatus, quaſi diminutus fomes exiſtimari debebat.

§. 3. *Exponitur ad litteram celebris illa Anſelmi ſententia*, Decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, &c.

DEſiderabit tandem quis audire, quid ſibi voluerit Anſelmus illis verbis in hac materia celebratiſſimis; *Decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret*: non enim vno modo explicari ſolent, ſed diuerſo; quidam enim tanta latitudine accipiunt, vt voluerit à Virgine omne peccatum excludere, actuale & originale, adhuc ſiquidem ſub Deo intelligi poteſt tanta puritas in pura creatura; Anſelmus verò tantá docet Virginem nituiſſe, quòd maior ſub Deo intelligi nequit: quòd ſi ſolùm actualibus peccatis caruiſſet B. Virgo, nequaquam tanta puritate niteret, quia alia ſub Deo adhuc maior intelligi poteſt. Aliis placet, ab illa particula, *ſub Deo*, limitationẽ accipere dictã ſententiã, Deus enim ſolus nullum habuit peccatũ in humana natura, cæteri præter Deũ &

eius

eius Matrẽ actualibus & originalibus inquinati ſunt, Virgo autẽ caruit actualibus dũtaxat, inquiũt. Certè vtrãque interpretationem diuerſis ſuæ doctrinæ locis amplexus eſt D. Thomas, dũ de præſenti Anſelmi ſentẽtia diſſeteret In 1. quidẽ ſent. diſt. 44. a. 3. in ſolut. 3. arg. priorẽ conceptis verbis amplectitur; quærebat ſiquidẽ in eo a. 3. *Vtrùm Deus potuerit facere humanitatẽ Chriſti meliorem, quàm ſit?* & cùm formaſſet 3. arg. ex eo quòd Beata Virgo fieri potuerit purior, ídque teſtimonio Anſelmi, *Decens erat*, &c. reſpõdet: *Ad tertiũ dicendum, quòd puritas intenditur per receſſũ à contrario, & ideo poteſt aliquid in creaturis inueniri, quo nihil purius eſſe poſſit in rebus creatis, ſi nulla cõtagione peccati inquinatũ ſit: & talis fuit puritas B. Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit; fuit tamen ſub Deo, inquantũ erat in potentia ad peccandũ.* Nec valet dicere, quòd poſt ſanctificationẽ poterat dici immunis ab originali, quia eodẽ modo loquitur S. Thomas de immunitate ab originali, atque ab actuali; nemo tamen volet, ipſum ſanctificationem ab aliquo actuali, Virgini conceſſiſſe. Præterquam quòd ſolùm concedit Virgini poteſtatẽ ad peccatum, peccata verò ipſa omnino negat. Fuit tamen (ait) ſub Deo, inquantũ erat in potentia ad peccandũ. Simili prorſus pacto exponit Anſelmũ ipſe S. Doctor in 1. diſt. 17. q. 2. a. 4. vbi cùm obiecíſſet ſibi eadẽ Anſelmi verba, reſpõdet ad 3. vel 4. arg. *Ad illud quod obiicitur de B. Virgine, dicẽdũ eſt, quòd differunt puritatis augmentũ & charitatis: augmentũ enim puritatis eſt ſecundũ receſſũ à cõtrario; & quia in*

D. Tho.

D. Tho.

B. Vir

B. Virgini fuit depuratio ab omni peccato, ideo peruenit ad ſūmū puritatis; ſub Deo tamē, in quo nō eſt aliqua potētia deficiēdi, qua eſt in qualibet creatura quātū eſt in ſe. Vbi ſolùm relinquit in Virgine potentiam deficiendi. Alteram expoſitionem amplectitur ipſe Doctor Anſelmus, hac in parte ſibi contrarius, 3. p. q. 27. att. 2. vbi cùm ſecundum propoſuiſſet argumentum, *Conueniens fuit (ſicut Anſelmus dicit in libro de Conceptu Virg.) vt illa Virgo ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi.* Reſpondet: *Sub Chriſto, qui ſaluari non indiguit, tanquam vniuerſalis Saluator, maxima fuit B. Virginis puritas, nam Chriſtus nullo modo contraxit originale peccatum. Sed B. Virgo contraxit quidem originale peccatum, ſed ab eo fuit mundata, antequam ex vtero naſceretur.* Sed quæ harum expoſitionum Anſelmi menti conformior eſt? Exiſtimo ſanè poſteriorem coactam eſſe, & verbis Anſelmi difficilè coaptari; eo vel maximè quòd inconueniens carentiæ redemptionis, cui nititur, minimè ſequatur, ex præſeruatione Virginis ab originali peccato. Puto etiam contineri quidem hanc præſeruationem intra latitudinē illius ſentētiæ; *Decens erat*, &c. ſed non video, quòd de ea re ſermo eſſet in illo cap. 18. nam titulus eius erat, *Quòd de Virgine iuſta Deus conceptus ſit, non ex neceſſitate, quaſi de peccatrice non poſſit, ſed quia ſic decebat.* Cùm enim in ſuperioribus capitibus probaſſet, ex vi ipſa generationis Virgineæ non potuiſſe prolem peccato infici, ſubinquirit, cur igitur de matre mundiſſima Verbum Dei carnem aſſumpſit, mundans eam priùs?

Anſelm.

priùs?Et reſpondet : *Quanuis ergo de mundiſſima Virgine Filius Dei veriſſimè conceptus ſit, non tamen hoc ex neceſſitate factum eſt, quaſi de peccatrice parẽte iuſta proles rationabiliter generari per huiuſmodi propagationem nequiret: ſed quia decebat, vt illius hominis conceptio de matre puriſſima fieret.* Et hoc amplificat ſubdens: *Nempe decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret,* (quæ cum tota Trinitate commercium habitura erat) videlicet, *cui Deus Pater vnicum filium ſuum (quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum tanquam ſeipſum diligebat) ita dare diſponebat, vt naturaliter eſſet vnus, idémque communis Dei Patris & Virginis filius. Et quam ipſe Filius ſubſtantialiter ſibi facere matrem eligebat: & de qua Spiritus ſanctus volebat, & operatus erat, vt conciperetur, & naſceretur ille, de quo procedebat. Qualiter autem Virgo eadem per fidem ante ipſam Conceptionẽ mundata ſit, dixi* (in libro, *Cur Deus homo*) *vbi aliam rationem de hoc ipſo vnde agitur reddidi; quæ duæ rationes intellectui meo videntur vnaquaque per ſe ſufficere: ſed ambæ ſimul animo vim rationis, & decorem actionis quærenti copioſè ſatisfacere.* Hæc integra illius capitis verba ſunt. Ex quibus illud infero, mentẽ Anſelmi formaliter fuiſſe agere de mundatione à fomite peccati, quæ in Annuntiatione Angeli, fidei Virgineæ meritis facta eſt. Non enim poſſunt in alium ſenſum verba illa contorqueri, *Qualiter autem Virgo eadem per fidem ante ipſam Conceptionem mundata ſit, dixi:* agitur enim neceſſariò in eis de ea munditia, quæ ſine neceſſitate puritatis Conceptionis Chriſti, Virgini

gini ex ſola officij ſui condecentia donata fuerat: & de ea dixerat, quòd erat tanta, *quòd maior ſub Deo nequit intelligi.* Vnde neceſſarius & legitimus ſenſus huius celebris ſententiæ eſt: Ablata eſt à B. Virgine pronitas & inclinatio ad peccandum, ſeu peccati fomes in Angelica Annuntiatione: quo vno dato, tanta deinceps nituit puritate, vt maior ſub Deo intelligi nequeat; quandoquidem non ſolùm non habere peccatũ, ſed carere etiam inclinatione ad peccandum eſt maxima puritas, quæ ſub Deo poteſt intelligi; ſolum ſiquidem reſtat, non poſſe peccare naturâ ſuâ, quod ſolius Dei eſt. Ad illũ verò puritatis gradũ, ad quem Virgo euecta fuit, in Conceptione Verbi diuini concurrit Spiritus ſanctus, templũ ſuum mundando ab inclinatione & fomite peccati, quantuncũque ligato, & conſopito, & ad tantam munditiam per fidei infuſionẽ diſponendo: quod indicant illa verba, *Qualiter autem Virgo eadem per fidẽ, ante ipſam Conceptionem mundata ſit, dixi.* Cum hoc tamen verũ eſt, rationem illã, *quia maior ſub Deo intelligi nequit,* tantam habere vim, vt excludat ab anima Virginis omne peccatũ, pro quouis tempore vel momento, etiamſi ſermo ſit de originali, vt ſuperiùs expoſitũ eſt. Hæc proculdubio fuit D. Thomæ ſententia in locis ex 3. ſent. relatis, vbi ex vi verborũ Anſelmi ſolũ relinquit Virgini poteſtatẽ peccandi, & conſequenter excludit pronitatẽ fomitis, quę longè diuerſa eſt ab illa: & ſemper in eius doctrina ablatus fuit à Virgine in Annuntiatione fomes peccati, qui primùm in ſanctificatione

priori

priori mãſerat ligatus, vt videre eſt 3.p.q.27.a.3.

§. 4. *Teſtimonio cuiuſdam diſcipuli eiuſdem Sancti Doctoris, ſenſum noſtrum egregiè confirmari.*

NE tamen prædicta Anſelmi expoſitio eò forſan parui ab aliquo pēdatur, quòd noua videatur, & recens excogitata, habemus vetuſtiſſimum in fauorē noſtrum teſtimoniũ cuiuſdam Anſelmi ipſius diſcipuli, ęqualis Bernardo, qui cùm videret à nonnullis impugnari doctrinã libri de Conceptu Virginis, Anſelmum pro virili tutatus eſt, apologiâ conſcriptâ, quæ cum S. Anſelmi operibus præ manibus eſt, typis ſemper excuſa, poſt prædictum de Conceptu Virginali opuſculũ, ſub titulo, *Declaratio cuiuſdã de eodem libro*: authoris verò anonymi ætas habetur, dum Bernardum in ſuum fauorem citans ſuorũ tēporũ, vocat Doctorē, *Adhuc audi* (inquit) *quid dicat inde noſtrorũ temporum Spiritus ſancti organũ B. Bernardus Abbas Claræuallenſis, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, &c. Vidimus autē ſuperiùs Bernardũ ferè æqualē Anſelmo fuiſſe. Inſurrexerãt quidam contra prædictum Anſelmi librum; ſed nunquid id indignè ferebant, quòd mundatam dixiſſet Virginem Beatam priuſquam Dei Filium conciperet; quaſi minus purè de ea loqueretur? Minimè gentium, imò verò idcirco in illum inuehi viſi ſunt, quòd puriùs quàm par eſſe ipſi crederent, loqueretur. Et quidem diſceptatio ab eo ſumpſit initium, quòd cap. 7. ſcriberet, in ſemine non magis eſſe culpam, quàm

quàm in ſputo, vel ſanguine, ſiquis mala voluntate expuat, vel ſanguinem mittat. Verba authoris ſunt; *Quidam quod hic dicitur, ſcilicet in ſemine quo concipitur homo, non magis eſſe culpam aliquam, vel originalem vel actualem, quàm eſt in ſputo vel ſanguine, ſiquis mala voluntate ſpuat, aut de ſanguine ſuo aliquid mittat, reprehendunt; falſum eſſe ex hoc adſtruentes, quòd in ipſo ſemine ſit quidam fomes peccati, & corruptio naturæ humanæ, & inde origo peccati originalis.* Nitebantur illi Auguſt. Auguſtini authoritate, qui lib. 2. de nuptiis, & concupiſcent. exponens illud Sapient. 13. *Nequam eſt illorum natio, & naturalis malitia ipſorum, ſemen enim erat maledictum ab initio*; ſubinfert: Quomodo ergo cuiuſlibet hominis malitia naturalis, & ſemen maledictum ab initio, niſi ad illud reſpiciatur, quòd per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt? Reſpondet verò vindex Anſelmi, eo loci nomine *ſeminis* non ſignificari ſemen quod principium eſt generationis, Ambroſ. ſed homines ipſos: Ambroſium verò pro Anſelmo ſtare, cum lib. 1. ſermonum ſacror. ſcripſit, *Iudæus vrceos baptizat, & calices, quaſi inſenſibilia vel culpam poſſint habere vel gratiam.* Ex quo poſt longam diſceptionem infert ille, *Rata eſt ergo ſententia Ambroſij, & noſtri Anſelmi, generaliterque intelligenda eſt, quòd in re inſenſibili nec gratia ſit, nec culpa.*

Hinc rurſus de Virgine ſuſcitata eſt lis: vt enim impugnatores Anſelmi haberent intẽtum, nimi

nimirum in ſemine eſſe verè peccatum aliquod, vel fomitem peccati, adduxerunt in medium Damaſceni teſtimonium aſſerentis, Spiritum ſanctum purgaſſe ſemen virgineum ab omni peccato, & fomite peccati, quo purius, vt par erat, redderetur ad verbi Incarnationem. En verba authoris, *Attamen adhuc opponunt de authoritate Ioannis Damaſceni, qui dicit, quòd poſt conceptum, ſiue conſenſum B. Virginis, Spiritus ſanctus ſuperueniens omne peccatum in ea purgauit, & omnem fomitem peccati. Et inde, credo, volunt habere authoritatem, quòd oportet aliquatenus ſemen illud Virginale, licèt non eſſet ex viri commixtione, tamen mundatum eſſe à fomite peccati, Spiritus ſancti operatione.* Sed quid ipſe vindex ad hæc? Certè ſi aliquam veram purgationem à peccato vel fomite liberè luxuriante Anſelmus in Annunciatione Virgini factam ab Spiritu ſancto ſentiret; nullatenus eius diſcipulus obiectis ſibi de Damaſceni authoritate reſiſteret; nunc verò non ſolùm reſiſtit, & reluctatur, ſed probat quidem teſtimoniis Hieronymi, & Bernardi, ante conceptum quidem Filij purgatiſſimam iam dudum extitiſſe, vt non indiguiſſet nunc denuò repurgari, Hieronymo aſſerente in ſerm. de Aſſumpt. Hieron. *Quamuis dudum incomparabilis eſſet vniuerſis, quæ ſub cælo ſunt, virginibus, vt decenter poſſet in ſe ſuſcipere diuinitatis admixtionem, ſalua vtraque natura:* (id eſt, adhuc ante Annuntiationem decenter poterat eſſe Mater Dei) *tamen cùm gratia repletur, cùm Spiritu ſancto perfunditur, cùm Spiritu ſancto obumbratur, fit pretioſior meritis, celſis ſublimior,*

faſtigiis pulchrior, ſanctitate glorioſior, ſuorum meritis & prærogatiuis meritorum, ita vt nullis iam vſibus
Bern. *ſit ipſa eadem mancipanda niſi diuinis.* De Bernardo autem adducit illud ex hom. 4. ſuper Miſſus eſt, *Superiùs dicta eſt gratia plena, & nunc quomodo dicitur, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te? An fortè ideo non dicit ſimpliciter,* Veniet in te, *ſed addidit,* ſuper, *quia & priùs quidem fuit in ea per multam gratiam, ſed ſuperuenire nuntiatur propter abundantioris gratiæ plenitudinem,* &c. Neque his contentus, ad Damaſcenum quidem primùm reſpondet, *Nihil nos Ioanni Damaſceno in dictis ſuis præiudicare, vtpote quòd eius ſcripta nulla legerimus, niſi quatenus ea ab aliis in teſtimonium introducta multis in locis cognouimus.* Deinde excandeſcit in eum, ſeu in eius inducentem authoritatem, inquiens: *Rogo te Ioannes Damaſcene, vel quicunque es in tali ſententia, qui putas Beatam Dei Matrem poſt Annuntiationem S. Angeli, tunc primum in ſuperuentionem Spiritus ſancti amiſiſſe vel peccatum, vel fomitem peccati. Rogo, inquam, te per eandem Beatam Theotocen deſiſte, noli æmulari in malignantibus, ceſſa ſinceriſſimum vas incruſtare; ſolue calceamenta pedum tuorum, quæ impediunt progreſſum rectæ intentionis tuæ: ſiquidem zelum Dei habes in hac parte, ſed fortè non ſecundùm ſcientiam: forſitan enim putas in hoc errore, Deo te obſequium exhibere. Quod ſi nolueris ceſſare, ſcito quòd terra hæc quam calcas deuorat habitatores ſuos, vltionem faciens in omnes filios diffidentiæ.* Et inferiùs: *Hæc nos quidem breuiter introduximus contra hoc quod opponunt de Ioanne Damaſceno, cui nos dare determi-*
nationem

nationem præſumptuoſum eſſet, qui quo ſenſu dixerit penitus ignoramus: at ſi ille Hieronymo & noſtris contraria hic dixit, libet in hoc potiùs adhærere non ei, ſed Hieronymo, & noſtris.

Cæterùm vindex iſte Anſelmi, quiſquis ille fuerit, nomine fomitis peccati non ſolùm pronitatem ad peccandum intellexit, ſed aliquid quaſi incitans, ſeu conſulens peccatum. Ait ſiquidem in principio, *Si ab eis quæratur, quid appellent fomitem peccati, qui in ſemine ſit, & corruptionem naturæ, non video quid reſpondere poſſint rationabiliter; nulla enim res ratione carens, vel ad peccatum incitare poteſt, vel ad virtutem. Et quod nec culpam poteſt habere nec laudem, non poteſt fomes eſſe peccati vel virtutis.* Atque hæc notarim, nequis putet hunc Anſelmi diſcipulum nobis aduerſari, dum in ſuperioribus ſtabiliuimus, Anſelmum adſtruxiſſe peccati fomitem in B. Virgine vſque ad Annuntiationem; longè enim alio ſenſu accepit ipſe fomitis nomen, ac nos; Nos enim cum D. Thoma 3. p. q. 27. art. 3. aſſerimus DTh. quòd *nihil eſt aliud quàm inordinata concupiſcentia ſenſibilis appetitus, habitualis tamen; quia actualis concupiſcentia eſt motus peccati. Dicitur autem concupiſcentia ſenſualitatis eſſe inordinata, inquantum repugnat rationi, quod fit inquantum inclinat ad malum, vel difficultatem facit in bono.* Ille verò neſcio quam rationem conſiliatricem ad malum videtur nomine fomitis intelligere, ſeu potiùs exiſtimaſſe, peccati fomitẽ non ſolã habitualem concupiſcentiam & pronitatem in malum, ſed actualem, quæ culpabilis: vt indicant illa verba,

Quod nec culpam habere poteſt, non poteſt fomes eſſe peccati. Aut verò ſolùm contendit, nequaquam concedi debere in Virgine fomitem etiam habitualem liberè rationi repugnantem, aut inclinando habitualiter in malum, aut difficultatem faciendo in bono; & hoc aſſerit docuiſſe Anſelmum; non tamen negat aliquandiu ligatum manſiſſe in Virgine, qui tamen nunquam in actum prorupit, tum ex abundantia gratiæ, quam in prima ſanctificatione Virgo recepit, tum & *perfectiùs* (ait D. Thomas) *per diuinam prouidentiam ſenſualitatem eius ab omni inordinato motu prohibentem.* Quod quidem omnino ad mentem Anſelmi eſſe negari non poteſt, cùm ſæpe repetat, quòd *per fidem Virgo mundata ſit*, ante ipſam Verbi diuini conceptionem. Itaque ex diſceptatione præfata liquidò conſtat, Anſelmum nihil amplius Virgini conceſſiſſe, nomine mundationis, quàm à nobis explicatum ſit. Vtrùm verò Ioannes Damaſcenus contrarius Anſelmo, & nobis fuerit, quod prædictus author ſoluere nequiuit, nunc videndum. Sed quoniam multi alij Patres eadem phraſi vſi ſunt, vniuerſos ad lydium vocare placet, quo cauſa noſtra omni parte ſplendeſcere videatur.

§. 5. *Appendix aliorum Patrum vindicatorum, qui cum Anſelmo purgationem in Virgine docentes, neutiquam de peccati originalis, ſed de fomitis extinctione loquuti ſunt.*

I. S. Ioannes Damaſcenus.

Quo

QVoniam hunc Doctorem ſanctiſſimum in mediũ adduxit anonymus ille vindex Anſelmi, placet ab eo exordium ſumere, & quẽ ille non valuit exponere, quòd ipſius frui ſcriptis datum ei non fuit, nunc vindicare & exponere opus eſt, cùm eius viſis ſcriptis nihil contra immaculatam Virginis paſſiuam Conceptionem reſultet. Bis in diuerſis ſuæ doctrinæ locis fatetur, Virginem ab Spiritu ſancto purgatam & mundatam, ſed in his omnibus eam purgationem in Annuntiatione Angeli patratam aſſeuerat; nimirum in Cõceptione eius actiua, quo tamen tempore, piaculum eſſet peccatũ aliquod ei adſcribere, quo purgaretur; præſertim de doctiſſimo, ac deuotiſſimo Virginis ſanctæ Scriptore id ſentire non licet, cuius videlicet in defenſionem ſacrarum imaginum ſuarũ à Leone Iſaurico amputata manus, eo fuit ipſi à D. Virgine reſtituta, vt laudes eius & encomia ſcriberet. In hunc enim finem manum ſibi orauerat reſtitui, *Sanet* (inquiens) *oro, & hanc meam dexteram tuis precibus dextera Altiſſimi, quæ de te incarnata eſt, vt tuas, & eius qui ex te incarnatus eſt, laudes* (*ſicut dederis*) *numeris rhythmicis, & melodiis perſcribat, & Orthodoxi cultus ſit cooperatrix, ô Deipara.* Addit Ioannes Patriarcha Hieroſolymitanus in eius vita: *Hæc orans Ioannes, & lachrymans in ſomnum vertitur, vidétque ſanctam Deigenitricis imaginem, miſericordibus ac lætis oculis ad ſe reſpicientem, & dicentem: ecce ſana facta eſt manus tua; caue poſthac ne ſegnis fueris, ſed calamum eã fac ſcribæ velociter ſcribentis, quemadmodũ pollicitus es.*

Vt autem reſtitutus euigilauit,& manum curioſè contemplans curatam vidit. Neque in occulto, neque clam ſunt acta hæc. Vnde & Sarraceni quidam continuò ad Principem ſuum abierunt, dicentes, non eſſe abiectam manum Ioannis, ſed alterius cuiuſdam. Ad horum denuntiationem accerſitur Ioannes, iubetúrque abiectam oſtendere dextram. Sed cùm oſtendiſſet, viſa eſt lineola quadam defectionis, quam ita ordinarat Deigenitrix, vt amputationis certitudo efficaciùs comprobaretur. Inde venditis quæ poſſidebat, in S. Iabæ celebre monaſterium ſe contulit, & monachus factus, ſub inſtituto S. P. Benedicti, vt ex Trithemio & aliis accipimus. Ergóne manus Damaſceni miraculosè ſibi à Deipara reſtituta, vt eius laudes caneret, in Verbi præſertim diuini Conceptione, peccatum aliquod eo temporis benefactrici adſcriberet? Abſit. Solùm quidem aſſerit Virginem purgatam fuiſſe Spiritus ſancti gratia; cùm verò id non in matris ſuæ vtero, ſed in Conceptione Filij ſui aſſerat accidiſſe, planum fit, de purgatione fomitis aliàs ligati, fuiſſe loquutum; nequaquam verò de peccato originali. Vide nunc ipſa teſtimonia, alterum habet in lib. 3. de Fide Orthodoxa, cap. 2. *Spiritus ſanctus* (ait) *ſuperuenit in Virginem, eam luſtrans.* Sic legimus in tranſlatione Abbatis S. Michaëlis in Eremo; in antiqua verò legitur, *purgans eam.* Ita

D.Th. refert D. Thomas 1.2.q.81. a.5. in arg. 3. his verbis. 3. *Præterea Damaſcenus dicit in lib. 3. quòd Spiritus ſanctus præuenit in Virginem, de qua Chriſtus erat abſque peccato originali naſciturus, purgans eam.* Et reſpondet: *Ad 3. dicendũ, quòd illa purgatio præueniens in B. Virgine, non requirebatur ad auferendam*

dam transfuſionem peccati originalis,ſed quia oportebat, vt Mater Dei maxima puritate niteret. Teſte igitur Doctore Angelico in iis locis agebat Damaſcenus de purgatione tempore Conceptionis Filij Dei,quæ fuit purgatio fomitis in ipſa & in ſemine Virginali, non verò alicuius peccati.

Hunc locum iterum refert D.Thomas 3.p.q. 27.art.3. agens de purgatione fomitis Virginei in Angelica Annuntiatione,(tametſi in margine falsò citetur lib.4.de Fide Orthod.c.15.vbi nihil de purgatione aut luſtratione reperitur) ſub his verbis.3.*Præterea Damaſcenus dicit,quòd in B.Virginem ſuperuenit Spiritus ſanctus,purgans eam, ante Conceptionem Filij Dei.* Audi quæſo in ſolutione 3.arg.quid ex mente Angelici Doctoris nomine purgationis intelligatur.*Ad 3.dicendū quòd Spiritus ſanctus in B.Virgine duplicem purgationem fecit;vnā quidem quaſi præparatoriam ad Chriſti Conceptionē, quæ non fuit ab aliqua impuritate culpæ vel fomitis,ſed mentem eius magis in vſum colligens,& à multitudine ſuſtollens,nā & Angeli purgari dicuntur in quibus nulla impuritas inuenitur, vt Dionyſius dicit 6.c. Eccleſiaſtica Hierarchia. Aliā verò purgationem operatus eſt in ea Spiritus ſanctus mediante Conceptione Chriſti, quæ eſt Spiritus ſancti opus; & ſecundùm hanc poteſt dici, quòd purgauit eā totaliter à fomite*, à quo videlicet eā in prima ſanctificatione ex parte purgauerat, fomitem ne contra rationem rebellaret, ſopiens,& ligans. Alterum teſtimonium Damaſceni habetur in ſermone de Aſſumpt. B.Mariæ, ſub his verbis: *Hanc Virginem Pater prædeſtinauit, virtus ſanctificatiua Spiritus ſancti obumbrauit, purgauit, & ſanctificauit.* D.Th.

Cæterùm priùs dicit quòd Spiritus ſanctus Virginem obumbrauerit, quàm ſanctificauerit, ne de alia purgatione, quàm fomitis, loquutũ fuiſſe credamus. Hinc colligo falsò impugnatores illos Anſelmi, contra quos anonymus vindex egit, impoſuiſſe Damaſceno, quòd diceret, purgatã fuiſſe *ab omni peccato, & ab omni fomite peccati*, nuſquam ſiquidẽ id ſcripſiſſe reperitur, imò nec fomitis nomine vſus fuit, vt vidimus. Quòd ſi ex cõceſſione purgationis fomitis, volunt elicere aſſertionem peccati originalis, ineptè argumentãtur, cùm alterum ſine altero exiſtere poſſit, & de facto cõmuniter à modernis Doctoribus aſſeratur. Vt verò ſemel conſtet, quàm purè de Cõceptione paſſiua B. Virginis Damaſcenus noſter ſenſerit, videant lectores mei, quæ in ſermone 1. de Natiuitate ipſius ſcripſit; cùm enim à Deo creabatur in vtero matris ſuæ, non minus quàm cælum lucida & formoſa ſibi viſa eſt: nam eo nomine ipſam tunc temporis nuncupat. *Hodie* (inquit) *ex terrena natura, cælum in terra ille condidit, qui olim firmamentum ex aquis fixerat, atque in altum extulerat.* Quæ ſanè verba minimè Natiuitati Virginis adaptari queunt, ſed Conceptioni, quemadmodum & illa, *O beatos Ioachimi lumbos, è quibus prorſus immaculatũ ſemen fluxit.* Sanè prorſus immaculatũ ſemen eſſe nõ poſſet, ſi peccatũ verũ in ipſa Conceptione Virgo traxiſſet, nulla enim fœdior macula, quàm peccati.

II. S. Gregorius Nazianzenus.

DEſumpſerat proculdubio loquendi modum de purgatione Virginis à Gregorio

Theologo Damaſcenus; is enim orat. 36. in Chriſti Natiuitatem, purgatam fuiſſe docet, ſed quo tempore? Non alio, quàm in Annuntiatione Angeli. En verba Gregorij: *Ille Patris terminus & ratio ad imaginem ſuam ſe confert, & carnem ob carnem gerit, & cum intellectuali anima propter animam meam iungitur, vt ſimile per ſimile repurget; atque humana omnia, excepto peccato ſuſcipit; conceptus quidem ex Virgine animo & corpore ab Spiritu præpurgata; nam & procreationem honore affici, & Virginem præferri oportebat. Progreſſus autem Deus cum humanitate*, &c. Agebat ergo de tempore Incarnationis Dominicæ, quando in Virgine nullum peccatum erat. Quare quod ait, *animo & corpore ab Spiritu præpurgatam* fuiſſe, exponi omnino debet, penes doctrinam ſuperiùs aſſignatam ex D. Thoma de duplici purgatione; quoad animum quidem de purgatione Angelica, quoad corpus verò de purgatione fomitis. Citari etiam ſolet Nazianzenus Orat. 40. in S. Baptiſma, quo loci nihil de purgatione Virginis habet; ſolùm ſiquidem (ait) *Crede Dei Filium, Verbum illud omnibus ſæculis antiquius, extremis diebus hominis quoque filium tua cauſa factum eſſe, arcano modo, ac ſine vlla ſpurcitie ex B. Virgine progreſſum, nihil enim ſpurcum vbi Deus eſt.*

III. S. Ambroſius.

NOn diſſimili modo loquitur Ambroſius (ſi is eſt author commentariorum ſuper epiſtolas Pauli, quæ cum ſuis operibus circumfe-

 runtur)

runtur.) ait enim ſuper c.8. epiſt. ad Roman. *Expiata eſt caro Domini ab Spiritu ſancto in Virgine.* Vbi expreſsè loquitur de tempore Incarnationis Dominicæ; & cùm non dicat expiatam eſſe Virginem ipſam, ſed carnem Domini, certũ eſt de ſemine Virginali ſermonem eſſe, in quo peccatum verum eſſe non poterat, ſed vt plurimũ origo fomitis peccati. Quod verò Ambroſius ait ſerm.6. in Pſalm. 118. *Caro Chriſti in Maria fuit obnoxia peccato*, verè dicitur reſpectu fomitis, cuius gratia caro Virginis in peccatum inclinabat; imò verò cùm fomes ipſe peccati nomine plerumque in Scripturis nuncupetur, vt apud Paulum videre eſt, quatenus fomitem habebat, poterat verè dici peccato obnoxia.

IV. S. Fulgentius.

CLariùs loquitur Fulgentius. Eius verba ſunt in ſermone de laudibus Virginis; *cùm dixit Angelus. gratia plena, oſtendit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ, & plenam benedictionis gratiam reſtitutã.* quæ verba ex Magiſtro ſuo Auguſtino deſumpſit, ſermone 11. de Natali Domini, tomo 10. Dicit verò Annuntiationis Angelicæ tempore non quidem tunc iram excluſã vtcunque, ſed *ex integro*, nec tunc primùm benedictionis gratiam Virgini reſtitutam, ſed *plenam*; quo nimirum denotetur, tunc temporis à fomite fuiſſe purgatã, qui ab ira primæ ſententiæ originem ducebat; dũ enim aderat fomes, nequaquã ex integro primæ iræ ſententiæ intelligebatur

exclu

excluſa,nec plena benedictionis gratia,qua homo in ſtatu originalis iuſtitiæ fruebatur, reſtituta.

V. S.Beda.

ALiquanto duriùs Beda loquutus videretur,niſi de tempore Incarnationis Dominicæ expreſsè loqueretur; ait ſiquidem in homilia ſuper Miſſus eſt; *Spiritus ſanctus ſuperueniẽs in Virgine, mentem eius ab omni vitiorum ſorde caſtigauit, & ab omni æſtu concupiſcentiæ carnalis cor eius temperauit, atque mundauit.* Quæ verba iuxta doctrinam ſuperiùs aſſignatam Damaſceno ex D. Thoma, exponenda ſunt de duplici purgatione, videlicet de ea quæ reperitur in Angelis, & de totali fomitis deſtructione. Videtur etiam eò ſolùm tendere vt vellet, Virginem ab Spiritu ſancto temperatam fuiſſe, ne in datione ſui Virginalis ſeminis æſtu concupiſcentiæ ſeu delectationis carnalis vreretur, ſicut cæteræ mulieres, ſed mente eius in Deum vnicè collecta, materiam corporis Dominici puriſſimè miniſtraret; abſque eo quòd Conceptionis tempore mentem in delectationum ſordibus hærentem haberet: vbi verbum illud, *caſtigauit*, idem eſt ac caſtam reddidit præueniendo ne ſordibus delectationis carnalis inquinaretur. Hoc ſi Chlitoneus in commentariis ad c.2.l.3. de Fide orthodox. aduertiſſet, non tam acriter in S.Bedam inueheretur.

V I. Chryſippus Hieroſolymitanus.

Simili

SImili modo interpretandus eſt omnino, qui non diſſimiliter loquitur, Chryſippus Hieroſolymitanus Antiſtes in ſermone de B. Virgine, ex quo vulgo citari conſueuerunt verba illa, *Cum omnibus ſurget de lapſu, in quo vel illam conſtituit Eua cognatio:* difficilia quidem, ſi aliàs non conſtaret ſcripta de Virgine tempore Dominicæ Incarnationis, quo nimirum nullum in Virgine vnquam peccatum à Catholicis poſitum fuit. Loqui autem de ipſo tempore Conceptionis diuini Verbi, liquidum fiet legentibus ſententiam integram, & non detruncatam, quæ in expoſitionem illius verſiculi Pſalmi, *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tua,* ſic habent: *Surge Domine,* &c. *tu & arca ſanctificationis tua; arca enim verè regia, arca pretioſa eſt Virgo Deipara, ſurge Domine, nam niſi tu exurgas è ſinu paterno, genus noſtrum quondam lapſum non reſurget. Tu & arca ſanctificationis tua; cùm tu enim inde ſurrexeris, ſigillabis arcam ſanctificationis tua: túncque arca cum omnibus ſurget à lapſu, in quo vel illam conſtituit Eua cognatio.* Quid eſt, *cùm enim tu inde ſurrexeris, & cùm tu exurgas è ſinu paterno,* niſi cùm carnem indueris? De Incarnatione igitur ſermo eſt. Præterquam quòd hâc Chryſippus ſententiâ nihil aliud ſignificat, niſi quòd tunc genus humanum reſtaurabitur, & ipſa etiam Mater Dei redemptionem accipiet, à communi Adæ lapſu. Certum verò vt minimũ eſt, non rigoroſiùs accommodari debere hæc verba B. Virgini, quàm cæteris hominibus, qui

tamen

tamen eo temporis momento, quo Incarnatio perfecta eſt, ſurrexiſſe à Chryſippo dicuntur à lapſu, & cum iis Virgo etiam ipſa. *Túncque*(ait) *arca cum omnibus ſurget à lapſu.* Atqui cæteri non ſunt verè eo tempore purgati à peccatis; non igitur id Virgini accidiſſe credendum eſt, ex mente Chryſippi.

VII. Rupertus Abbas Tuitienſis.

DIfficilius aliquantulum loquutus eſt Rupertus,& à nonnullis contrarius nobis reputatur, eo quòd in expoſitione Cantici prope initium ſcripſerit, *Et tu quidem veraciter dicere poteras: Ecce in iniquitatibus concepta ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Cùm enim eſſes de maſſa, quæ in Adam corrupta eſt, hæreditaria peccati originalis labe non carebas.* Perperam tamen,nam ſi de tempore quo poterat B. Virgo hæc dicere, de mente Ruperti, quæſtio fiat, planè reperiemus loqui de ipſa Annuntiationis Angelicæ hora; qua dubium eſſe non potuit de peccato loqui,ſed de ſolo fomite ipſius.Sanè dum interpretaretur verba illa, *oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino*, eſſe quaſi demonſtratiua affectuum,ſeu deſideriorum, quibus B. Virgo tenebatur, videndi Deum humana carne veſtitum; dulcedine tamen perpetuæ Virginitatis allecta, quam vino carnalis delectationis præferebat; explicans Rupertus quæ ſint illa duo vbera, inquit: *Talis dulcedo pulchrè in duo vbera diſcernitur, quia duo ſunt data eiſdem Spiri*

Spiritus ſancti: alterum datum eſt in remiſſionem peccatorum, cuius videlicet dati vbere nullus ante hãc B. Virginem lactatus eſt Sanctorum antiquorum: alterum datum eſt in diuerſarum diuiſiones gratiarum, quo videlicet vbere lactati veteres Sancti, & prophetarunt, & multa miracula operati ſunt. Gratia igitur *gratum faciens*, quam Rupertus vocat, *in remiſſionem peccatorum*, quia tollit peccata, ſi adſunt, *& gratia gratis data*, ſunt duo illa dona Spiritus ſancti, de mente Ruperti, & duo vbera quibus Virgo ſanctiſſima lactata dicitur. Sed quando? Attende quæ ſubdit. *Vtrorumque namque vberum lætificata dulcedine ineffabili, dum concipis ô B. Virgo, dum tibi fit ſecundùm hoc verbum Angeli, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi (quibus duabus clauſulis iam dicta ſignificabantur duo data eiuſdem Spiritus ſancti) quid aliud diceres niſi meliora ſunt vbera tua vino?* Si dum concipit Virgo lætificata ſeu lactata dicitur dulcedine ineffabili vtrorumque vberum, planè recepiſſe tunc dicitur gratiam gratum facientem, ſeu in remiſſionem peccatorum, & gratiam etiam gratis datam prophetiæ, vel alterius doni. Nemo autem eam iniuriam irrogabit Ruperto, vt dixerit aliquod peccatum tunc Virgini remiſſum fuiſſe. Quin potiùs non leuiter mouebitur, qui dixerit in hac ipſa ſententia docuiſſe præſeruationem Virginis ab originali peccato, illis nimirum verbis, *Alterum datum eſt, in remiſſionem peccatorum, cuius videlicet dati vbere nullus ante hanc*

B. Virginem lactatus eſt Sanctorum antiquorum. Cùm enim eum ſenſum reddere nequeant, quòd nullus Sanctorum antiquorum, qui ante ipſam nati ſunt, gratiam remiſſionis acceperit, vtpote manifeſtè falſum; eo potiùs ſenſu videntur interpretanda, vt denotent, multos quidem poſt natiuitatem ſuam recepiſſe primùm gratiam remiſſionis, quando videlicet circumciſi fuerunt, nonnullos etiam in vtero matris ſuæ; nulli tamen datam eſſe ante hanc Virginem, quia videlicet, ſimul cum animo gratiam recepit gratum facientem, quæ eo ſolùm vocari potuit in ea remiſſionis peccatorum, quod à peccato, cuius contraxerat in Conceptione debitum, eam præſeruauit, & quantum eſt ex ſe tolleret, ſi quod in anima Virginis contractum inueniret. Video explicari poſſe antelationem iſtam, in ordine decretorum diuinæ prædeſtinationis, quòd nimirum Virgo ſanctiſſima prima redemptorum ordinata fuiſſe intelligatur, & poſt eam & per eam cæteri Sancti; cæterùm maiori proprietate verba Ruperti accipientur in priori expoſitione, quandoquidem verbum illud *lactatus eſt*, executionem & experientiam ſignificat, & impropriè accommodabitur Virgini in ordine intentionis diuinæ conſideratæ: vbi licèt poſſit dici quòd ante omnes alios decreta fuerit iuſtificari; non tamen, quòd ante eos lactata fuerit dono gratiæ gratum facientis; ſeu, quod idē eſt, quòd nullus ante

ipſam

ipſam eius gratiæ vbere lactatus ſit Sanctorum antiquorum.

Quibus ſuppoſitis facilè elucebit ſenſus illorum verborũ,quæ immediatè Rupertus ſubdit: *Non fueras experta vitium huius ſaculi, vinum voluptatis carnalis, de cuius ebrietate nulla vnquam mulier præter te concipere potuit, aut poterit. Et tu quidem veraciter dicere poteras: Ecce in iniquitatibus concepta ſum, & in peccatis concepit me mater mea; cùm enim eſſes de maſſa qua in Adam corrupta eſt,hereditaria peccati originalis labe non carebas. Sed ante faciem huius amoris*, (quo ſcilicet oſculum oris ſui ab Altiſſimo Deo flagitabas in Annuntiatione)*peccatum, nec illud,nec aliud ſtare potuit,ante faciem huius ignis*,(quo Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi,) *ſtipula omnis interiit; vt totum ſanctificaret habitaculum, in quo Deus totis nouem menſibus habitaret;tota omnino munda materia,de qua ſancta Dei ſapientia domum æternam ſibimet ædificaret.* Vide lector quæſo quàm diſtet Rupertus ab ea quæ ipſi imputatur vulgari ſententia; ſcripſit quidem, potuiſſe Virginem veraciter dicere ſe in iniquitatibus fuiſſe conceptam, ſed ſententiam hanc bina limitatione ſupra & infra ipſam locata circumdedit; ne in alios diuagaretur intellectus;ſuprà namque dixit, *ſine cuius voluptatis carnalis ebrietate nulla vnquam mulier præter te concipere potuit*, vt quod ſubiicere ſtatuerat, *Tu quidem veraciter dicere poteras: Ecce in iniquitatibus*, &c. prædictis verbis collatum, hunc neceſſariò redderet ſenſum; nulla vnquam mulier ſine

ſine ebrietate carnalis delectationis concepit, ſicut tu quoque veraciter concepta es; at eiuſmodi delectationis ebrietas, quam ex conceptione tua hæreditaria labe acquiſieras, antè faciem ignis diuini (quo nimirum ſine voluptate carnali conciperes) ſopita eſt; ante faciem huius ignis ſtipula omnis interiit. Atque hic ſenſus in Ruperto legitimus eſt; quòd enim Virgo beata verè peccatum originale contraxiſſet, vel non, nihil ad Ruperti propoſitum ſpectabat, ſed ſolùm quòd concepta fuiſſet ſicut cæteri, & in eius Conceptione mater etiam ipſius carnalis ebrietatem delectationis experta fuiſſet; vt ſola Virgo dicere veraciter poſſet, *Meliora ſunt vbera tua vino:* quod erat intentum Ruperti. Infrà etiam addidit, *Sed ante faciem huius amoris peccatum nec illud, nec aliud ſtare potuit, ante faciem huius ignis ſtipula omnis interiit, vt totum ſanctificaret habitaculum, in quo Deus totis nouem menſibus habitaret.* Illud ergo peccatum, in quo dixerat Virginem fuiſſe conceptam, ante faciem huius amoris tempore Conceptionis Dominicæ conſumptum eſſe docet; ne quis de alio quàm de fomite carnalis concupiſcentiæ ſententiam ſuam intelligeret. Quod igitur Anſelmus dixerat, *Per huius fidem certitudinis Virgo munda fieret*, id prorſus Rupertus docuit, *dum concipis ô B. Virgo; dum tibi fit ſecundùm verbum Angeli; ante faciem huius amoris peccatum nec illud, nec aliud ſtare potuit.* Accedit quòd non dixit, hæreditaria peccati originalis labe *non caruiſti*, ſed *non carebas*, nimirum dum concipis,

ô B. Virgo: quòd ſi de peccato vero originali loqueretur, non diceret, *non carebas* tempore Incarnationis, ſed non *caruiſti*; præſertim quia inferiùs exponens illud c.6. Cant. *Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens*, altiſſimè loquitur de immaculata Virginis Natiuitate, & inter alia, *Quando nata* (inquit) *Virgo beata, tunc verè nobis aurora ſurrexit*, &c. nequis vel leuiter de Ruperto noſtro ſuſpicetur, aliquod peccatum poſuiſſe in Maria quod duraſſet vſque ad Dominicam Conceptionem.

VIII. Ricardus de S. Victore.

NOn diſſimiliter Ricardus loquutus fuit lib. 2. de Emanuele cap. 26. purgationem Virgini adſtruens; verùm & ipſe expreſsè loquitur de tempore Cõceptionis Dominicæ, de qua totus liber de Emanuele diſceptabat. Titulus capitis erat, *Quòd niſi ad plenum purgata fuiſſet, talem fructum facere non poſſet.* In capite verò inquit; *Certè & ipſa B. Virgo Maria etiam tunc ſecundum carnem terra erat, quæ ab Angelo audiebat: Aue gratia plena; ecce concipies & paries filium.* Et ſubdit, *conſtat pro certo, quia niſi ad plenum purgata fuiſſet, Deum Dei Filium generare non poſſet.* Sanè etiamſi ipſe non denotaſſet tempus purgationis Virginis, *quæ ab Angelo audiebat: Aue gratia plena*, &c. nihil de Ricardo ſiniſtrum exiſtimandum eſſet, quippe cùm ipſe Conceptionis feſtum celebrandum docuerit, & ſpecialem de Conceptione ſermonem ediderit, vt cum aliis author nobis eſt Durandus, aliàs Cõ-

ceptioni

ceptioni infenſus, in 3.diſt.3.q.1.Et tametſi ſermo ille non extet, fides eius penes aduerſarios etiam eſt; & in eius confirmationem habemus elegans teſtimonium Ricardi 2. p. expoſitionis Cantic.c.26.vbi ſcriptum reliquit de B.Virgine Maria; *Tota fuit pulchra, quam totam poſſedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum.* quo ſanè non minus originale, quàm actuale excluditur. Eo quoque, vt credo, Doctore eiuſdem monaſterij S. Victoris Canonicus Regularis, Adamus, de Virgine cecinit in hymno:

Salue mundi ſacra parens,
Flos de ſpina, ſpina carens
Flos ſpineti gloria:
Nos ſpinetum, nos peccati
Spina ſumus cruentati,
Sed tu ſpina neſcia.

IX. S. Auguſtinus.

QVod de purificatione carnis B. Virginis in aliis Doctoribus vidimus, legimus etiam in Theologorum principe Auguſtino: eius enim difficilis nonnullis viſa eſt illa ſententia, quam in lib.2. de Baptiſmo paruu. c.24. ſcripſit de Chriſto Domino; *Peccatum nullum habuit vnquam, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati. Quod enim carnis inde ſuſcepit, aut ſuſcipiendũ mundauit, aut ſuſcipiendo mundauit. Ideo Virginem Matrem non lege carnis peccati, id eſt, non concupiſcentiæ carnalis motu concipientem, ſed pia fide ſanctum germen in ſe fieri promerentem, quam elegerat creauit, de qua crearetur elegit.*

Manifeſtiſſimè tamen mundationem carnis Virgineæ in Conceptione Dominica poſuit; cùm dixit, *Quod enim carnis inde ſuſcepit, aut ſuſcipiendo mundauit*, aliquo nimirum munditiæ dono aſſumptionem illius carnis præeunte; *aut ſuſcipiendo mundauit*, quaſi dixerit: forſan ſine vllo prævio dono, ipſa formaliter ſuſceptione mundauit carnem, quam de Virgine ſuſcepit. Sed qua diſpoſitione ex parte Virginis ea accidit munditia? Non alia quàm quæ ab Anſelmo aſſignata ſuperiùs fuit, *Per huius fidem certitudinis Virgo munda fieret*; quod Auguſtinus quoque hoc loco expreſſit, inquiens, *Ideo Virginem Matrem non lege carnis peccati, ſed pia fide ſanctum germen in ſe fieri promerentem, quam elegerat creauit.* Conſultò Magnum Auguſtinum in vltimum reieci locum, quoniam huius ſententiæ occaſione eius mentem ſeriò diſquirere, & elucidare placet, in gratiam immaculatæ Conceptionis Virginis: & quoniam nihil aliud ſupereſſe videtur, vt omnes Eccleſiæ antiquos Patres in eamdem veritatem conſpirare, ac neminem manifeſtè reſilire ab ea probatum à nobis ſit.

AVGV

AVGVSTINVS
VINDICATVS
A VVLGARI SENTENTIA,
quæ illi in controuerſia de immaculata Conceptione Beatæ Virginis imputari ſolet.

LECTORI
candido
VINDEX.

HABVIT ſuos ante me vindices Auguſtinus, tum ſui ſacri inſtituti Sodales doctiſſimos, tum etiam ex Seraphici Patris alumnis: & inter alios, perpetuum Auguſtini operum lectorem D. Florentium Conrium Archiepiſcopum Tuamenſem. Illorum ſtudiis, non meis arrogo, quæ pro vindicando Auguſtino in medium adduxero. Nonnihil ta-

men laboris, & olei me in eo opere inſumpſiſſe, lector meus facilè deprehendet; nec enim omnia placere potuerunt, quæ in aliis legi,& iudiciũ de vnoquoque Auguſtini teſtimonio denuò ferre neceſſum fuit. Auguſtino Ildefonſum adiunxi, quòd Auguſtiniana phraſi vſus, ſimili prorſus pacto interpretandus ſit. VALE.

§. 1. *Quid aliis, quídve nobis de mente Auguſtini probabilius videatur.*

CVm Catholicorum dogmatum diſquiſitio, & approbatio magna ex parte Auguſtini authoritate nitatur, non parum intererit ſententiam Sanctiſſimi Patris, ſi fieri poteſt, pro Conceptione immaculata Virginis almæ perſpectam & dilucidatam habere, ne forſan Catholica Eccleſia à diffinitione tanti myſterij retardetur, quòd vulgo credatur Auguſtinus alicubi extitiſſe contrarius. Sed, vt ad rem veniamus, nemo eſt qui ambigat, variè de mente Auguſtini, Theologos modernos ſenſiſſe; quibuſdam placuit aliter omnino ſcripſiſſe, quàm velint Conceptionis immaculatæ aſſertores, quibuſdam verò, aſſertoribus ſubſcripſiſſe: nec deſunt, qui neutrũ haberi ex eius ſcriptis doceant. Mouentur priores quatuor præſertim Auguſtini principiis, quæ ab ipſo ſæpe inculcantur; videlicet, Primò quòd à contractione & infectione originalis peccati ſolùm excipit Chriſtum,

ſtum,tum aliis locis,tum lib.5. contra Iulianum Pelagianum c.9. vbi ait: *Nullus eſt hominum præter Chriſtum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Secundò quòd originale peccatum traduci doceat & propagari in poſteros per carnis concupiſcentiam, id quod fuſiſſimè probat ſex libris contra Iulianum Pelagianum editis, & lib. 10. de Geneſi ad litteram,& lib. de Nuptiis, & concupiſcent. Et tamen conſtanter docet, Virginem Deigenitricem conceptam fuiſſe per eandem,qua cæteri,carnis concupiſcentiam;atque idcirco Chriſtum Dominum ſine peccato conceptum,eo quòd ſine ea concupiſcentia genitus ſit. lib.5. contra Iul. cap.9. *Et hinc apparet illam concupiſcentiam,per quam Chriſtus concipi noluit, feciſſe in genere humano propaginem mali; quia Mariæ corpus,quamuis inde venerit,tamen eam non traiecit in corpus,quod non inde concepit.* Idem repetit li.10.de Geneſi ad litt.c.18. Tertiò quòd Mariam mortuam dixerit propter peccatum,vt expreſſit Concione 2. in Pſal.34. in expoſitione illius verſiculi, *Ego autē cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio.* Quartò tandē quòd carnem Virginis carnem appellet peccati, præſertim lib.2. de baptiſ. paruu. cap. 24. vbi ait, *Nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati.* August.

Aſſertores verò immaculatæ Conceptionis duo pro ſe adducunt teſtimonia Auguſtini; alterum iam olim celebre ex c.36. libri de Natura & gratia, *Cùm de peccatis agitur nullam de Beata Virgine haberi volo quæſtionem*, &c. alterum ex lib. 5. contra Iulianum Pelagianum c. 9. aliàs

cap. 15. quo docet, eum qui actualibus omnino peccatis caruerit, originali primùm caruiſſe; cùm verò aliàs Auguſtini doctrinis conſtet Virginem nullum actuale peccatum commiſiſſe, inde inferri videtur neceſſariò, in eius ſententia, peccatum originale nullatenus contraxiſſe. Qui neutrum conſtare apud Auguſtinum contendunt, conantur ſatisfacere vtriuſque factionis teſtimoniis, quod an fecerint ex infrà dicendis patebit.

Sed quibus potiùs aſſentiendum? Omnino aſſertoribus immaculatæ Conceptionis, non tamen omnia eorum aſſerta æquali certitudine gaudent. Ego pro totius negotij illuſtratione tres gradus certitudinis diuerſos inuenio, totidẽ propoſitionibus applicandos. Primò, quòd ſi Auguſtinus nunc temporis viueret, diſertis verbis prædicaret præſeruationem Virginis ab originali peccato; & feſtum cum tota Eccleſia in Conceptionis gratiam celebraret: & hoc quidem tam certum eſſe & manifeſtum, vt in dubium verti non poſſit. Secundò, quòd nunquam docuit Beatam Virginem contraxiſſe in vtero matris ſuæ peccatum originale, nec in eius ſcriptis, vel leuiter contineri: & hoc tam certum eſſe, vt manifeſtè conuinci queat, quæ in contrarium adducuntur non habere vim. Tertiò denique, quòd ipſam quoque præſeruationem diſertè docuit; id verò non eſſe tam manifeſtum, vt euidenter demonſtrari poſſit; eſſe tamen multo probabilius. Tria hæc aſſerta ſuo ordine à nobis enodanda ſunt.

§. 2.

§. 2. *Auguſtini doctrinis conſtare, quòd ſi nūc viueret feſtum in gratiam immaculatæ Conceptionis celebraret.*

ILlud igitur in primis præter omnium dubitationem eſto, ſanctiſſimum Antiſtitem feſtum Conceptionis, ſi nunc in viuis eſſet, celebraturum fore, & pro immaculata ſubſcripturum. Sanè huius veritatis perſuaſionem ipſe vniuerſalis Eccleſiæ vſus, & Apoſtolicæ ſedis inſtitutio ſatis ſupérque faceret, quamuis alia S. Doctoris ſcripta deeſſent, quibus idem confirmaretur; nuſquam enim à conſuetudinibus Romanæ Eccleſiæ diſceſſiſſe comperies, ſed ſemper eas veneratum & amplexum fuiſſe. Quòd ſi præſeruationem non haberi ex Scriptura ſacra contendis, & eapropter Eccleſiam nihil adhuc determinaſſe; occurrit ipſe lib. 1. contra Creſconium Grammaticum cap. vltimo; *Quamuis huius rei certum de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum, etiam in hac re, à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat authoritas: vt quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat.* Facturum quidem Auguſtinum quod aliis faciendum in re graui docet, piaculū eſſet non credere; docuit verò, vbi Scripturarum manifeſta teſtimonia præſtò non ſunt, ſtan- August.

dum omnino vniuerſæ Eccleſiæ placito; neque verò in dubium verti licet, id quod Romanæ placet, vniuerſæ placere dici. Placuiſſe verò Romanæ, & vbique terrarum fieri Conceptionis Virginis feſtum, nemo non videt: imò & ab vniuerſali Tridentino Concilio approbari, & haberi ſolemne. Ergóne Auguſtinus à proprio, & Eccleſiæ placito reſiliret?

Accedit (quod magnopere notandum eſt hac in re) D. Auguſtinũ cum de Sanctorum diſſerit feſtiuitatibus, conceptis plerumque docere verbis, ideo natiuitates ipſorum non eſſe ſolemnes, quia peccato originali tunc temporis infecti erant. Audi ipſum in ſerm. 95. de Sanctis, qui eſt de Sancto Stephano, in hæc verba loquentẽ; *Natalẽ Domini heſterna die celebrauimus, ſerui hodie celebramus: ſed natalem Domini celebrauimus, quo dignatus eſt naſci, natalem ſerui celebramus, quo coronatus eſt. Natalem Domini celebrauimus, quo factus eſt ſimilis nobis; celebramus ſerui natalem, quo factus eſt proximus Chriſto: ſicut enim Chriſtus naſcendo Stephano, ita Chriſto Stephanus moriendo coniunctus eſt.* Nunc ſuppoſita vtriuſque natalis diuerſitate, quæſtionem mouet, cur in Chriſto vterque ſolemnis & celebris eſt; ſanctorum autem Martyrum natalis, ille duntaxat quo in cælo naſcuntur, eſt feſtiuus, non verò quo in mundo luce ſolis frui incipiunt. & reſpondet, *Sed Domini noſtri Ieſu Chriſti ideo Natiuitatis, & Paſſionis diem gemina deuotionis obſequio frequentat Eccleſia, quoniam vtrumque medicina eſt: nam &* [illegible] *natus*

[illegible]

Auguſt.

natus eſt, vt renaſceremur; mortuus eſt, vt in perpetuũ viueremus. Martyres autem ad mala certamina naſcendo venerunt trahentes originale peccatum: moriendo autem ad bona certamina tranſierunt, finientes omne peccatum, &c. Igitur Doctore Auguſtino, Martyrum natiuitates feſtiuis gaudiis ab Eccleſia non venerãtur, quia videlicet *ad mala certamina, trahentes originale peccatũ, naſcendo venerũt*. Quod de Martyribus communiter dixerat, poſtmodũ in ſerm. 113. de S. Cypriano Carthaginenſi Epiſcopo, & Martyre iterum ſcribit; cùm enim Vniuerſa Eccleſia feſtum glorioſæ mortis eius celebraret, cur natiuitatem quoque feſtiuam non habeat, perquirit. *Quid eſt hoc fratres?* (ait ille) *quando natus ſit ignoramus, & quia hodie paſſus eſt, natalem eius hodie celebramus. Sed illum diem non celebraremus, etiãſi noſſemus: illo enim die traxit originale peccatũ, iſto autẽ die vicit omne peccatũ; illo die ex faſtidioſæ matris vtero iſtã proceſſit in lucẽ, quæ oculos carnis illecebrat; iſto autẽ die ex occultiſſimo naturæ ſinu illã deceſſit in lucem, quæ viſum mentis feliciter, & beatè illuſtrat.* Ex hac igitur manifeſta Auguſtini de Sanctorum feſtis doctrina, euidenter deducitur intentum noſtrum, nullum enim feſtum celebratur de die quo traxit quis peccatum originale; quare eo ipſo, quòd ab Eccleſia celebretur, aſſerit Auguſtinus ſanctum illum eo die non traxiſſe originale peccatum; atqui vniuerſalis, & Apoſtolica Ecleſia per totum orbem diffuſa, Conceptionis B. Virginis feſtum agit diem; fateretur

retur ergo Auguſtinus, ſi feſtum videret, S. Deiparam nullatenus eo die traxiſſe originale peccatum, nec de illa vllatenus diceret, quòd *eo die ad mala certamina venit trahens originale peccatum*, nec quòd *illum diem Conceptionis etiam ſi noſſemus non celebraremus, illo enim die traxit originale peccatum*: quandoquidem videret feſtum Conceptionis vniuerſaliter celebrari, & quod de natali S. Cypriani paulo inferiùs ſcripſit, doceret quoque de die Conceptionis ſanctiſſimæ Virginis, *Vnde nos celebraremus natilitia eius, niſi eſſet & pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorũ?* diceret, inquam, vnde nos celebraremus Conceptionem eius, niſi eſſet & pretioſa in conſpectu Domini Conceptio Virginis? Hæc igitur pars tam clara per ſe eſt, & manifeſta, vt ſola propoſitione indigeat, & de ea, Auguſtini verbis (lib. 1. de peccat. merit. & remiſ. c. 39.) dicere poſſimus; *Valeat aliquid ad ſeipſam perſuadendam ipſa euidentia; nam nuſquam ſic non inuenio quid dicam, quàm vbi res de qua dicitur manifeſtior eſt, quàm omne quod dicitur.*

§. 3. *Nuſquam Auguſtinum Conceptioni immaculatæ contrarium extitiſſe.*

PRobauimus in ſuperiori §. beatiſſimum Patrem, ſi viueret nunc temporis, aſſertoribus immaculatæ Conceptionis Virginis proculdubio ſubſcripturum: quod ſanè quidquid forſan aliàs, æuo illo ſuo dixiſſet, & myſterio contradi-
xiſſet,

xiſſet,per ſe ſatis ſufficeret,ne modò contrarius putaretur, & in aduerſam partem adduceretur. Sed verò prorſus à ratione deſtituta eſt illorum exiſtimatio, qui contendunt, D. Auguſtinum alicubi oppoſitum docuiſſe: teſtimonium enim pro ea parte expreſſum nullum hactenus inuentum eſt; imò nec inueniri poterit, vniuerſa namque S. Doctoris ſcripta eius rei gratia euoluta ſunt, & nullum repertum eſt. Quæ autem in contrarium obiiciuntur, nullam habere vim oſtendemus nunc, eo ordine, quo ad quatuor redacta capita in §.1. à nobis propoſita ſunt. Hoc ſi ſemel monſtrauerimus, liquidum omnimodis erit, nuſquam Auguſtinum præſeruationem Virginis à peccato originali impugnaſſe, ſeu negaſſe. Diſcutiamus, ſi placet, ſingula.

Primum caput illas vniuerſales continet loquutiones, quibus definit Auguſtinus, vno excepto Chriſto Domino, cæteros omnes quotquot ab Adamo per humanam generationem deſcendunt, trahere peccatum originale. Cæterùm ſub hac vniuerſalitate Virginem includi in doctrina Auguſtini certum eſſe non poteſt. Similes namque vniuerſales propoſitiones formare ſolet de natiuitatibus hominum in originali peccato, & de commiſſione actualium peccatorum, & tamen aliàs in eius doctrina conſtans eſt Virginem ab eis excipiendam. Sanè lib. 1. de peccat. merit. & remiſ. c.29. aſſerit de Chriſto Domino, *Solus ſine peccato natus eſt*; & Auguſt. lib. 2. c. 35. *Solus vnus eſt, qui ſine peccato natus eſt in ſimilitudine carnis peccati.* De peccatis verò

actua

actualibus ſubdit, *Solus ſine peccato vixit inter aliena peccata.* Et lib. de perfectione iuſtitiæ cap. 11. *Aliud eſt eſſe ſine peccato, quod de ſolo in hac vita Vnigenito dictũ eſt; aliud ſine querela, quod de multis iuſtis etiam in hac vita dici potuit.* Nec mirum, cùm alij quoque Doctores ſancti eodem modo loquantur, vt Cyrillus, qui lib. 16. in Leuiticum, *Solus* (ait) *Ieſus eſt, qui nunquam inuenitur extra ſancta; ſolus qui peccatum non fecit.* Et Ambroſius, cuius illud dictum eſt; *Solus per omnia ex natis de fœmina ſanctus, Dominus Ieſus Chriſtus.* Et illud Leonis Magni, *Sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* Qua etiam phraſi & vniuerſalitate circa peccata actualia vtitur Gregorius lib. 11. Mor. circa finem, & lib. 18. c. 27. ad illa verba, *Non adæquabitur ei aurũ de Æthiopia.* Ipſéque Auguſtinus toto lib. 2. de peccat. merit. & remiſ. id ſolum ex profeſſo ſtabilire contendit, vno Chriſto excepto, cæteros omnes orare poſſe & debere, *Dimitte nobis debita noſtra.* Sicut igitur ea vniuerſalitate non obſtante in his propoſitionibus ſemper Virgo B. excepta ab Auguſtino intelligitur, ſic ſimiliter in aliis poſſe excipi dubium non eſt. Cùm verò ea excepta adhuc illarum doctrina vera ſit, nullatenus ſolo illarum vigore conſtare poterit, Auguſtinum ſiniſtrè de præſeruatione Virginis à peccato originali ſenſiſſe: quod ſolum in hoc §. contendimus. Habemus huius Doctrinæ luculentiſſimum exemplum in Regina Eſther, cui de morte trepidanti à Rege dictum eſt, *Ego ſum frater*

Cyrillus.

Ambroſ.

Leo Magnus.

Gregor.

Auguſt.

tuus,

tuus, noli metuere; non morieris; non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt. Poſſet ſanè quis dubitare, quomodo non etiam pro Eſther, ſi pro omnibus lex mortis conſtituta eſt? Nónne Eſther eſt vna de omnibus? & ſi ipſa excipitur à Rege, *Non enim pro te*, quare non dicit, ſed pro cæteris conſtituta eſt? ex hoc enim ipſa mortem pertimeſcebat, quòd pro omnibus in vniuerſum lex mortis eſſet conſtituta; nunc autem ea excepta adhuc manet vniuerſalis, *non pro te, ſed pro omnibus conſtituta eſt.* Cæterùm id Regia Maieſtas expoſcebat, vt non eſſet vna de omnibus, ſed à lege ſoluta, ſicut Rex, beneficio tamen Regis; ſic enim rationis æquitate dictante, humanæ quoque leges decreuerunt; vti in iure ciuili legimus ff. de legibus l. Princeps, ſub his verbis; *Princeps legibus ſubditus non eſt; Auguſta verò licèt ſit ſubdita, Princeps tamen eadem priuilegia illi concedit, quæ ipſe habet.* Et ſi Auguſtini in hoc deſideratur doctrina, habemus præclarum teſtimonium in lib. de ſancta Virginitate cap. 28. vbi propoſitiones iſtas vniuerſales ſic explicat, vt tacitè excipiatur B. Dei genitrix in expoſitione ipſarum, quamquam de ea non faciant mentionem. Quod enim in Conciliis Africano & Mileuitano definitum fuerat, fideles omnes indigere beneficio remiſſionis peccatorum, & veraciter Deo dicere poſſe, *Dimitte nobis debita noſtra*, ita exponit, vt omnes omnino homines in vniuerſum

com

comprehendat, videlicet ab ſpiritualibus vſque ad carnales, ab Apoſtolis vſque ad vltimos pænitẽtes. En verba Auguſtini, *Omnes omnino Chriſtianos, ab ſpiritualibus vſque ad carnales, ab Apoſtolis vſque ad vltimos pœnitentes, tanquam à ſummis cælorum, vſque ad terminos eorum, docuit orare*, (nimirum Chriſtus Dominus) *& in ipſa oratione dicere admonuit*; nimirum: *Et dimitte nobis debita noſtra.* Si igitur latitudo ipſius vniuerſalitatis, quæ à ſummis cælorum, vſque ad terminos eorum complectitur, non ſe extendit ad ſuperius aliquid quàm Apoſtoli ſint, neceſſum eſt, vt in ea Virgo Deipara non comprehendatur, quæ longo interuallo Apoſtolos ſuperexcedit. Eodem prorſus pacto exponi poterunt vniuerſales propoſitiones, quæ de contractione peccati originalis loquuntur, vt intelligantur in eis omnes omnino homines includi à ſummis cælorum vſque ad terminos eorum, videlicet ab Apoſtolis vſque ad vltimos pœnitẽtes: & ita in omni proprietate, lex mortis non pro Regina cæli, ſed pro omnibus lata ſit. Poterit etiam hoc loco applicari illa Tichonij regula (inter ſuas 4.) quam ipſe vocat de genere & ſpecie, id eſt, de toto, & parte, laudata ab Auguſtino lib. 3. de Doctrina Chriſtiana c. 34. & quam ipſe explicat epiſtola 59. ad Paulinum, inquiens, *Morem Scripturæ eſſe, ita loqui de parte tanquam de toto. Sicut Corinthios in primis epiſtolæ ſuæ partibus ita laudat Apoſtolus, tanquam omnes tales ſint, cùm eſſent quidam eorum laudabiles.* (nimirum illis verbis 1. Corinth. 1. v. 4. *Gratias ago Deo meo, quòd in omnibus diuites facti*

Auguſt.

Tichonius.

Auguſt.

facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia, ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia.) & poſtea in omnibus epiſtolæ ipſius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles eſſent propter quoſdam qui tales erant. videlicet cùm ait, cap. 1. *Non ſint in vobis ſchiſmata; ſignificatum eſt enim mihi de vobis fratres mei, quia contentiones ſunt inter vos.* Et cap. 5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter Gentes. Et vos inflati eſtis.* Et cap. 6. *Omnino delictum eſt in vobis quòd iudicia habetis inter vos.* Subdit verò Auguſtinus; *Iſtam diuinarum Scripturarum conſuetudinem per omne corpus litterarum eius creberrimè ſparſam, quiſquis diligenter aduertit, multa diſſoluit, quæ inter ſe videntur eſſe contraria.* Iuxta hanc Tichonij, & Auguſtini doctrinam exponi poterit vniuerſalis noſtra propoſitio, vt loquatur de vniuerſalitate ſpeciei, non verò generis; hoc eſt, quòd exigat omnes omnino homines in ea comprehendi, ſed patiatur aliquam exceptionem.

Nec efficax eſt quod in ſecundo teſtimoniorum aduerſantium capite aſſumebatur, ad inferendum D. Auguſtinum contra aſſertores immaculatæ Conceptionis tuliſſe iudicium; nimirum quòd aſſeueret B. Virginem per carnalem concupiſcentiam, ſicut cæteros homines, propagatam, & aliàs ſtatuat, quotquot mediante ea concupiſcentia concipiuntur, trahere originale peccatum. Nó, inquam, efficax id eſt, quia Conceptio in concupiſcentia, & libidine non habet tam neceſſariam connexionē cum contractione peccati, quòd à Deo impediri nequeat peccati

contractio poſt peractam conceptionem libidinoſæ concupiſcentiæ. Quid enim prohibet, vt tráſacto libidinis actu, Deus præſeruet animam à peccato, creando eam in gratia ſua? Negas forſan hoc in Auguſtini doctrina conſtare; præſtò tamen habeo teſtimonium, quo id luculenter edoceat; nimirum in epiſt. 157. vbi iuxta doctrinam illam tunc temporis non damnatam, quæ aſſerit animas hominum non per creationem, ſed ex traduce fieri, affirmat; quòd ſi peccatum originale à prima anima peccatrice transfunderetur in cæteras animas per earum propagationem ex illa prima, non inde ſequeretur animam Chriſti, quanuis ex prima illa anima peccatrice propagari admitteretur, trahere peccatum originale, quia poſſet ſuam ex prima anima propagatam, trahere ſine peccato. Audi Auguſtinum; *Si autem peccato primæ animæ peccatricis ideo cætera tenentur obnoxiæ, quia ex illa ſunt propagatæ; profectò illa quam ſibi vnigenitus coaptauit, aut peccatum inde nõ traxit, aut omnino inde non tracta eſt. Neque enim non potuit animam ſibi trahere ſine peccato, qui ſoluit noſtra peccata.* Ex hoc autem ſic licet argumentari. Eodẽ pacto philoſophandum eſſet de traductionis peccati neceſſitate, ſi diceretur, ideo omnes animas teneri obnoxias, quòd à prima anima peccatrice propagarentur; atque ſi dicatur, ideo teneri omnes homines obnoxios, quia per carnis cõcupiſcentiam propagantur à primo peccatore: ſiue enim dicatur animas inſici in ipſa ſeminali propagatione, dato quòd non crearentur à Deo, ſed de potentia materiæ

Auguſt.

teriæ

teriæ educerentur;quod tamen falſum eſt; ſiue quòd inquinantur ex eo, quòd corpori per ſeminalem concupiſcentiam propagato vniuntur;contractio peccati vtrobique æquè neceſſaria eſſet. Atqui ea neceſſitate data, adhuc docet Auguſtinus potuiſſe Deum animam Chriſti ab inquinamento peccati originalis præſeruare: eodem igitur pacto poſſet animam Deiparæ liberam ab omni creare peccato.

Quod in tertio deinde teſtimoniorum capite affertur, *Mariam mortuam eſſe propter peccatum*, maiores vires nō habet; magna enim pars aſſerentium immaculatam Conceptionem,id etiam ſine præiudicio ſuæ aſſertionis affirmat; cùm enim debitum proprij peccati originalis incurrerit, ex vi illius morti addicta fuit, nã tametſi ab ipſa labe peccati fuerit præſeruata, à morte tamen illi debita præſeruata non eſt.Sed quanta id polleat certitudine, videlicet fuiſſe mortem inflictam Virgini in pœnam peccati, cuius incurrerat in Conceptione debitum,nō eſt huius loci diſcutere; exiſtimo tamen probabilius, mortem non habuiſſe in Virgine veram rationem pœnæ, neque tanquam veram pœnam illi irrogatam fuiſſe;ſed aduenìſſe ei ex conditione naturæ humanæ incorruptionis dono, propter Adæ peccatum, deſtitutæ: qua de re doctiſſimus noſter F. Lucas VVadinghus Ordinis Seraphici, & ſacræ Theologiæ inſignis profeſſor, ſingulare edit opuſculum, quàm citiſſimè dandum in lucem, cuius in omnibus Lucas VVadinghus.

 iudicio;

iudicio, & cenſuræ ſubſcribo. Noſtrum autem diximus, quem ſtudiorum & animorum parilitas non ſolùm amicum, ſed & noſtrum fecit, tametſi in cæteris præterquam in amore longo nos ſuperet interuallo. Fauet verò ſuæ ſententiæ, & noſtro inſtituto vera lectio Auguſtini in Concione 2. ſuper Pſal. 34. non enim vt vulgò profertur habet, *Maria mortua eſt propter peccatum*, ſed *propter peccatum Adæ*, Nimirum apertè innuens, non ſuo peccato, ſed Adæ, mortem illi inflictam. Et congruit maximè hæc interpretatio Auguſtini inſtituto, quod fuit omnes diuerſæ mortis cauſas, & origines in vnum compendium recolligere; *Etenim* (ait) *vt celeriùs dicam, Adam mortuus propter peccatum; Maria ex Adam mortua propter peccatum Adæ, & caro Domini ex Maria mortua eſt propter delenda peccata.* Quaſi manifeſtiùs dicat; Adã ſuo merito mortuus eſt, Maria non ſuo, ſed ipſius Adæ, cuius merito tota natura immortalitate ſpoliata eſt: & tandem Chriſtus ſponte ſua, nõ quaſi Adæ hæredes, ſed oblatus eſt quia ipſe voluit. Quo videas lector, non ſolùm nobis nihil officere præſens teſtimonium Auguſtini, ſed & proficere; quid enim aliud eſt, Virginem mortuam dicere propter peccatum Adæ, quàm affirmare peccatum originale non habuiſſe, cuius merito ipſi fuerit mors inflicta.

August.

Demum quod quarto loco obiiciebatur, Auguſtinum lib. 2. de baptiſmo paruu. cap. 24. carnem Virginis, carnem vocaſſe peccati, nihil ad rem, quia in ipſius Auguſtini Doctrina, eſſe carnem

nem peccati non eſt idem quod peccato infe-ctam eſſe, ſed idem quod conceptam eſſe per carnalem concupiſcentiam; prius enim quàm anima carni vniatur in generatione, aſſerit eſſe carnem peccati,& idcirco animam à Deo creatã peccato infici,quia vnitur carni peccati; non aliter atque oleum purum vitiatur,quia immittitur vaſi vitiato ac fœtenti. Hoc certè expreſsè Auguſt. aſſerit lib.2.de peccat.mer.c.10.& c.36.& lib.5. contra Iul.c.3.& lib.1. de anima, & eius origine. c.7. 9. 11. 13. & 19. & lib.2. c.9. 13. & 15. & ſæpe alibi. Sit exemplum illud c. 36. libri 2. de peccat. merit. *De anima verò, vtrùm & ipſa eodem modo propagata*, (id eſt,educta à materia per carnalem concupiſcentiam ſicut corpus) *reatu, qui ei dimittatur, obſtricta ſit, an etiam non propagata, eo ipſo quo carni peccati aggrauanda miſcetur, magna quæſtio eſt.* In lib. 5. contra Iulianum Pelagianum adducit exemplum de vaſe fœtido, liquorem vitiante; *Aut vtrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero, tanquam in vitiato vaſe corrumpitur.* Intellexiſſe verò nomine peccati carnis, non aliud quàm peccati fomitem, ipſa incapacitas veri peccati in carne ante animæ vnionem ſatis conuincit; vnde in libris de anima & eius origine, quam aliàs vocauerat carnem peccati, iam nuncupat carnem peccatricem; *Non enim quærimus* (ait lib.1. cap.11.) *vnde animæ damnari meruerint poſt carnis conſortium peccatricis,ſed quærimus, vnde animæ damnari meruerint ad ſubeundum carnis conſortium peccatricis,nullum peccatum habentes ante carnis conſortium*

peccatricis. Nimirum peccatrix caro vocatur, quia in peccatum inclinat. In ipſo etiam, de quo agimus, teſtimonio, manifeſtè ſatis Auguſtinus diſtinxit inter habere peccatum, & eſſe carnem peccati, ne quis putet vtrumque in idem recidere: nam ait, *Solus ergo ille, etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum habuit vnquam, nec ſumpſit carnem peccati*, vbi diſiunctio illa *nec*, diuerſitatem denotat. Quare cùm addit, *Quamuis, de materna carne peccati*, eo ipſo quòd *carnem peccati* diſtinxerat ab *habere peccatum*, liquidò conſtat, nequaquam in Virgine peccatum poſuiſſe: vtpote quæ non dicitur habere peccatum, ſed carnem peccati. Poſſet etiam reſponderi in editionibus correctiſſimis operum Auguſtini, Louanienſi, & Pariſienſi non haberi verba illa, *Quamuis de materna carne peccati*; ſed alia longè diuerſa, videlicet, *quamuis de natura carnis peccati*; quibus de B. Virgine mentio non eſt. Sed quidquid de lectione ſit, ſatis de ſenſu Auguſtini conſtat ex ſuperiùs dictis; & ex eo quod immediatè ſubdit, carnem illam in Conceptione Dominica mundatam fuiſſe, merito fidei Virginis: Quo tempore piaculum eſſet ſuſpicari de Auguſtini pietate, peccatũ verum in carne Virginis poſuiſſe. Ait enim, *Quod enim carnis inde ſuſcepit, id profectò, aut ſuſcipiendo mundauit, aut ſuſcipiendum mundauit: ideo Virginem Matrem non lege carnis peccati, id eſt, non concupiſcentiæ carnalis motu concipientem, ſed pia fide ſanctum germen in ſe fieri promerentem, quam elegerat creauit, de qua crearetur*

retur elegit. Qua de re multa in Anſelmo vindicato diximus.

§. 4. *Subſcripſiſſe Auguſtinum aſſertoribus immaculatæ Conceptionis in cap. 36. libri de Natura & gratia.*

HActenus à nobis probatum eſt nunquam, vel leuiter Auguſtinum præſeruationi Virginis à peccato originali contrarium fuiſſe; nunc verò monſtrandum eſt, non ſemel in eius fauorem ſubſcripſiſſe: atque iure optimo in eum ſenſum applauſu celebri adduci ſolita duo illa teſtimonia, ex lib. de natura & grat. cap. 36. & lib. 5. contra Iulianum cap. 9. ſeu 15. de quibus ſuo ordine in præſentiarum agendum nobis eſt. Verba illius cap. 36. hæc ſunt: *Excepta itaque ſancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem; inde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Hac ergo Virgine excepta*, &c. Quo loci cùm Auguſtinus duas cum Pelagio quæſtiones de peccato diſcuſſerit, alteram de originali, quod abſolutè Pelagius negabat, aſſerens pueros nullo crimine implicitos, & pœnæ obnoxios generari; alteram de actualibus, quæ in vniuerſum abſque ſpeciali Dei gratia Pelagius dogmatizabat, naturæ viribus vnumquemque euitare poſſe; & hoc loco Auguſtinus vniuerſali loquutione aſſerat,

nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem de Virgine, ab vtroque peccatorum genere eam excepiſſe conſtat. Quomodo enim verè diceret, *nullam prorſus habere volo quæſtionem*, ſi aliquam, imò principaliſſimam, de peccato originali habere vellet? Sanè ne quis aliquam inde exciperet, non contentus dixiſſe, *nullam volo quæſtionem*, addidiſſe videtur, *prorſus*, quaſi diceret: Cuiuſcunque generis ſit peccatum, de quo agitur, ab omnibus prorſus excipi Virginem non dubito; atque idcirco nullatenus in quæſtionem id verti patiar.

Sed verò contendunt nonnulli hoc loci Auguſtinum nullatenus de peccato originali loquutum, ſed de ſolis actualibus: id quod ex inſtituto ipſius & verbis præcedentibus & ſubſequentibus conuinci putant. Quod attinet ad inſtitutum, certum omnino videtur, Auguſtinum toto eo libro de natura & gratia contendiſſe, illud Pelagiani nequiſſimum impugnare dogma: quo aſſerebat, homines iuſtos nullo vnquam actuali peccato inquinatos fuiſſe, & poſſe quemuis nudis naturæ viribus adiutum, ſine vlla gratiæ indigentia, omnia actualia peccata vitare. *Legi & vidi* Auguſt. *hominem* (ait Auguſtinus cap. 1) *zelo ardentiſſimo accenſum, aduersùs eos, qui cùm in ſuis peccatis humanam voluntatem debeant accuſare, naturam potiùs accuſantes hominum, per illam ſe excuſare conantur.* Quibus verbis conſtare aiunt, loqui Pelagium in libro illo, quem Auguſtinus nunc impugnat, de peccatis, in quibus homines

homines humanam voluntatẽ accuſare debent; quæ proculdubio ſunt actualia. Adducunt & illud cap. 2. *Ac per hoc natura humani generis, ex illius vnius prauaricatoris carne procreata, ſi poteſt ſibi ſufficere ad implendam legem, perficiendámque iuſtitiam, de præmio debet eſſe ſecura.* Vbi certum eſt de actualibus diſputare cum hæretico. In ipſo etiam capite 36. quo de B. Virgine fit exceptio, ſic ait; *Deinde commemorat eos, qui non modò non peccaſſe, verùm etiam iuſtè vixiſſe referantur, Abel, Enoch, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Ieſum Nauê, Phinëem, Samuel, Natham, Heliam, Heliſæum, Michæam, Daniel, Ananiam, Azariam, Miſaël, Ezechiel, Mardochæum, Simeon, Ioſeph, cui deſponſata erat Virgo Maria, Ioannem. Adiungit etiam fœminas, Debboram, Annam Samuelis matrem, Iudith, Heſther, alteram Annam filiam Phanuel, Eliſabeth; ipſam etiam Domini ac Saluatoris noſtri matrem, quam dicit, ſine peccato confiteri neceſſe eſſe pietati.* Reſpondet verò Auguſtinus eos, & eas, vna excepta Virgine Maria, peccaſſe. *Hac ergo Virgine excepta* (ait) *ſi omnes illos ſanctos & ſanctas, cùm hic viuerent, congregare poſſemus, & interrogare, vtrùm eſſent ſine peccato, vna voce clamaſſent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Excipit igitur Virginem ab hoc teſtimonio Ioannis Apoſtoli, quo tamen certum eſt apud Auguſtinum de ſolis peccatis actualibus agi; vt ex commentariis eius epiſtolæ liquet tractatu 1. Quinimò cap. 62. libri de perfectione iuſtitiæ, & ſerm. 29. de ver-

 bis

bis Apoſtoli notat, rectè Apoſtolum non dixiſſe de præterito, *Si dixerimus, quia peccatum non habuimus*, ſed de præſenti, *non habemus*, vt denotaret, quòd ſine peccato propria volũtate commiſſo, nemo ſit. Et lib. 4. ad Bonifacium c. 10. laudat S. Martyrem Cyprianum, quòd in libro teſtimoniorum ad Quirinum, doceat illis teſtimoniis Iob, & Dauid, *neminem eſſe ſine ſorde, nec infantem vnius diei*; Et, *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum*; probari peccatum originale; teſtimonio autem illo Ioannis, *ſi dixerimus*, &c. actualia.

Cæterùm nihil horum aſſertioni noſtræ obſtare, certum cum aliis Doctoribus exiſtimo; quorum ea mens eſt, vt eo loci Virginem ſanctã etiam ab originali peccato exceperit. Neque verò quis æſtimet eiuſmodi Auguſtini interpretationem, nouum eſſe recentiorum authorum commentum. Si enim hęc controuerſia de mente Auguſtini in exceptione præſenti, ex maiori antiquitate interpretantium definiri debet, voti compotes euadimus; habemus ſiquidem authorem ante quadringentos annos, Auguſtinum nobiſcum interpretantem, cùm tamẽ interpretatio ſua moderna omnino ſit, nec habeat authorem centum annorum terminum excedentem. Si verò de interpretis authoritate agatur, ipſi quidem ſeipſos proferent, nos verò S. Bernardum, aut (ſi negent ſermones ſuper *Salue Regina*, eſſe Bernardi, quod tamen alibi probatum reliquimus) tanti nominis & vetuſtatis authorem, quòd Bernardus ipſe creditus ſit: & eius nomi

nomine in antiquiſſimis MS. codicibus opus illud præſcribatur. In ſermone igitur 4. ſic legimus; *Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus ſignificat* (Virginem alloquitur) *innocentiã tuam. Innocens fuiſti ab originalibus & actualibus peccatis; nemo ita præter te. Vnde authoritas Auguſtini, cùm de peccatis agitur, nullam de B. Virgine volumus fieri mentionem. Ex eo enim maiorem credimus ei collatam virtutem, ad vincendum ex omni parte peccatum, quòd concipere, & parere meruit eũ, qui nullum habuit peccatum. Ex omni (inquit) parte; hoc eſt, ex parte originalis, & ex parte actualis peccati.* Proferant nunc aduerſarij tantæ antiquitatis & authoritatis interpretem Auguſtini; ſed cùm id nequeant efficere, nouas interpretationes, noua cenſeamus commenta, & in antiquis perſiſtamus ſemitis, quas calcarunt patres noſtri.

Caret etiã omni veritatis fulcimento, quòd aſſeritur, Auguſtinũ cum Pelagio, eo libro de natura & gratia ſolũ de actualibus peccatis egiſſe: quæſtio etenim de inſufficiẽtia humanæ naturæ, adiutorio gratiæ deſtitutæ, ad vitandũ omnia peccata actualia, tantã habet connexionem cum quæſtione de peccato originali, quòd omnino nequeant abinuicem ſeparari; eo quòd naturæ impotentia ex origine vitiata deſcendat. Cuius rei inſignem nobis offert inſtantiam ipſemet Auguſtinus in libris de peccat. merit. & remiſ. aliàs de baptiſmo paruulorum. Cùm enim in primo libro egiſſet de peccato originali, in 2. de actualibus diſputationem iniens, inquit, *In*

Maria, cæteri omnes dicere potuerunt, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Rurſus (cap.37.) cùm vidiſſet Pelagius poſſe aliquos ſibi obiicere, *Dicent forſitan, nunquid omnium potuit Scriptura commemorare peccata? Hoc, inquit, rectè poteſt dici de his, quorum neque bonorum, neque malorum Scriptura ſit memor: de illis verò, quorum iuſtitia meminit, & peccatorum ſine dubio meminiſſet, ſi qua eos peccaſſe ſenſiſſet.* Hoc deridet Auguſtinus, ea vſus inſtantia, quòd diuina Scriptura meminit fidei ac pietatis illorum, qui Chriſto Domino ſolemni pompa Hieroſolymas intranti, obuiauere, clamantes, *Oſanna Filio Dauid*, &c. & tamen nullius illorum peccati meminit, *Audeat ergo dicere iſte, ſi poteſt,* (ait Auguſtinus) *neminem fuiſſe in tanta illa multitudine qui vllum haberet omnino peccatum.* Subiicit Pelagius, *Eſto aliis temporibus turba numeroſitate omnium diſſimulauerit peccata contexere, in ipſo ſtatim mundi primordio, vbi non niſi quatuor homines erant, quid dicimus? Cur non omnium voluerit delicta commemorare? Peccauit Eua, Scriptura hoc prodidit; Adam quoque deliquit, eadem Scriptura non tacuit; ſed & Caim peccaſſe, ipſa aquè Scriptura teſtata eſt; quòd ſi & Abel peccaſſet, & hoc ſine dubio Scriptura dixiſſet: ſed non dixit; ergo nec ille peccauit, quin etiam iuſtum oſtendit. Credamus igitur quod legimus, & quod non legimus nefas credamus adſtruere.* Reſpondet Auguſtinus in cap.38. *Parum attendit quod paulo ante ipſe dixerat, iam exorta multitudine generis humani, turba numeroſitate potuiſſe Scripturam diſſimulare, omnium peccata*

conte

contexere. Hoc enim ſi ſatis attendiſſet, videret etiam in vno homine turbam, & multitudinem peccatorum leuium, vel non potuiſſe, vel ſi etiam potuit, non debuiſſe conſcribi. Vnde ad obiectionem de Abele factam à Pelagio reſpondet; *Si Abel quanuis meritò iuſtus appellatus eſt, paulo immoderatiùs aliquãdo riſit, vel animo remiſſiore iocatus eſt, vel vidit aliquid ad concupiſcendum*, &c. *An fortè iſta peccata non ſunt?* Sed quoniam Pelagius dixerat, non eſſe credendum quod non legimus in Scripturis, idcirco in ca.39. ait Auguſt. *Magna planè ſententia concluſit hunc locum, cùm ait: Credamus igitur quod legimus, & quod nõ legimus nefas credamus adſtruere.* Conſentit cũ eo Sanctus Doctor, & ſubdit, *O vtinã non dicat aliud, quàm in illius litteris legit; verùm contra id quod legit, nihil velit adſtruere: fideliter, & obediẽter audiret quod ſcriptũ eſt: Per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt: & non infirmaret tanti Medici gratiam, dum fateri non vult, naturam hominis eſſe vitiatam.* Subinfert cap.40. neceſſariam eſſe Chriſti Domini gratiam ad delendum maculam iſtam, quæ à primo in omnes homines pertranſiit. *Sicut enim* (ait) *finis legis, ita etiam natura humana vitioſa, Saluator Chriſtus eſt.* Hinc iam manifeſtè deducimus non ſolùm in libro de natura & gratia, ſed etiam in quæſtione, quam cum Pelagio mouit Auguſtinus eo cap.36. ita de peccatis actualibus egiſſe, vt ſimul egerit de originali; nam agit de peccato Abel, & aliorum quos refert ibi; probât verò Auguſtinus

Abel

Abel peccaſſe venialiter ſæpiſſimè; & ſi de peccato quæritur, quod ſit in Scripturis ſcriptum; peccaſſe etiam Abel peccatò originali,nam ſcriptum eſt, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, &c. in quo omnes peccauerunt.* Conſtat autem voluiſſe,ac cenſuiſſe Auguſtinum B.Virginem fuiſſe exemptam ab eis peccatis,à quibus Abel & alij inibi recenſiti exempti nō fuerunt, Scriptura etiam id atteſtante; cenſuit ergo, & voluit fuiſſe exemptam tum à peccatis actualibus etiam quæ venialia vocant, qualia Abel commiſit,paulo immoderatiùs aliquando ridendo, vel animi remiſſione iocatus, tum quoque ab originali,de quo ſcriptum eſt, *Per vnum hominem*,&c.

Id etiam liquet ex cap. 1. eiuſdem libri, vbi adducitur teſtimonium illud Pauli, *omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*, quod certum eſt ad originale etiam extendi, nam pueros etiam egere gloria Dei quis negabit? Negabit tamen Pelagius; qui vt debilitaret Apoſtoli teſtimonium, & non poſſet probari originale peccatum, particulam illam *omnes*, ita docuit exponendam eſſe, tam in hoc, quàm in illo teſtimonio, *in quo omnes peccauerunt*, vt pro maiori parte hominum verificetur. Id verò non in alio libro ſcripſit, quàm in eo, quem Auguſtinus impugnat libro de natura & gratia;quo videas Pelagiū quoque eo opere peccatum etiam originale negaſſe, & Auguſtinum in hoc vtrumque defendiſſe. Audi verba ipſius in cap.41. *Quod autem* (Pelagius)

ſibi

Auguſt. *ſibi oppoſuit, ab eis dici, contra quos loquitur,* (ſcilicet à Catholicis:) *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei; ponit illud teſtimonium, vt probet,*
Rom.3. *cùm dicitur, omnes, non ſemper omnes omnino nullo prætermiſſo, intelligi oportere; Sicut per vnius, in-*
Rom.5. *quit, hominis delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.*

Neque vim aliquam habent quæ in contrarium adducta ſunt, nam vtplurimum probant, iis locis quæſtionem inter Auguſtinum & Pelagium fuiſſe de peccatis actualibus; & ſimul eſſe de originali, imò in illud totam controuerſiam recidere probatum à nobis eſt; & ex ipſis quæ pro ſe afferunt ſatis manifeſtatur; quod enim dicitur cap. 1. *Legi & vidi hominem zelo ardentiſſimo accenſum aduersùs eos, qui naturam accuſantes hominum, per illam ſe excuſare conantur*; quid aliud eſt, niſi iraſci contra aſſertores debilitatæ naturæ per peccatum originale? Et illud cap.2. *Ac per hoc natura humani generis ex illius vnius præuaricatoris carne procreata, ſi poteſt ſibi ſufficere ad implendam legem*; quid aliud, quàm originalem ægritudinem ſonat? Clariſſimè hoc in cap. 19. Auguſtinus ſimul & Pelagius dixerunt.
Pelag. Pelagius quidem, *Primò*, ait, *de eo diſputandum eſt, quòd per peccatum debilitata dicitur, & immutata natura:* Auguſtinus verò, *Iam nunc videte quod*
Auguſt. *ad rem maximè pertinet, quomodo humanam naturam, tanquam omnino ſine vllo vitio ſit, conetur oſtẽdere*: & hoc nihil aliud erat, quàm velle oſtendere non dari peccatum originale, quod vitiet & debili

debilitet naturam. Auguſtinus igitur *hoc maximè ad rem* de peccatis actualibus agere, profitetur, & Pelagius *de hoc in primis eſſe diſputandum:* & nunc vellet aliquis de ſolis actualibus in opere de natura & gratia fuiſſe diſputatum.

Cæterùm quantuncumque nihil horum dixiſſet Auguſtinus, ſed ſola exceptionis verba, adhuc oporteret aſſerere, ipſum ab originali, & actuali ſimul excepiſſe B. Virginem. Eſt enim magnopere notandum non vnam, ſed duas feciſſe exceptiones; alteram cùm dixit, *Excepta itaque ſancta Virgine Maria*, & eandem proſequendo poſt interpoſitam parentheſim, *Hac ergo Virgine excepta, ſi omnes illos Sanctos & Sanctas, cùm hic viuerent, congregare poſſemus*, &c. alteram verò quæ parentheſi clauditur, *De qua propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem.* Et licèt prior de ſolis actualibus ageret, poſterior omnimodis extendenda eſt ad omne genus peccati, de quibus Auguſtinus diſputare ſolebat cum hæreticis. Nam ſi de ſolis actualibus intenderet Virginem eximere, vnam ſolùm excluſiuam faceret, dicens, *Excepta Virgine Maria, de qua habere nolo quæſtionem iſtam; ſi omnes illos Sanctos*, &c. ſufficienter enim per hanc, excepta videbatur. Nunc autem ea non contentus addit vniuerſaliorem clauſulam, *De qua nullam prorſus habere volo quæſtionem*: quare in hoc nihil aliud intendiſſe credendus eſt, niſi ſemel occaſione accepta mentem aperire ſuam, ne deinceps exemplum cuiuſuis quæſtionis peccati adducere

duceretur. Vnde videmus nuſquam ampliùs exceptionem de Virgine feciſſe, etiã cùm de peccatis actualibus loquutus eſt, quia nimirum in quocumque peccatorum genere, à quo Chriſtus Dominus exceptus erat, etiam eius matrẽ propter honorem Domini exceptam ipſe credebat; quòd ſi hoc loco expreſsè illam excepit, id fecit prouocatus à Pelagio, qui multos alios tam exemptos à peccatis omnibus quàm ipſa erat, dogmatizabat. Quod igitur nunc dixit Auguſtinus, *nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem*, idem eſt, ac ſi dixiſſet: Quod ſemel hîc de B. Virgine dico, ſemper & vbique dictum accipiatur à me, nec opus ſit eadem vbique repetere.

Sed quem ſenſum habent illa verba, *Inde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum*? Nunquid in præſeruatione Virginis à peccato originali vicit ipſa peccatum? Ego maiorem Theologorum partem ſequens, exiſtimo B. Virginem in primo ſuæ creationis & formationis momento, non aliter quàm Angeli libero arbitrio præditam, & gratia Dei cooperante diſpoſitam fuiſſe quoquo modo per proprium actum ad iuſtificationem ſuam, eodem momento, ſed poſterius natura, ſuſceptam: & hoc pacto viciſſe dicetur propriiſſimè peccatum originale. Sed quidquid de hoc ſit, eo etiam ſolo quòd eius anima dono prædita gratiæ creata fuerit, viciſſe dicetur originale peccatum materiali quadam reſiſtentia, ſicut muros defendere dicimus

mus ciuitatem, impediendo impetum inimicorum.

Prædictis addo, etiam in ſola illa exceptione, qua B. Virgo excipitur ab vniuerſali illa propoſitione Euangeliſtæ Ioannis, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*, &c. quanuis formaliter excipiatur ab actualibus, neceſſariò quoque & conſequenter excipi ab originali; eo etenim illa vniuerſalis vera eſt, quia omnes illi, quos comprehendit, habuerunt, ſeu habent naturam originali peccato debilitatam; ſi enim peccatum originale non contraxiſſent, non accepiſſent naturam vitiatam, & debilem, ſed integram, & vigoroſam. Quo fit, vt à negatione actualium, ad negationem originalis illatio facta ſit optima, etiam in Doctrina Auguſtini; ſed de hoc iam dicemus.

§. 5. *Idem ſenſiſſe Auguſtinum lib. 5. contra Iulianum Pelagianum.*

INſigniores ſæculi noſtri Theologi, dum de Auguſtini mente in controuerſia de Conceptione Virginis differunt, in ea ſunt ſententia, vt dicant, S. Doctorem expreſſiſſe ſuam pro immaculata Conceptione in lib. 5. contra Iulianum cap. 9. ſeu 15. iuxta recentiores impreſſiones. Ibi enim Pelagianum illum, quem in multis redarguerat falſitatis, in eo laudat, quòd ex teſtimonio illo Apoſtolorum Principis, *Qui peccatum non fecit*, afferat ſatis probari Chriſtum Dominum nullum habuiſſe peccatum; nam qui non fecit, habere non potuit. 1. Petr. 2.

Auguſt. Verba Auguſtini Iulianum alloquentis hæc ſunt. *Illud ſanè magnum, verúmque dixiſti, cùm protuliſſes teſtimonium Apoſtoli Petri, Qui peccatum non fecit; notandum eſſe, quòd iudicauerit Apoſtolus ſufficere ad oſtendendum in Chriſto nullum fuiſſe peccatum, quod dixit, nullum eum feciſſe peccatum; vt doceret, inquis, quia qui non fecit, habere non potuit. Omnino veriſſimum eſt; profectò enim peccatum etiam maior feciſſet, ſi paruulus habuiſſet. Nam propterea nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu, quia nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Sanè habere peccatum latiùs patet, quàm facere peccatum; hoc enim de ſolis actualibus, illud verò etiam dici poteſt de originali, quod quidem habetur, ſed non perpetratur ab eo qui habet illud. Auguſtinus verò hoc loco, conceptis verbis, aſſeuerat, eum qui nullum in adulta ætate fecerit peccatum, nequaquam in infantili habuiſſe peccatum, nimirum originale; quod peccatum infantium eſt; Cùm autem aliàs certum ſit in eiuſdem ſancti Doctrina, B. Virginem Mariam nullum feciſſe peccatum grandioris ætatis acceſſu, præſertim in lib. de natura, & gratia, cap. 36. neceſſariò conceſſiſſe oportet, peccatum etiam non habuiſſe infantilis ætatis exortu, videlicet originale.

Duo ſunt quæ obſtare huic intelligentiæ videantur; alterum eſt, quòd præſupponitur in hac Doctrina connexio aliqua inter carentiam actualium, & carentiam originalis, vt ex vna

poſſit

poſſit inferri alia; at verò non videtur neceſſaria connexio, quandoquidem optimè poteſt intelligi, quòd B. Virgo fuerit præſeruata ab originali labe, & tamen maneret in ea fomes, quo aliqua venialia committeret. Et ſic videtur neceſſariò dicendum, cùm Eccleſia certa ſit de carentia actualium in Virgine, non tamen de carentia originalis; quod fieri non poſſet, ſi inter vtramque carentiam eſſet neceſſaria connexio. Alterum eſt, quòd ex eo teſtimonio Petri non ſolùm infert Auguſtinus, eum qui non fecit actuale, non habuiſſe peccatum originale, ſed etiam quòd habere non potuit, *Vt doceret, inquis, qui non fecit, habere non potuit.* Id verò B. Virgini cõuenire nequit, ſed ſoli Chriſto Domino.

Nihil tamen horum obſtat, quo minus præſens Auguſtini teſtimonium ſummopere faueat myſterio immaculatæ Conceptionis. Quod enim primò obiicitur leuiſſimum eſt, nos enim non diſquirimus nunc veritatem eius teſtimonij, vtrùm videlicet, verum dicat Auguſtinus, an falſum; ſed vtrùm id dicat, de quo tamẽ dubium eſſe non poteſt, cùm expreſsè dicat, *Profectò peccatum etiam maior feciſſet, ſi paruulus habuiſſet.* Et illud, *Nam propterea nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu, quia nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Vbi ſic argumentatur etiam in Chriſto; Si paruulus habuiſſet, maior feciſſet peccatum: at peccatum non fecit, teſte Apoſtolo Petro; ergo peccatum paruulus exiſtens non habuit. Probat

verò conditionalem illam aſſumptam, à ſigno & effectu, videlicet, Quia nullus hominum eſt, qui maior exiſtens peccatum non fecerit, & paruulus peccatum non habuerit; in quibus certum eſt peccata actualia ab originali ortum duxiſſe. Propterea ſiquidem nullus eſt qui peccatum non fecerit, quia nullus eſt qui originale non habuerit. Minimè igitur dubium eſſe poteſt, de ſenſu & Doctore, quod tamen nobis abundè ſufficit, qui ſolùm intendimus probare, Auguſtinum pro Conceptione immaculata ſtetiſſe in hoc loco.

Si verò de connexione requiratur, in quo illa conſiſtat, reſpondendum eſt, inter vtrorumque peccatorũ carentiam, licèt nõ ſit connexio phyſicæ (vt ſic dicam) infallibilitatis, quæ omnimodam neceſſitatem ex vna ad alteram inducat; eſſe tamen connexionem neceſſariam ex quadam condecentia; nimirum quia valde decens eſt, vt in qua tanta puritas à Deo exigitur, quòd nec leuiſſimo veniali inquinaretur, eius quoque ſit puritas & liberatio à maiori inquinamento, quale eſt illud quod cum originali peccato incurritur. Rurſus: Cui tantum donum conceſſum eſt, vt ab originali peccato præſeruaretur, conſequenter ei concedi oportuit, aut carentia, aut ligatio fomitis peccati; vbi verò fomes non fuit, vel ita ligatus, quòd eſſet, ac ſi non eſſet, peccata actualia deficere certum eſt. Aliàs qui originale peccatum habuit, actualia quoque habiturum, cùm ad adultam ætatem peruenerit, dubium eſſe non poteſt. Nimirum

rum habebit aliam legem in membris ſuis, & captiuum ducet illum ad legem peccati. Neque miretur quis connexionem hanc in Auguſtino, nam eamdem docuiſſe conſtat D. Ambroſium in Apologia Dauid cap. 11. & ab eo accepit ipſam Auguſtinus in lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum. Verba Ambroſij ſunt; *Dignum etenim fuit, vt qui non erat habiturus corpore peccatum prolapſionis*, (id eſt, actuale, quo quis labitur ſua ſponte in crimen) *nullum ſentiret generationis naturale contagium.* hoc eſt, originale peccatum. Quo loci notandum magnopere eſt, quòd ex eo quòd Chriſtus non erat peccatum actuale facturus, infert quòd non ſenſit generationis naturale contagium; & hanc connexionem in condignitate quadam & condecentia conſtituit, non verò in omnimoda & ineuitabili neceſſitate: nam ait, *dignum fuit*, non autem, *non potuit aliter fieri*, vel quid ſimile. Quod verò obiicitur de vſu Eccleſiæ, liberantis certò & infallibiliter Virginem à peccato actuali, non verò ab originali, ſolùm probat, non eſſe ineuitabilem phyſicè neceſſitatem inter vtriuſque carentiam peccati, non tamen quòd de mente Auguſtini, & Ambroſij non fuerit condecentiæ cuiuſdam connexio. Ambr.

Non maiorem habet vim quod vltimo loco obiicitur, videlicet, Auguſtinum ex carētia peccatorum actualium nō deduxiſſe vtcumque carentiam originalis, ſed etiam impotentiam ad illud habendum, *Quia qui non fecit, habere non potuit*: non, inquam, obeſt, quia verbum illud

non potuit, non eſt intelligendum de impotentia, & omnimoda ſeu cogente neceſſitate, ſed de infallibilitate; quod enim infallibiliter eueniet, dici ſolet, non poſſe aliter fieri; ſiue infallibile ſit ex condecentia quadam, ſiue alio efficaciori vinculo. Ita verò intelligendum eſſe, ſatis conuincitur ex ſuperiori relatione ſententiæ Iuliani, vbi non inquit Auguſtinus ex carentia peccatorum actualium intuliſſe impotentiam originalis, ſed tantùm carentiam ipſius. *Illud ſanè magnum verúmque dixiſti, cùm poſuiſſes teſtimonium Apoſtoli dicentis: Qui peccatum non fecit, notandum eſſe, quòd indicauerit Apoſtolus ſufficere ad oſtendendum in Chriſto nullum fuiſſe peccatum, quòd dixit; nullum eum peccatum feciſſe.* Non ait, ſufficere ad oſtendendum in Chriſto non potuiſſe habere peccatum, &c. ſed ad oſtendendum, in eo nullum fuiſſe peccatum. Nec mirum, quia Auguſtinus aſſerit, id omnino veriſſimum eſſe, & verum magnúmque Iulianum dixiſſe; quòd ſi dixiſſet, ex carentia actualium inferri impotentiam originalis, falſum protuliſſet, nam ipſo Auguſtino docente, Virgo beatiſſima caruit actualibus, ſed non habuit impotentiam ad originale. At dicent forſan aliqui, cùm dicitur de Chriſto peccatum *non fecit*, ſenſum eſſe, non feciſſe peccatum virtute propria; ex eo verò optimè inferri, non potuiſſe habere originale; quorum neutrum Virgini conuenire poteſt. Sed hoc gratis dicitur: nam neque D. Petrus id voluit aſſerere, ſed factum ſolum deſcripſit,

de iure verò & potentia non meminit, *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*: neque Iuliano, quem Auguſtinus in eo laudat, talis propriè virtus in mentem venit, & facile erat illis, ſi id vellent dicere, aliquid addere, quo mētem ſuam explicarent. Verba igitur illa apud ipſos, ſicut apud Apoſtolū, abſtrahunt à carentia peccatorum virtute propria ratione ſubiecti, vel ſuppoſiti, non tamen cogunt nos, vt eo ſenſu ſemper accipiantur. Igitur tot breuiter dicam, ex carentia actualium peccatorum rectè infertur originalis carentia, & quòd is qui nullum vel leuiſſimum peccatum commiſerit in adulta ætate, non potuit habere originale, in eo ſenſu, vt idem ſit, non potuit, atque omnino cariturus erat eo; ſeu, aliter fieri non potuit, quia non decebat, vt quem Deus tam purum & mundum eſſe voluit, vt vel minima venialis peccati ſorde maculari non permiſerit, maxima omnium ſorde, & immunditia, id eſt, æterna morte digna macularetur, quod peccati originalis proprium eſt. Habemus igitur Auguſtinum immaculatæ Conceptionis aſſertorem, hoc etiam libro, & capite; obitérque liquidò conſtitit non ſolùm ſanctos Patres, ſed hæreticos quoque in hanc conſpirare ſententiam, nimirum Pelagium, & Iulianum: Auguſtinum verò, qui in eos ſemper acerrimè conſurgit, in hoc articulo illis libentiſſimè conſentire, eóſque laudare magnopere, vt indicant verba illa Iulianum alloquentis, *Illud ſanè magnum, verúmque dixiſti*; & illa *omnino veriſſimum eſt*. Quod verò Pelagius dixerat, *ipſam*

Domini & Saluatoris noſtri Matrem ſine peccato confiteri neceſſe eſſe pietati; ſic approbat, vt dicat, *Excepta itaque Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorſus cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem.* Quare ne quis obſecro deinceps velit Magnum Auguſtinum in defenſionem aduerſæ partis producere, quem non ſolùm non contraire immaculatæ Conceptionis aſſertoribus comprobauimus, ſed etiam ipſorum ſententiæ ſubſcribere.

ILDE

ILDEFONSVS
VINDICATVS

A VVLGARI SENTENTIA, quæ illi in controuerſia de immaculata Conceptione Beatæ Virginis imputari ſolet.

§. 1. *Tametſi diuerſimodè de S. Ildefonſi mente iudicatum ſit: nihil tamen vſpiam contra Immaculatam ſcripſiſſe, certum eſſe.*

NON minus anceps, & dubia ſententia S. Ildefonſi, quàm Auguſtini in eadem controuerſia multis viſa eſt; nonnullis contendentibus ipſum immaculatæ Conceptioni contradixiſſe, aliis verò illam manifeſtiſſimis verbis pronuntiaſſe. Et illi quidem, & iſti ex eodem promptuario, libro, inquam, eiuſdem S. Archiepiſcopi *contra eos qui diſputant de perpetua virginitate S. Mariæ, & de eius parturitione*, teſtimonia ſibi deſumunt. Priores illud affe-

runt

Digitized by Google

runt quod ait, Mariam fuiſſe carnem peccati: *At verò B. Maria* (inquit ille) *licèt ipſa de carne peccati ſit nata, ac procreata, ipſáque quamuis caro peccati fuerit; non tunc iam quando ex ſuperueniente Spiritus ſancti gratia ab Angelo, præ omnibus mulieribus, benedictà vocatur.* Quid aliud (aiunt) eſt eſſe natam & procreatam de carne peccati, quàm in peccato conceptam? Nam à contrario ſenſu idcirco de Chriſto Domino negant procreatum eſſe de carne peccati, ne aliquod peccati contagium in eius conceptione irrepſiſſe credatur. Inſuper adiungere poſſunt prædictæ aliam ſententiam, quæ in eodem opuſculo reperitur, nimirum: *Quidquid corruptio humana in corruptis generat viſceribus, incorruptum eſſe non poteſt; ideo corrupta natura filij de concubitu iniquitatis cõcepti, & in delictis de matris vtero cum doloribus proiecti, nõ aliud eſſe queunt, quàm iræ filij.* Atqui B. Virgo ex concubitu iniquitatis concepta fuit, (hoc enim aliud non eſt, quàm coitu viri genitam eſſe) & cum doloribus matris de vtero proiecta: quî ergo in Ildefonſi ſententia ſuſtineri poterit immaculata Virginis Conceptio?

Qui tamen hanc defendunt, aliis ſe muniunt verbis, quæ in eodem libro reperiuntur manifeſtè ſuam, vt apparet, ſententiam ſtabilire; videlicet, *Nullis quando nata eſt ſubiacuit delictis; nec contraxit in vtero ſanctificata originale peccatum.* Eodem ſpectant & illa; *Conſtat eam ab omni originali peccato immunem fuiſſe, per quam non ſolùm maledictio matris Euæ ſoluta eſt, verùm etiam & benedi-*

nedi

n edictio omnibus condonatur. Et rurſus paulò inferiùs, *Eximiæ pietatis honorem vobis* (affert) *& decus virtutis, Beatiſſimæ Virginis pudicitiam prædicare; incorruptam, & incontaminatam, & ab omni contagione prima originis confiteri alienam.* Hæc quidem alij.

Sed quid nobis de Ildefonſi mente videatur, nunc aperiemus. Illud in primis procul omni dubio cenſeo, nihil vnquam dixiſſe, quod aliquatenus maculam originalem redoleat. Nam quòd Virginem procreatam dixerit de carne peccati, nullatenus in eum ſenſum contorqueri poteſt, qui ei tribuitur, quandoquidem eodem tenore verborum quo de carne peccati procreatam affirmat, aſſerit etiam de carne peccati natam; en eius verba: *At verò B. Maria licèt ipſa de carne peccati ſit nata, & procreata*, &c. atqui in eiuſdem ſententia nata fuit ſancta, & abſque originali peccato; ídque vniuerſam Chriſti Eccleſiam ſentire docet. *Enim verò* (ait) *ſi non beata eſſet, & glorioſa* eius natiuitas, *nequaquam tam feſtiuè celebraretur vbique ab vniuerſis: ſed quia tam ſolenniter colitur, conſtat ex authoritate Eccleſiæ, quòd nullis, quando nata eſt, ſubiacuit delictis.* Minimè igitur, eſſe de peccati carne procreatam, idē eſt atque in peccato conceptam, apud Ildefonſum: ſed aliud longè diuerſum.

Accedit quòd Ildefonſus concedit; aliquo tempore poſt eius natiuitatem fuiſſe carnem peccati, & ſolùm conſtare, quòd Dominicæ Incarnationis momēto nō erat caro peccati, nónne verba eius hæc ſunt: *Licèt ipſa de carne pec-*

cati

cati ſit nata, & procreata, ipſáque quamuis caro peccati fuerit, non tunc iam quando ex præueniente Spiritus ſancti gratia ab Angelo præ omnibus mulieribus benedicta vocatur? quis verò audeat ſanctiſſimo ac doctiſſimo Præſuli adſcribere, Virginem beatiſſimam tanto tempore peccato originali infectam fuiſſe, cùm vt minimum eius Natalem ſine peccato fuiſſe prædicet? Alio igitur ſenſu verba illa ab Ildefonſo accepta fateri cogimur: quo nimirum ſimul compati poſſint in vno, eodémque Virginis Matris ſubiecto, & ſine culpa, ac macula originalis peccati eſſe, & carnem eſſe peccati, atque in peccato natam & procreatam.

Et hoc quidem ſufficientiſſimum eſſet, ne quis poſſet D. Ildefonſum, immaculatæ Conceptioni aduerſarium reputare: tametſi nobis de vero ſenſu illorum verborum non conſtaret, nam vt minimum liquidò conſtat, non poſſe veram in Virgine denotare culpam, vt probatum eſt. Nihil tamen aliud voluiſſe credendus eſt, quàm de D. Auguſtino probauimus §. 3. ſuæ vindicationis, in ſolutione ad teſtimonia 4. loco adducta: nimirum *eſſe carnem peccati*, idem eſſe atque conceptam fuiſſe per carnalem patrum concupiſcentiam, cum debito peccati, quantum ad ipſam carnis concupiſcentiam ſpectat: & cum fomite peccati, quidquid de eius ligatura ſit, quod Ildefonſus nec diſputat, nec affirmat. Huius ſignũ euidens eſt, quòd aſſerit, ſolùm conſtare de extinctione ipſius carnis peccati, ſuperuentionis

Spiri

Spiritus S.tẽpore : *Ipſa quamuis caro peccati fuerit, non tunc iam quando ex praeueniente Spiritus ſancti gratia ab Angelo ſalutatur.* Quod de ſolo fomite verum eſſe ſatis ex dictis liquet. Vide quæſo diſcipulum Magiſtro conſonantem, Ildefonſum Auguſtino; huius enim ille præ cæteris doctrinam ſequutus ex libris à ſe editis manifeſtum eſt.

§. 2. *Perſpicuis Immaculatæ ſubſcripſiſſe in libro contra eos qui diſputant de perpetua Virginitate S. Mariæ & de eius parturitione.*

NEque verò minùs certum eſto, D. Ildefonſum myſterium immaculatę Conceptionis Virginis Matris expreſſiſſe, cùm idipſum perſpicuis verbis toties affirmauerit. Quid clariùs illis, *nec contraxit in vtero ſanctificata originale peccatum?* Sanè quidquid alibi minùs clare dixiſſet, (quod tamẽ nuſquam fecit) hoc teſtimonio purgatum, & illuſtratum redderetur. Sed verò non defuere qui tanta luce cæcutirent, aſſerentes verbum illud *contraxit*, non ſignificare apud Ildefonſum idem ac infici peccato, ſeu incurrere in vtero matris originale cõtagium, ſed pro eodem accipi, ac *ſecum traxit*, vt ſenſus ſit: quãdo nata eſt nõ traxit ſecum originale peccatũ, quia iam erat in vtero ſanctificata. Fulciri autẽ ſenſũ iſtũ ex eo credunt, quòd inde probat S. Ildefõſus Virginẽ Matrem non contraxiſſe originale peccatum, quia eius Natiuitas in vniuerſæ Chriſti Eccleſiæ

Eccleſia ab omnibus velut ſancta celebratur: atque ex ſanctitate natiuitatis (aiunt) nequaquam originalis puritas inferri poteſt, vt de S. Ioanne patet, ſed quòd non traxerit ſecum peccatum originale. Ita Gabriel Vazquez, & qui eum ſequuntur, philoſophantur.

Cæterùm ſine neceſſitate contorquent vim, & proprietatem verbi *contraxit*. Vt minimum apud neminem ſanctorũ Patrum in ea ſignificatione vnquam acceptum oſtendent, quando de peccato ſermo eſt. Et quidem Doctor Theologiæ D. Thomas 3. p. q. 14. a. 1. in principio, quid propriè ſit contrahere definiens, ait; *Illud contrahere dicimur, quod ſimul cum natura ex origine trahimus.* Non ergo peccatum contrahi dicitur ab his qui de vtero matris egrediuntur in ipſa ſua natiuitate, ſed in origine, ſeu conceptu eorum.

D.Tho.

Certè D. Auguſtinus cuius Ildefonſus perpetuus diſcipulus fuit, cùm de his loquitur, qui peccato originali infecti nati ſunt, non vtitur verbo *contraho*, ſed *traho*, vt in ſerm. 95. de ſanctis videre eſt. *Martyres* (inquit) *ad mala certamina naſcendo venerunt trahentes originale peccatum.* Et ſerm. 113. *Illo die traxit originale peccatum:* Die ſcilicet natiuitatis S. Cypriani, non ait, eo die contraxiſſe originale peccatum, ſed traxiſſe; nimirum quoniam ſciebat, peccatum illud non contractum die natiuitatis, ſed completæ generationis, ſeu animationis cum ipſa natura. Quare cùm S. Ildefonſus non ſolùm aſſerat, Virginem non traxiſſe peccatum originale, ſed etiam minimè illud contraxiſſe, conſequens eſt, vt non

Auguſt.

ſolùm

ſolùm faſſus ſit natam ſine originali contagio, ſed etiam ſine eo formatam & conceptam. Id autem ex veritate ſanctitudinis Natiuitatis Mariæ non leuiter ſibi inferri videtur. Nam tametſi in S. Ioanne Baptiſta argumentum non habeat vim, in Beatiſſima tamen Deipara vires maximas habet. ſic enim argumentatur. Ea ratio quę Virginem probat ſine peccato originali natam, probat etiam ſine eodem conceptam; in Baptiſta autem non probat. Etenim idcirco Ioannes creditur in vtero ſanctificatus, quia ſexto menſe à ſua conceptione legitur ad præſentiam Saluatoris Spiritu ſancto repletus in vtero exultaſſe, ex quo non ſolùm ſanctificationem eius, ſed etiam tempus, quo accidit, cognoſcimus; & conſequenter fuiſſe in originali contagio conceptum. At verò Virgo beata non ideo creditur in vtero ſanctificata, quia ſic de ea in Euangelio legimus, ſicut de Ioanne, ſed quia ratio ipſa, vt id fateamur nos cogit: hæc autem ratio puritatem Conceptionis non minus quàm Natiuitatis conuincit. Scis qua vtitur Ildefonſus? *quia per Mariam* (ait) *non ſolùm maledictio matris Euæ ſoluta eſt, verùm etiam & benedictio omnibus condonatur.* Quæ eſt autem maledictio matris Euæ, niſi peccatum originale, quod eius interuentu incurrimus omnes? Et quæ nobis benedictio ei maledictioni oppoſita Virginis interuentu condonatur, niſi peccati remiſſio? Si igitur idcirco ſine maledictione nata creditur, quia per eam maledictio matris Euæ ſoluta eſt, & omnibus benedictio condonatur,

 eadem

eadem prorſus ratione ſine eadem maledictione concepta conuincitur, quandoquidem ſi ſub maledictione concepta fuiſſet,non haberet omnimodam cum ea oppoſitionem, quæ ex Deigenitricis dignitate noſcitur habuiſſe. Rectè igitur ex authoritate Eccleſiæ Natiuitaté Virginis ſanctam profitentis infert Ildefonſus nunquam originale contraxiſſe. Ne quis verò æſtimet me eiuſmodi ratiocinandi formam in fauoré S. Antiſtitis confinxiſſe,dabo ipſiſſima eius verba,quibus totum meũ diſcurſum complexus eſt, in libro contra eos qui diſputant dē perpetua Virginitate S. Mariæ, & eius parturitione. Poſt illa verba, *Nec contraxit in vtero ſanctificata originale peccatum*,paucis interiectis ſubdit; *Nullius igitur Natiuitas celebratur in mundo, niſi Chriſti,& eius* (Virginis) *atque B. Ioannis: Ioannis autem, quia & ipſe in vtero ſanctificatus legitur*, (ſexto videlicet à Conceptione menſe) *ſic & beata Virgo niſi in vtero matris ſanctificata eſſet, minimè eius Natiuitas colenda eſſet.* Iam attentè conſidera quæ ſequuntur. *Nunc autem quia ex authoritate totius Eccleſiæ veneratur, conſtat eam ab omni Originali peccato immunem fuiſſe, per quam non ſolùm maledictio matris Euæ ſoluta eſt, verùm etiam & benedictio omnibus condonatur.* Vide quæſo quam inter Ioannem, & Mariam diuerſitatem conſtituerit, & quo pacto ex authoritate Eccleſiæ Natiuitatem Virginis celebrante, inferat; conſtare eam abi omni originali peccato immunem fuiſſe. Ne quis verò relatiuum *eam*; cùm dicit, *conſtat eam*, &c. ad Natiuitatem referendum

ferendum eſſe putet, & non potiùs ad Virginem, ſubdit, *per quam non ſolùm maledictio matris Euæ ſoluta eſt*, &c. vt manifeſtaret, eam ab omni originali peccato immunem fuiſſe, per quam maledictio Euæ ſoluta eſt, & omnibus benedictio condonatur; nemo verò tam hebes erit, qui non videat per Virginem ſanctam hæc nobis fieri, & non per eius Natiuitatem. Hinc iam (vt ad ſuperiora redeamus) facilè liquet, nequaquam pro eodem intuliſſe Ildefonſum, *quòd nullis quando nata eſt ſubiacuit delictis; nec contraxit in vtero ſanctificata originale peccatum*, ſed, vt ipſa verba ſonant, pro omnino diuerſis; & vtrumque rectè, in principiis S. Doctoris à nobis expoſitis, inferri ex illo; *Enimuerò ſi non beata eſſet, & glorioſa eius Natiuitas, nequaquam tam feſtiua celebraretur vbique ab vniuerſis; ſed quia tam ſolemniter colitur, conſtat ex authoritate Eccleſiæ*, primũ quidem *quòd nullis, quãdo nata eſt, ſubiacuit delictis*; ac deinde, *nec contraxit in vtero ſanctificata originale peccatum*. Quandoquidem non eodẽ ac Ioannes fundamento creditur in vtero ſanctificata, ſed quoniam *per eam non ſolùm maledictio matris Euæ ſoluta eſt, ſed etiam benedictio omnibus condonatur*: quę ratio, vt vidimus, vtrumque æquè conuincit.

Altero quoque vtitur medio in eodem libro, nõ minus ſubtili, & efficaci, vt intentũ conuincat; nimirũ ſupponit quod certũ eſt, & toto illo opere ipſe probat, ſanctiſſimã Deiparã excluſam fuiſſe à maledictione Euæ inflicta, & eius filiab. propter primũ, & originale peccatũ, *Multiplicabo ærũnas tuas, & cõceptus tuos; in dolore paries filios,*

 Geneſ.

Geneſ. 3. nec enim ærumnæ, & conceptus Virgini multiplicati ſunt, nec in dolore filium parturiuit. Ex hoc autem principio infert Ildefonſus, ipſam non contraxiſſe peccatum originale. Sed quo pacto? Subtiliſſimo & efficaci admodũ argumento, quod in hunc modum formari poteſt. Vbi pœna culpæ inflicta non contrahitur, manifeſtè conuincitur culpam non inueniri: atqui Virgo beata non incurrit pœnam Euæ filiabus infligendam pro peccati originalis meritis; minimè igitur culpam incurrit originalis peccati in ſua Conceptione. Hanc vim habent apud Ildefonſum verba illa. *Hinc ergo colligitur, quòd ſuperſtitioſa ſit iſtorum cunctatio, & ſuperflua diſputatio, qui dicunt oſtia ventris & vulua eum* (id eſt, Chriſtum in ſua Natiuitate) *aperuiſſe; & colluuionem ſanguinis, vt cæteros omnes, & ſecundinas ſpurcitias poſt ſe traxiſſe; in quibus omnibus gemitus, & dolor multiplicatur, triſtitia & ærumnæ augentur, & nemo ſine his pariat filium. Sed abſit à cordibus fidelium, vt tale aliquid ſuſpicentur de Maria Virgine, quæ pro maledictione prima originis, benedictionem attulit mundo.* Hinc infert; *Ergo per quam tanta benedictio effloruit, & gratia manauit, non eſt credendum quòd eius puerperium doloribus, & gemitibus more fœminarum ſubiacuit; & quia triſtitiis non ſubiacuit, & ærumnis, libera ab omni maledictionis nodo fuit.* En argumenti huius vires, *Quia triſtitiis non ſubiacuit, & ærumnis, libera ab omni maledictionis nodo fuit.* Quare fuit libera ab omni maledictionis nodo? Sanè, quia triſtitiis nõ ſubiacuit, & ærumnis in

partu

partu ſuo, quibus nimirũ cæteræ Euæ filiæ meritis maledictionis originalis obnoxiæ fuerunt.

Præſens argumentum à poſteriori, & ab effectu conflatum eſt; ſi tamen vis hoc ipſum à priori formatum, audi ipſum Ildefonſum paulo antè ſic loquentem. *Cogitent iſti diſputatores naturarum leges, cogitent & diuinarum rerum virtutem; quia non ex natura rerum diuinæ leges pendent, ſed ex diuinis legibus natura rerum, & leges manare probantur.* Rurſus: *Nam & ipſa lex natura ſub qua nunc mulieres concipiunt, & pariunt (vt ita dicam) verè non eſt lex natura quodammodo, ſed maledictionis, & culpæ. Quoniam niſi Adam & Eua primùm peccaſſent in Paradiſo, nemo deinceps naſceretur in culpa peccati: Maria autem quia benedicta culpam corruptionis non habuit, propterea Chriſtum nõ in dolore, nec ſub corruptione genuit.* Quid rogo manifeſtius pro immaculata Conceptione deſiderari poteſt? Si Adam (inquit) & Eua in paradiſo non peccaſſent, nemo deinceps naſceretur in culpa peccati. Non loquitur ſolùm de pœna, ſed præcipuè de culpa peccati, vt ex verbis liquet. Atqui Maria culpam corruptionis non habuit, quia benedicta fuit; ergo Chriſtum non in dolore, nec ſub corruptione genuit. Nihil certè huic ratiocinationi deeſt, cùm neceſſariò in minori propoſitione ab ea culpa Virginem excludat, in qua omnes (vt in maiori fatetur) naſcuntur, propter parentum primorum peccatum; & nemo naſceretur, ſi Adam, & Eua in paradiſo non peccaſſent; nimirum in peccato originali. In idem recidit

quod paucis interiectis ſubiungit: *Beata Virgo plena gratia nec dolorem ſenſit, nec corruptionem viſcerum pertulit; quia quantum aliena fuit à culpa, in tantũ extranea à maledicto primæ damnationis; & tantũ immunis permanſit à corruptione carnis.* Vnde infert: *Eximiæ pietatis honorem vobis, & decus virtutis* (reputate ô Virgines) *Beatiſſimæ Virginis pudicitiam prædicare; incorruptam, & incontaminatam, & ab omni contagione primæ originis confiteri alienam.* In fine quoque eiuſdem libri in hunc modum exponit Ambroſij verſiculum ex hymno Dominicæ Natiuitatis:

Aluus tumeſcit Virginis,
Clauſtrum pudoris permanet:
Vexilla virtutum micant,
Verſatur in templo Deus.

Ergo in qua clauſtrum pudoris (ait Ildefonſus) *integrum permanſit, nulla diſruptio viſcerum interuenit, nulla vexatio carnis, nulla fœditas diræ conditionis; ei in qua vexilla virtutum micarunt, nullum peccatum primæ originis, vt cruciaretur, viguit.* Et inferiùs: *Nullas adſcribant ſanctiſſimæ Matri contumelias, non gemitus, non dolores, non ærumnas, non vllas viſcerum vexationes, non vllas diræ triſtitiæ corruptiones*; Quare? attende cauſam. *Quia hæc omnia, ſicut ſæpè dictum eſt, in prima origine illata ſunt vindicta, & retributiones iuſtiſſimæ, primæ præuaricationis; à quibus omnibus B. Virgo Maria quantum eſt aliena à culpa, tantum proculdubio libera fuit à doloribus, & à pœna.* Neſcio quid clarius dici potuiſſet in fauorem immaculatæ Conceptionis ipſius: de illa enim culpa neceſ-

ſariò

ſariò agit Doctor ſanctus cùm aſſerit, *Quantum aliena fuit à culpa*, quam primam præuaricationem vocauerat, cui nimirum illatæ ſunt vindictæ & retributiones iuſtiſſimæ, gemitus, ærumnæ, dolores, viſcerum diſruptio, & vexationes, & quantum ab his Virgo beata fuit aliena, tantum etiam aliena fuit à culpa primæ præuaricationis, id eſt, peccati originalis. Adde quod fere in principio opuſculi dixerat: *Quid eſt quòd legem naturæ requirunt in Maria, vbi totum quidquid in ea fuit poſſedit Spiritus ſanctus?* cuius virtute *ſicut ab omni æſtu libidinis libera fuit, ita & ab omni preſſura maledictionis.* Rogo quid poſſedit in ea peccatum, ſi totum, & quidquid in ea fuit, poſſedit Spiritus ſanctus? aut quam aliquando culpam incurrit, qui ab omni preſſura maledictionis, libera fuit. Et loquitur Ildefonſus de maledictione primi & originalis peccati, ne quis ad actualia velit verba contorquere. Eamdem habet vim quòd initio ſermonis de Parturitione, & Purificatione S. Mariæ ait; *Tanto magis libera fuit à corruptione paſſionis, à dolore carnis, à ſordibus ignominiæ; quanto gratia plena, & incorrupta, quaſi Spiritu ſancto Domino dedicata.* Cùm igitur doloribus omnino caruerit in partu, conſequens, vt omnino, ac ſemper Domino fuerit per gratiam ſancti Spiritus dedicata, & in ea incorrupta ſemper extiterit. Neque verò quis æſtimet me primũ omnium D. Ildefonſi mentem attigiſſe, nam multo antè veriſſimè attigit Ioannes Herolt, nuncupatus *Diſcipulus* in ſermone de Conceptione,

& Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, & eis ſubſcripſere qui indicem compoſuerunt rerum & verborum Bibliothecæ veterum Patrum, quos tu quoque lector conſulas.

§. 3. *Idem ex aliis eius operibus haberi.*

NOn ſolùm in prædicto libro contra eos qui diſputant de perpetua Virginitate S. Mariæ, eius immaculatam Conceptionem S. Ildefonſus expreſſit, ſed eam in aliis operibus perpetuò docuit; vt ex his quæ mox dicemus liquidò fiet. Primùm quidem ſerm. 1. de Aſſumptione Virginis exponens quónam pacto dicatur verè Arca fœderis, & teſtamenti, hæc habet verba: *Rectè Arca ſacramentorum Dei Virgo Maria fuit, ſupra quam ſanè Propitiatorium & Cherubin hinc inde obumbrantia figurantur; quia Maria nullum extrinſecùs irrepſit peccati contagium, & intus omnis cuſtodia legis, & manna fuit.* Dixerat priùs, *Venite, quæſo, & videte, quoniam hodie tranſlata eſt Arca teſtamenti Dei ad ſuperos; exteriùs inaurata virtutibus, & fabricata interiùs auro puriſſima maieſtatis, in qua lex teſtamenti Dei, & manna fuit.* Ex quibus conſtat Ildefonſum duo in B. Virgine expendiſſe, quæ ad Arcæ teſtamenti proprietatem ſpectabant; interiùs quidem quòd intra Arcam fuerunt Legis vniuerſæ tabulæ, & auri puriſſimi fabrica; exteriùs verò quòd erat omni ex parte inaurata, & ſuper ipſam Propitiatorium, & Cherubin hinc inde obumbrantia. Ex hoc autem duo infert, nimirum & quòd intus in Virgine omnis

omnis cuſtodia Legis fuit;& quòd exteriùs nullum ei irrepſit peccati cõtagium. Cæterùm cùm omnis legis cuſtodia excludat omnia peccata actualia, quippe cùm non ſit actuale peccatũ niſi dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei, vt Auguſtinus & Thomas definiunt, & propterea cuſtodia legis rectè dicatur intus eſſe, vtpote ex propria & interna volũtate operantis: neceſſum eſt, vt per contagiũ peccati, quod ei extrinſecus irrepſiſſe negat, Deo propitiante, & defendente, excludat à Virgine peccatum originale: hoc enim ſolum extrinſecus irrepſit homini ex alterius voluntate, non ex propria ſua peculiari, cùm per carnalem generationem traducitur; & hoc ſignificauit illis verbis, *Maria nullum extrinſecus irrepſit peccati contagium, & intus omnis cuſtodia legis fuit.* Auguſt. D.Tho.

Addamus aliud præclariſſimum Ildefonſi teſtimonium petitum ex paruo quodam ſermone de natiuitate Virginis, cuius initium eſt, *Audite fratres, & intelligite.* In eo tam purè, & dignè ſentit de Conceptione Virginis, vt aſſerat, abſque parentum eius libidine patratam fuiſſe. Demus illius verba. *Præparauerat Deus ſibi vas, vt per ipſum potuiſſet apparere hominibus; ſcriptum eſt enim: Sapientia ædificauit ſibi domum, vel templum; hoc eſt, Mariam Virginem. Conſideremus in quantum poſſumus, quia nec lingua ſufficit loqui, quod voluntas cupit proferre. Quanta fuit benignitas Dei, vt de tam longinquo inquireret ſibi templum vbi habitaret? quia Maria Virgo non ſic eſt nata, ſicut ſolent pueri, vel puellæ naſci: ſed de Anna ſterili, & de patre iam ſe-*

ne, extra conſuetudinem mulierum, & refrigeſcentem calorem, & ſanguinem iam tepidum in pectore; & omnem amorum libidinis diſceſſum; mundo corde, & corpore ab omni pollutione carnali orta eſt. Sic enim Dominus voluit, vt de tali vaſculo Mater ſua naſceretur. Quod nunc ſcimus, quia per Spiritum ſanctum, illo ordinante, & benigniter præcupiente, præparauit ſibi Matrem, quæ præceſſit omnibus matribus. Talis enim fuit, qualis nec antea viſa eſt, nec habebit ſequentem. Cùm hæc verba exſcriberent in ſua Homiliarum Bibliotheca Laurẽtius Cumelius, & Gerardus Moſanus in margine annotanter adiecerunt; *Natiuitas B. Mariæ non vulgaris fuit, ſed omnis pollutionis expers.* Sub natiuitatis verbo præcipuè intelligitur Conceptio, hæc enim eſt quæ omnis pollutionis expers potuit eſſe, & ſine libidine fieri, non natiuitas. Non diſputo de veritate ſententiæ, quæ præter Ildefonſi, aliorum quoque Theologorum authoritatibus fulcitur, præſertim Galatini lib. 7. de Arcanis Cath. verit. ſed de mente Ildefonſi, quem liquidum eſt ſenſiſſe, atque aſſeruiſſe Virginem puriſſimam ſine libidine, mundo corpore parentum ab omni pollutione conceptam fuiſſe. Sed quid inde? Sanè conſequenter faſſum fuiſſe, eamdem Virginem peccatum originale non contraxiſſe: quandoquidem conſtans ipſius doctrina eſt, ab Auguſtino ſuſcepta, nullatenus abſque libidine traduci poſſe peccatum originale. Habemus eius de hac re in terminis ſententiam in ſermone de Parturitione & Purificatione S. Mariæ, vbi hæc ait: *Deus humanæ naturæ fœcun*

Laurent. Cumelius. Ger. Moſanus.

Galatin.

Auguſt.

ſœcunditatis dona contulit, libidinis verò malum creatura Dei non eſt, ſed pœna peccati. Proinde de munditia nuptiarum nullus homo mundus naſcitur, quia interueniente ſordida libidine iniquitas ſeminatur. Hinc & Beatus Dauid, qui ſe nouerat de legitimo connubio generatum, huius tamen rei conſcius maculam carnalis generationis, non ſine graui gemitu deplorabat, dicens: Ecce in iniquitatibus, &c. Hæc paucis dicta ſunt, vt nouerimus, maculam originalis peccati, non in legitimis nuptiis, ſed in voluptate, & delectatione conſtare libidinis. Cùm igitur in voluptate & delectatione libidinis conſtet originale peccatum, & cum illo perpetuam, & inſeparabilem habeat cõcomitantiam, & ipſo Ildefonſo pariter docente, abſque libidine, & carnalium amorum delectatione Virgo genita ſit, conſequens eſt, vt neceſſariò ſenſiſſe credat, omnimodis abſque originali peccato conceptam fuiſſe. Id etiam ex eo conuincitur, quòd qui tam purè de Virgine ſenſit, vt abſque libidine, & pollutione carnali conceptam docuerit, ne caro eius aliquatenus maculari videretur, multo magis peccatum originale ab ea excluſiſſe neceſſum eſt, vtpote cuius ſorde, & macula pulchritudo animæ ſordeſcat coram Deo, & ei inuiſa reddatur: cùm tamen ſordes corporeæ libidinis, aut pollutionis animæ decorem minimè commaculare queãt. Quando namque Ildefonſus concederet ſanctam Deigenitricem aliquãtiſper diaboli dominio ſubiectam fuiſſe, qui necdum leuem corporis maculam in eius Conceptione paſſus eſt adfuiſſe?

Huc

Huc ſpectat, cùm de Virginis exemptione à diabolica poteſtate agimus, eximia, ac mirabilis quodammodo (vt ita dicam) B. Ildefonſi piè audax aſſertio, quam in ſerm. 5. de Aſſumpt. eiuſdem ſcriptam reliquit; nimirum tantum vniuerſitati dæmonum metum ſua intuliſſe potentia, vt eo die quo in cælum elata fuit, nullus illorum ferire auſus fuerit animas ad ſua ſupplicia damnatorum. Audi quæſo ſancti noſtri verba: *Dicam aliquid plus, ſi audeo: dicam pia temeritate: Totus mundus hodie*(de die loquitur Aſſumptionis)*condigna iubilatione lætatur, & gaudet: tartarus tantummodo vlulat, fremit, & ſubmurmurat, quoniam gaudium, & lætitia huius diei, clauſtris infernalibus incluſis, aliquod remedium, & refrigerium præſtat. Non audent, vt opinor, miniſtri tartarei hodie attingere ſuos captiuos, quos recolunt redemptos illius ſanguine, qui pro mundi ſalute eſt dignatus naſci de Virgine, de cuius Virginis meritis, & glorioſiſſima eius hodierna Aſſumptione*, &c. Qui igitur talia in Virginis laudem dicere auſus fuit, concederétne aliquandiu ipſammet dominatricem mundi, diaboli dominio ſubiacuiſſe per peccatum originale? Credat qui volet, ego enim de noſtro Ildefonſo longè aliter ſentio, nec aliud, quàm ipſe docuit, vti monſtratum à nobis eſt.

Idelfonſus.

Poſſemus itidem argumentum formare de ea doctrina, quam S. Ildefonſus expreſſit in ſerm. 3. de Aſſumpt. inquiens; *Quod per partes datum eſt aliis, tota ſimul venit in eam gratia plenitudo.* Id accepit à D. Hieronymo ſer. de Aſſumpt. tomo

Ildefonſus.

Hieron.

tomo 4. Eucherio Lugdunenſi, ſeu (vt vulgò citatur) Euſebio Emeleno,ſerm. de Annuntiat. Chryſologo ſerm.143. qui eſt 3. de Annunt.& poſtea docuit Bernardus hom.de laudibus Virg. & D. Thomas in Catena aurea:& ipſe Ildefonſus iterum repetit ſerm.6. de Aſſumpt. *Cæteris* (ait) *electis ex parte gratia datur, huic verò Virgini tota ſe infudit plenitudo gratiæ.* Cùm verò Adamo & Euæ primis hominum parentibus,& Angelis omnibus data ſint in gratia vitæ initia & quidquid aliis datum eſt, Virgini non fuerit denegatum, conſequens eſt, vt ea etiam gratia illi donata ſit in ſua Conceptione.Sed quia præfata argumenta ſufficiunt, vim huius qui volet expendat.

§. 4. *Quàm verè ob defenſionem Virginis de S. Ildefonſo dictum ſit*, Enſis in offenſis, erat Abbas Agalienſis? *& quòd inde veritas Immaculatæ Conceptionis elicitur.*

CÆterùm quamquam nihil horum ex ſcriptis S.Ildefonſi haberemus,illud nobis ſufficeret, ipſum modis omnibus tam acerrimum defenſorem honoris S. Deigenitricis toto vitæ ſuæ tempore ſe præbuiſſe,vt propter hanc cauſam vulgo de eo adhuc Abbate, verſum fuerit in prouerbium,*Enſis in offenſis, erat Abbas Agalienſis.* Ita Villegas, Ribadeneyra, Portocarrero, & Petrus Salazar de Mendoza Toletanæ Eccleſiæ

cleſiæ Canonicus in vita S. Ildefonſi, & alij ex recentioribus. Senſus autem prouerbij eſt; in offenſis S. Deiparæ, Ildefonſus Abbas Agalienſis, erat enſis acutus, vniuerſos offenſores eius confodiens, & diſſecans; vtpote cuius enſis ſermo Dei erat, de quo Apoſtolus ad Hebr. 4. ait, *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum.*

Sed inquies: Eſto ita verum, quòd enſis dictus ſit in offenſis B. Virginis Ildefonſus, at id de offenſis magni momenti intelligendum erit; ob eam præſertim defenſionem, quam aduerſus hæreticos negantes eius perpetuam Virginitatẽ, ſuſcepit, ſcriptis eos & diſputationibus publicis debellans, & ab Hiſpania depellens: quam ob rem inſigni planetæ dono ab ipſa ſacratiſſima Deigenitrice publicè honeſtatus fuit. Ex eo verò nihil videtur inferri in fauorem Immaculatæ Conceptionis ipſius, quæ non ab hæreticis depugnatur, ſed à catholicis & doctis viris. Cùm igitur aſſerere quòd maculata fuerit, & infecta in ſua Conceptione, offenſæ rationem non habeat, minimè ab Ildefonſo impugnandam credendum eſt, qui ſolùm erat enſis in offenſis.

Hæc verò quot quantíſque hiſtoricis erroribus ſcateant, nunc videndum, & obiter S. Ildefonſi hiſtoria, hac in parte, illuſtranda à nobis eſt, vtpote in qua variè, multúmque à multis,

(dicam

(dicam ab vniuerſis) qui de eo hactenus ſcripſerunt erratum eſt; & inde non leuis de mente Ildefonſi coniectura habebitur in cauſa Immaculatæ Conceptionis. Et vt hinc ordinatè incipiamus, in illo omnes authores, à Roderico Toletano Archiepiſcopo, & deinceps ſcribentes, decepti ſunt, quod exiſtimauerint, Ildefonſi tempore fuiſſe in Hiſpania hæreticos nonnullos Deiparæ Virginitatem negantes; quod tamen omni veritatis fulcimento deſtituitur. Antiquiores etenim geſtorum Ildefonſi hiſtoriographi Iulianus & Cyxilla Toletani Præſules, à quibus quidquid actorum eius ſcimus, acceptum eſt, nequaquam illorum vel leuiter meminerunt. Iulianus ſolùm dixit; *Scripſit ſanè quamplurimos libros luculentiori ſermone potiſſimos, quos idem in tot partibus diuidendos cenſuit; id eſt, librum Proſopopœiæ imbecillitatis propriæ; libellum de Virginitate S. Mariæ contra tres infideles.* Qui autem aut quando fuerint non prodit. Cyxilla ſolùm aſſeruit, Ildefonſum libellum Virginitatis *more ſynonymo teſtimoniis veteris ac noui Teſtamenti plenum comptè edidiſſe; & digna facundia, ac magnificentia præfatæ Dominæ ſuæ exornaſſe.* De hæreticis verò nec vnum verbum. Primus omnium id ſcripſit, Rodericus Ximenius Toletanus Archiepiſcopus, lib. 2. hiſt. c. 22. ſed qui poſt annos quingentos & quadraginta, & amplius à morte Ildefonſi ſcripſit, neminem antiquorum ſequens. Quare cæteri moderniores eum ſequuti eodem vitio laborare certum eſto.

Iulianus.

Cyxilla.

Rodericus Ximenius.

Impe

Impegit tamen Rodericus (vt apparet) in titulum libri *de perpetua, & illibata Virginitate S. Mariæ contra tres infideles*, ex quo videtur inferri Ildefonſo cum hæreticis ſui temporis negotium fuiſſe ſuper tuenda perpetua virginitate Deigenitricis Mariæ. Et forſan id ſibi velle credidit, quod B. Leocadia coram Rege & populo Toletano in publico conuentu dixerit: *O Ildefonſe, per te viuit Domina mea:* quod de honore Virginitatis ipſius periclitante tunc temporis intelligi oportet; aliàs ſi non periclitabatur, minimè vitam Virgini conſeruaſſe diceretur. Sed & illud adiiciamus quòd Planetæ cæleſtis donum, in præmium datum videtur defenſæ virginitatis; quod communiter credunt authores, & inter alios refert Mariana lib. 6. de rebus Hiſp. c. 10. *Noſtra Virginitatis defenſa* (verba ſunt Deiparæ Ildefonſum alloquentis) *præmium erit ex cæleſti theſauro munus allatum.*

Mariana.

Nihil tamen horum Rodericum, & ſequaces iuuat: primùm, quoniam ſi S. Ildefonſi tempore fuiſſent aliqui hæretici Virginitatem Deigenitricis negantes, hauddubium in aliquo Toletanorum Concilio damnati eſſent; nam Priſcillianiſtarum & Gnoſticorum in Hiſpania pullulantium damnatio extat in primo Concilio Toletano. Temporibus verò Ildefonſi tria Toleti celebrata ſunt, videlicet Octauum era 691. ſeu an. Chr. 653. Nonum era 693. ſeu anno Chr. 655. quibus ipſe S. Ildefonſus ſubſcripſit, Abbas adhuc exiſtens monaſterij S. Iulliani Agalienſis ſub S. P. Benedicti regula; & Decimum cele

celebratum era 694. id eſt, ann. D. 656. in quo agente (vt creditur) eodem ſancto Abbate feſtum Expectationis Virginei partus inſtitutum eſt in diem 18. Decembris. De Vndecimo non eſt quid dicamus, cùm mortuo iam Ildefonſo, ſub Quirico eius ſucceſſore coactum fuerit, era 713. ſiue A. C. 668. Ildefonſus namque obierat anno ſuperiore 667. die 23. Ianuarij. In aliquo igitur horũ Conciliorum hæreſis illa damnari oporteret, vtpote Toleti præcipuè vigensi nihilque aliud Ildefonſus vrgentiùs procuraret; nam negorium tanti ponderis omitti in iis Conciliis nequaquam deberet; cùm cætera quæ ibi tractata ſunt, minoris multo momenti ſint. Quin potiùs ob id ſolum, ſi alia deeſſent, cogi oporteret Concilium, ne tam pernicioſa hæreſis diutiùs in Hiſpania ſubſiſteret. In nullo tamen illorum, vel leuiter de ea actum eſt. Quis igitur dicat talem hæreſim temporibus illorum Conciliorum & Ildefonſi viguiſſe?

Hoc vt notius reddatur, rogemus quot fuerunt eiuſmodi hæretici, quibus cum S. Ildefonſus diſputauit? quæ eorum nomina? qualíſve in in ſpecie hæreſis? Multi authorum duas, nonnulli tres fuiſſe contendunt; illud quidem Rodericus Ximenius, eiúſque aſſeclæ, hoc poſterius Michaël Carranza in vita S. Ildefonſi, & alij ſequuntur. Certè liber ipſe Ildefonſi, vel in ipſo capite, contra tres infideles, ſcriptus legitur. Græcè ἀντρειῶν ἀπίςων. Sed ad nomina veniamus. Mira inter authores in illis nominandis varietas. Rodericus Heluidium, &

Ximenius. Carranza. Rodericus.

A a Pelagium

Pelagium nominat; lib. 2. cap. 22. *Cùm Heluidius* (inquit) *& Pelagius à Gallis venientes pleraſque partes Hiſpaniæ infeciſſent, Virginitatem B. Virginis infamantes, B. Ildefonſus illis occurrens, ſacrarum Scripturarum teſtimoniis, & lingua melliflua, & gratia in labiis ſuis diffuſa, eorum dogma confutauit, & ab Hiſpaniis confuſos abegit.*

Vaſæus. Diſplicuit Vaſæo (in Chron. ad ann.662.) quòd Rodericus alterum ex illis vocaret Heluidium, hoc enim erat nomen veteris monſtri, à D. Hieronymo olim debellati, contra Virginitatem partus loquentis. Vnde pro Heluidio reſtituit *Theudium*, cum Pelagio. Cæterùm eamdem ob rem mutare deberet Pelagij nomen, vtpote vetuſtiſſimi cuiuſdam hæretici; quíque nihil vnquam contra perpetuam Virginitatem Deiparæ loquutus fuit. Mariana pro Theudio legit Helladium, cum Pelagio. Vide quæſo quanta ſit authorum diſcrepantia; nec mirum, cùm in tenebris vera ſemita lucis reperiri non poſſit. De hæreſi in ſpeciali nihil aliud aſſerunt, quàm eos hæreticos in Virginitatem Deiparæ irruiſſe; qua autem via, quibúſve mediis, aut argumentis vſi fuerint, non promunt.

Mariana.

Iam verò quid hac in re certum ſit, à nobis determinandum eſt, nec aliunde quàm ab ipſius Ildefonſi ſcriptis: quæ ſi attentè legerentur, nemo cum hæreticis ſui temporis dixiſſet ſanctum Archipræſulem quæſtionem habuiſſe. Nihil igitur in medium afferemus,

quod

quod Ildephonſi non ſit, & ipſi ſoli fides habenda erit. Ex deuotione, quæ erga Beatiſſimam Virginem in eius corde flagrabat, adhuc iuuenis librum compoſuit de perpetua, & illibata Virginitate S. Mariæ: in quo tres antiquos errores contra totidem Virginitatis Marianæ articulos in vnum collectos exagitauit, ac illorum primos authores gladio diuini verbi confodit, ac deuicit. Triformis ſiquidem in Deigenitrice Virginitas à Catholica Eccleſia prædicatur, ſeu triplex articulus Virginitatis; nimirum ante partum, in partu, & poſt partum; primum ſemper impugnarunt Iudæi, qui dicunt Chriſtum ex Ioſeph ſemine eſſe natum; *vt putabatur* (ait Lucas c. 3.) *filius Ioſeph.* Secundum euertere conatus fuit Iouinianus affirmans Virginem Deiparam non aliter, atque mulieres cæteras filium ſuum peperiſſe, ſigillo nimirum virginei corporis, cum doloribus, vexationibus, ac diſruptionibus viſcerum fracto, ac deperdito. In tertium inſurrexit Heluidius, docens, poſt Dominicum in Virginitate partum, Deiparam ex coniuge nouos ſuſcepiſſe filios, quos videlicet Euangelium fratres Domini vocat. Hos tres errores, libro ſpecialiter edito, nullus hactenus ſimul in honorẽ Virginis impugnauerat; quod tamen dignum Ildefonſo onus viſum eſt, vt ad illius laudem ſuſciperetur ab ipſo. Quare in primo illius capite circa medium, contra Iouinianum agens, ait, *Audi tu, percipe tu Iouiniane. Nolo pudorem noſtræ Virginis corruptum partu cauſeris. Nolo Virginitatem per*

exitum naſcentis ſcindas, &c. negabat etenim Virginem perſeueraſſe in partu. Rurſus ſequenti c.2. in Heluidium inuehitur, qui negabat Virginitatem perpetuam poſt partum. *Audi ergo tu Heluidi* (ait:) *Quare Virginis noſtræ principia corruptionis fine coarctas? quamobrem initia pudoris, exitu auctæ procreationis infamas? Quid proloqui audes, muſſitare contendis, ſuſurrare proponis, garrire præſumis; vt Virginalis vteri illa habitatio Dei, poſt generationem Dei, poſt natiuitatem Domini, de carneo viro, peritura carnis ſoboles germinaret?* &c. Demum à cap.3. vſque ad 11. incluſiuè Hebræos inſequitur, qui virginitatem in Conceptione, ante partum negant; incipiens his: *Quid dicis, ô Iudæe? Dicito quare non credis in genere tuo puerperam Virginem? Quare non credis, ſine viro Virginem concepiſſe?* &c. In hos præcipuè inuehitur in hoc libro, vtpote qui nouem integra illius capita, in eorum depugnatione conſumit. Duodecimum & vltimum per orationem ad Deum, & eius Genitricem continet. Vide quæſo, liber iſte quàm non ſit ſcriptus ab Ildefonſo contra modernos hæreticos, ſed contra omnes, qui quoquo modo olim Virginitatem perpetuam Deigenitricis labefactare conati ſunt. Vide quoque quàm longe à vero abfuerint, qui ex libro iſto nomina, & numerum, atque hæreſim deduxerunt, in quæ Ildefonſus inuectus eſt, & antiquiſſimos hæreſiarchas in nouos, Prothei metamorphoſibus transformarunt. nam hinc cuncta fuiſſe deducta neceſſariò fatendum eſt, cùm nullus antiquorum eorumdem meminerit.

nerit. Certè Heluidij nomen id conuincit, & Pelagium pro Iouiniano ſubſtitutum fuiſſe non ambigo: ſicut & ex cerebro loqui nonnullos qui idcirco ſic dicunt vocitatos, quòd antiquorum errores ſuſcitauerint. Vnde hoc?

Addo ex dogmatibus ab Ildefonſo debellatis idem haberi. Quis enim credat, tres ex Gallia Gothica homines deſcendiſſe (ita vocabatur tractus Narbonenſis,& Toloſanus,Gothis olim Hiſpaniæ Regibus ſubiectus)& vnumquemque ſuum errorem diuerſum ab aliis diſſeminaſſe: negaſséque alterum virginitatem ante partum, alterum in partu, & tertium demùm poſt partum? Totidem ſiquidem errores,& infideles Ildefonſus inſectatur? Credat qui volet; nam id inter aniles fabulas reiiciendum nullus non videt. Sed verò vnde Neoterici acceperunt,hæreticos illos è Gallia Gothica aduenifſe in Hiſpaniam? Nam Rodericus, qui primùm omnium eorum meminit, ex Gallia ſolùm aduentaſſe ſcribit; quòd verò ſpecialiter ex Gothica, non autem ex aliis Galliæ Prouinciis, ex ſuo addiderunt; ſicut etiam Rodericus ex ſuo ſcripſit fuiſſe Gallos.

Accedit quòd S. Ildefonſus librum hunc ſcripſit multò ante Archiepiſcopatum, cùm adhuc iuuenis eſſet; quotquot autem exiſtimant in recentes hæreticos ſcriptum, credunt ab Ildefonſo iam ætate prouecto, & in Archiepiſcopalem ſedem euecto, elaboratum; quòd talem ac tantum decuiſſet, tantam ac talem hæreſim impugnare. Id verò longè aliter accidiſſe

 ipſe

Ildef. ipſe Ildefonſus in prologo ipſius libri de illibata, & perpetua Virginitate docet, cuius initium eſt, *Deus, lumen verum*. vbi ſic inter alia inquit: *Non ergo me Prælatus contemnat, non mihi æqualis deroget, non mihi ſubditus inſultet; non me quis de domo laceſſet, non de foro detrectet, non religioſus ſuſurret, non popularis immurmuret, non adoleſcentem ſenex abnuat, non coæuum iuuenis aſpernetur; non minorem natu ætas ſera derideat, non doctus exprobret, non ignarus abiiciat, non potentior repellat, manet enim veritas in æternum*, &c. Sed quid inde? Habebat certè tunc temporis Ildefonſus Prælatum ſuperiorem, nimirum Toletanum Archiepiſcopum S. Eugenium eius nominis II. idcirco ait, *Non me Prælatus contemnat*: Habebat ſubditos, vtpote Abbas Agalienſis exiſtens, ideo dicit, *Non mihi ſubditus inſultet*; habebat æquales, nimirum Abbates alios quos Conciliis ſubſcripſiſſe cum ipſo legimus. *Non mihi* (ait) *æqualis deroget*. Timebat ſæculares Zoilos, *non me quis de foro detrectet*; *non popularis immurmuret*; timebat & religioſorum detractiones, *non me quis de domo laceſſet, non religioſus ſuſurret*. Adoleſcentiæ autem, & iuuentutis metas adhuc non exceſſiſſe, illa ſatis verba demonſtrant. *Non adoleſcentem ſenex abnuat, nõ coæuum iuuenis aſpernetur, non minorem natu ætas ſera derideat*. Cui conſonat, quod Iuliano authore, *ſub rudimentis adhuc infantiæ degens, diuino tactus ſpiritu, vita delectatus eſt Monachorum, contemptiſque*

que parentibus, & omnium mandanarum rerum affectibus, Agalienſe monaſterium petiit, Monachúmque ſe in eo multis ferè annis decenter exhibuit. In ipſa verò iuuentute (vt in diuinis officiis de eo legimus) ad S. Iſidorum Hiſpalim miſſus, *duodecim apud ipſum commoratus annos, Toletum remeauit*; vbi *Monachi non multo poſt in demortui Abbatis locum ſubrogârunt.* Ex quo fit, nondum terminis iuuentutis finitis, Abbatem effectum fuiſſe: quo tempore librum de Virginitate compoſuit, vt monſtratum eſt. Quòd ſi tunc hæreſis aliqua contra ipſam viguiſſet, profectò, aut in prologo, aut in libro ipſo id inſinuaſſet; quod tamen quia non fecit, minimè talem hæreſim eo temporis extitiſſe credendum eſt. Quare quod in Martyrologio de S. Ildefonſo legimus, quòd ſcilicet *ob ſuſceptam aduersùs hæreticos, Deigenitricis Virginitatem impugnantes ab eadem candidiſſima veſte donatus eſt*, de veteribus hæreticis omnino intelligendum ex ipſo libro conuincimur: aut ſi de modernis quibuſdam dictum credatur, non de hæreticis, ſed de nonnullis Philoſophis Catholicis debet intelligi, qui cum Ildefonſo de Virginitate Deiparæ diſceptarunt; ſub correctione tamen Catholicæ Eccleſiæ, vt iam dicam; & verbum *aduersùs hæreticos*, temperandum erit.

Ipſe Ildefonſus faculam nobis præfert eius rei, in iis tractatibus, quod poſt librum de illibata Virginitate, iuris fecit communis. Ex eo etenim, vt apparet, anſam nonnulli ipſius Abbatis commilitones, ſeu condiſcipuli acceperunt,

impugnandi in eo quòd aſſeruiſſet, ſanctam Deiparam nõ eadem peperiſſe lege filiũ ſuum, atque cæteræ pariunt mulieres, ſed nouo ac ſpecialiſſimo modo, nimirum ſine doloribus, ſine viſcerum rupturis ac vexationibus, & abſque ſanguinis colluuione, & ſecundarum effuſione. Hæc tamen non omnino aſſentiendo, ſed diſputando, & cunctanter aſſerebant illi, quos nimirum non quidem hæreticos, ſed fratres vocat: & fatetur ipſos in primis pleno ore fateri, Beatiſſimam Deigenitricem Virginem perpetuò fuiſſe, ante partum, in partu, & poſt partum, quòd enim ſigillum in partu rumperetur, & cæteris parientium ærumnis ſubdita fuerit in ſuo partu (aiebant) Virginitatem deſtruere non valeret, vtpote quæ ſola viri opera poſſet deperire, cui ſoli Virginitas oppoſitionem habet. Tribus autem argumentis maximè nitebantur, quorum vnum rationẽ, duo reliqua authoritatem præferunt. Etenim (quod ad rationem ſpectat) ſi Chriſtus alia lege natus fuiſſet, quàm cæteri, nequaquam verè videretur natus, ſed ſolùm profectus in lucem, quod de rebus creatis immediatè à Deo, verè dicitur, quæ tamen natæ non ſunt. Accedunt authoritates tum Euangelij Lucæ, ad illa verba: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius*, id eſt, Mariæ, quibus purgatio à partu more cæterarum mulierum innui videtur: tum Hieronymi contra Heluidium agentis, & affirmantis Chriſtum ſanguine cruentatum è ventre Virginis proſiliiſſe. *Iunge* (ait) *ſi libet noſtras contumelias:*

Hieron.

nouem

nouem menſibus vterum intumeſcentem, faſtidia, partum, ſanguinem, pannos, non erubeſcimus. Et rurſus Epiſt. 22. *Nouem menſibus in vtero, vt naſcatur expectat, faſtidia ſuſtinet, cruentus egreditur.* Hæc illi in Ildefonſum arguentes obiiciebant, citra tamen voluntatem ab Eccleſiæ iudicio deficiendi.

Sed ne quis putet ex cerebro quidquam à me dictum, dabo ipſius S. Doctoris verba, ex libro *contra eos qui diſputant de perpetua virginitate S. Mariæ, & de eius parturitione*: in cuius etiam titulo, dum dicitur, *contra eos qui diſputant*, & non *contra eos qui negant* perpetuam virginitatẽ, &c. ab hæreſis nota ſatis excuſantur. *Pro beata & glorioſa Deigenitrice Maria dimicare, ac vincere* (hæc ſunt prima libri verba) *opus eſt Spiritus ſancti, & virtus Altiſſimi, qui eam obumbrauit.* Et poſt pauca: *Pro qua* (ſcilicet virginitate Mariæ) *iã olim B. Hieronymũ contra Heluidium hæreticum, & contra eius complices ſcripſiſſe legimus: quos ita debellauit, ac deuicit, vt deinceps vſque ad præſens nihil recidiuum erroris contra eam ſurrexerit. Sed quia quorumdam nunc fratrum impudica, quaſi percunctando, laborat temeritas; decreui ſcribere, quæ ipſi curioſius contra eius pudicitiam, quàm religioſius conãtur explorare.* En motiuum ſcriptionis Ildefonſi; quia nimirum nunc fratrum quædam laborat temeritas; non ait, *aſſerendo*, ſed *quaſi percunctãdo*, decreui ſcribere, quæ ipſi curioſitate magis ducti, quàm zelo religionis conantur explorare. Explorationis etiam conatus, non affirmantiũ,

 ſed

ſed quærentium eſt. Sed quoniam aliquando vehementiùs in eos excandeſcit, in eorum excuſationem præmittit, paucis interiectis: *Non dico quòd dicant virginitatem amiſiſſe, quæ neſciens virum virgo concepit, virgo peperit, & virgo permanſit; ſed quia idipſum quod confitentur, negant,* (id eſt, negare conuincũtur) *dum dicunt, eam communi lege puerperam filium edidiſſe.* Et inferiùs, *Etſi Virginem eam non denegant permanſiſſe, pudicitiã tamen eius commaculant.* Accedit quòd numquam vocat eos hæreticos, ſed aliis diuerſis nominibus, quæ fidelibus conuenire queunt; videlicet nouos diſputatores, & inueſtigatores noui, & inauditi partus, ſuperſtitioſè cunctantes, & ſuperfluè diſputantes; aliquando ſtultos diſputatores, vaniloquos, delirantes, & nonnunquam iſtos ſequaces Heluidij hæretici, nimirum non intentione, aut aſſertione, ſed diſputatione; ac tandem fratres nuncupat ſuos; *Ceſſent* (ait) *fratres noſtri à talibus*, &c.

Audiamus iam tria illa argumenta diſputantium, vt ab Ildefonſo referuntur. Ildef. *Explorando partum virginitatis* (ait) *& vterum pudicitiæ introducunt velut peritiſſimi phyſiologi, callida ſatis diſputatione ſua collunionem vitiorum, in qua currunt plurima erroris diſcrimina;* (id eſt, errandi pericula) *dicunt enim non aliter B. Mariam parere potuiſſe, nec aliter debuiſſe, quàm communi lege naturæ, & ſicut mos omnium fœminarum, vt vera natiuitas Chriſti poſſit dici. Alias autem, inquiunt, ſi non ita natus eſt, vt cæteri naſcuntur infantes, vera natiuitas non eſt:*

eſt: & ideo ne phantaſia putetur, aut ne ſicut aqua per alueum tranſit, ita per vterum Virginis abſque naſcentis ordine natus credatur, pium eſt ſentire; ſic eum lege naturæ natum fuiſſe, quomodo cæteri naſcuntur infantes; & eam ſic peperiſſe, ſicut reliquæ pariunt mulieres. En primum argumentum. Iam ecce ſecundum: At verò iſti niſu, quo poſſunt, conantur adſtipulare Virginem in vitio peperiſſe: vnde aſſumunt illud ex Euangelio, *Cùm impleti eſſent dies purgationis eius*, &c. Tertium denique ponit in altero opuſculo, cui titulum præfixit, *Sermo de parturitione, & purificatione B. Mariæ:* vbi exponit illud dictum Hieronymi, *Cruentus egreditur*, &c.

Vt hæc argumenta deluderet Ildefonſus, & perperam diſputantes fratres confunderet, primum quidem opuſculum ſcripſit, *Contra eos qui diſputant de perpetua Virginitate S. Mariæ, & de eius parturitione*; in quo doctiſſimè, acutiſſiméque eos confutauit, vſus ad id non ſolùm ſacræ Scripturæ variis teſtimoniis; & rationibus ſolidiſſimis, quibus ad magna inconuenientia deduxit aduerſarios; ſed etiam authoritatibus magnorum Eccleſiæ luminum, Athanaſij, Cyrilli, Ambroſij, Auguſtini, Gregorij, Leonis, & Chryſologi, non omittens Catholicos Poëtas, Prudentium, & Sedulium; nec diuerſas ſacri textus tranſlationes, Septuaginta, Theodotionis, Symachi, & Origenis. Vt videas quanto labore, & ſtudio hac in re vſus fuerit Ildefonſus. Reſpondet verò ad primum

primum argumentum, quòd *ipſa lex naturæ ſub qua nunc mulieres pariunt, verè non eſt lex naturæ quodammodo, ſed maledictionis, & culpæ*; nam ſi Adã *& Eua non peccaſſent in paradiſo, nemo deinceps naſceretur in culpa peccati*, neque mulieres cum ærumnis, & doloribus, ſeu viſcerum vexationibus parerent: cùm hæc omnia in pœnam peccati originalis inflicta ſint. *Maria autem quia benedicta culpam corruptionis non habuit*, (eam videlicet, per quam natura corrupta eſt, & cuius merito dolores, & afflictationes in partubus obueniunt) *propterea Chriſtum non in dolore, nec ſub corruptione genuit*, ſeu peperit. Nota quæſo clariſſimum pro Conceptione Virginis teſtimonium, quo ſuperiùs vſi ſumus. Secundo argumento reſpondet, Virginem non fuiſſe lege purificationis obligatam, quod etiam alij Doctores ſenſerunt, vt Titus Boſtrorum Epiſcopus, Echerius Lugdunenſis, Beda, Anſbertus, Haymonius, Euthymius, Bernardus, Guerricus, & cum eis D. Thomas 3. parte ſummæ.

Cæterùm cùm de nouo, Ildefonſo fratres illi obiicerent Hieronymi teſtimonium, iterum ad ſcriptionem accinctus alterum ſuper eadem re edidit opuſculum, cui titulus, *Sermo de parturitione, & purificatione S. Mariæ*: & incipit, *Quotieſcunque dilectiſſimi*, &c. & Hieronymum exponit, inquiens; *Quamuis præfatus Doctor Hieronymus in eo opere quod contra Heluidium ſcripſit, videatur ei ceſſiſſe; & eo in loco vbi ait de hoſpitio vuluæ nouem menſium, & de veritate naſcendi. Quod*

cuu *ille*

ille hæreticus inſultando propoſuerat, quaſi maieſtati diuinæ eſſet indignum, ad tantam dignationem ſe humiliaſſe, vt inter viſcera in vtero verſaretur Virginis, aut inter femora fœminea naſceretur tam ſordidus: ſic enim omnia in contrarium opponens quaſi hæreticus, vt deſtrueret fidei Catholicæ veritatem. Cui è contrario egregius ille veritatis aſſertor, non cedendo, vt iſti volunt, ſed dignationem glorioſiſſimæ humilitatis Dei ampliùs commendando ait: Quanto viliora, & inhoneſtiora pro nobis illa Maieſtas Diuina ſuſcepit, & ſuſtinuit, tanto cariùs nos redemit, & propenſiùs honoranda eſt. Tali nanque ſenſu, etſi non eiſdem verbis (in quantum recolo) eidem reſpondens hæretico videtur B. Virgini, non infamiam vllius colluuionis, aut pœnam peccati intuliſſe, ſed dignationem diuinam, & exinanitionem immenſam in forma ſerui reuerenter ſatis commendaſſe: non vt Virginem vexatam à Domino, & exhonoratam oſtenderet, ſed vt clementiam pij Conditoris etiam huiuſmodi hæreticis demonſtraret. Idcirco non ceſſit iſtis, ſed corripuit, vt diſcerent; non infamare Virginem, & Domini non derogare in forma ſerui humilitatem. Hactenus ille. Qui iterum vt diſputatores ſuos redarguat, vtitur teſtimoniis Ambroſij, Irenæi, & Gregorij, de quo vno aſſerit, *Qui omnes ante ſe legerat, tam Latinos, quàm etiam Græcos, & eximios certatores.*

Cùm adhuc illi diſputantes perſiſterent, tertium edidit Ildefonſus opuſculum, aliquantulum iam acuens ſtylum, & dicteria in eos iactans, ſub titulo, *Homilia contra eos qui mendosè*

affirmant

affirmant Mariam Virginem naturali lege Dominum peperiſſe; & initio ait, *Inter ſanctarum Scripturarum eloquia, cauenda eſt ſemper vana & ſuperſtitioſa intelligentia; quia, ſicut in Prouerbiis legitur, Perverſi difficilè corriguntur, &c. Et ideo quorumdam fratrum temeritas, quia ſemel creſcit ſacramenta diuini muneris procaci diſputatione commaculare, & myſterium ſacri partus ſuperflua inquiſitione diſcutere; malunt cum hæreticis errare, quàm cum Catholicis, quæ malè ſentiunt corrigere.* Et poſt pauca. *De carnis incorruptione iam me ſupra ſatis priori tomo dixiſſe credo, ſed quia iſti noſtris non acquieuerunt dictis, peruicaci inſultatione definiunt, virginitatem non aliunde quàm ex coitu corrumpi potuiſſe: neque corruptam vocari debere Mariam, licèt iuxta leges pepererit omnium fœminarum, eo quòd (inquiunt) etſi viſcera, vel genitale ſecretum, more cæterarum fœminarum patuit, vt naſceretur Chriſtus, virginitas tamen corrumpi non potuit, Propterea Deigenitrix ſola Virgo poſt partũ, & incorrupta fuit.* Affert in eo opere Aug. & Sedulij teſtimonia.

Bone Deus quantum Ildefonſus in defenſione Virginis laboris, & doloris aſſumpſit! Conuiciſſe tamen aduerſarios, eóſque ſecum dignè de parturitione Virginis aſſentiri feciſſe, certũ nobis eſſe debet, vtpote qui in nullo Cõcilio condemnati ſint, & à nemine antiquorum, pertinacia eorumdem prodatur. Quando autem conuicti fuerint, an videlicet ante Epiſcopatum Ildefonſi, vel poſt eum adeptum, certò non liquet; liquet quidem, Abbatis adhuc munus exequentem ob frequentes de parturitione

ne Virginis diſputationes, promeritum fuiſſe, vt in prouerbium veniretur, *Enſis in offenſis erat Abbas Agalienſis*, & poſtmodum in Epiſcopalem ſedem promotum à beatiſſima Virgine Leocadia publicè acclamatum, *ô Ildefonſe, per te viuit Domina mea.* Tandem cùm in memoriam perpetuæ Virginitatis S. Mariæ,& Dominicæ conceptionis feſtum, eo agente, inſtitutum eſſet in Conc. Toletano X. ipſéque in honorem puriſſimæ parturitionis eidem feſto, nomen *Expectationis partus* indidiſſet;innués nimirum non in gemitu, & doloribus,ſed in gaudiis,& alacritate inenarrabili à Virgine expectatum, & patratum; horum, inquam,omnium meritis, & librorum quos primùm aduerſus antiquos hæreticos, & infideles,& deinde contra fratres ſuos, parum circunſpectè diſputantes de illius ſacra parturitione, die ſacrato prædictæ Expectationi, ab eadem S. Deigenitrice caſula ſacerdotali publicè donatus eſt.Qua de re multa,eáque præclara teſtimonia congeſſit R.P. D. Cõſtantinus Caietanus Abbas Præſidens Collegij Gregoriani Vrbis,amicus noſter ſpecialiſſimus in ſuo Ildefonſo Toletano, ad quem lectorem meum amando.

Ignoſcat quæſo qui fuſiùs quàm locus poſtulaſſet, per S. Ildefonſi diſputationes ſpatiatos fuiſſe crediderit; rem enim ſub latebris ac tenebris clauſam, & à nemine hactenus agnitã ſcripſimus,eo tamen fine,vt ſciret lector S.Ildefonſum tam acerrimũ fuiſſe hoſtem impugnantium Deiparæ Virginitatem, vt etiam eos,

qui

qui tametſi catholicis regulis detenti,minùs dignè, minùs purè, quoquo modo loquuti ſunt, acerbiſſimè tulerit,& acerrimè debellauerit; vt maiori laudi in eo dandum ſit,vulpes paruulas, quæ vineam Domini demoliebantur, cepiſſe,& colligaſſe,quàm ſi publicos,& manifeſtos hæreticos,& vulpes callidas reuinxiſſet: in hos enim totus conſpiraſſet orbis, in illos verò ſolus ille, qui zelo Ildeſonſi pro honore ſuæ Reginæ tuendo flagraret. Quare ob ſingularem zelum, munere ab ea donatus eſt ſingulari.

Quòd ſi vel leuiſſimum næuum ſanguinis in partu Virginis non acquieuit audire à fratribus quid quæſo diceret, quid ageret,quid ſcriberet, ſi audiret maculatam non carnem, ſed animam etiam Virginis ſorde immundiſſima originalis peccati; quo non quidem exterius piaculum portaret, vt de cruento partu illi dicebant, ſed odium Dei viui incurreret;& ob tantam ſpurcitiem indigna redderetur aſpectu oculorũ Dei? qui offenſas reputabat ſordes, ſine peccato, & in eis erat enſis exacutus, quid eſſet in tanta offenſa Virginis, quòd in Dei offenſa aliquando diceretur fuiſſe conſtituta, niſi rómphæa bis acuta vibrata in aſſertores tantæ offenſæ? At obiicies forſan, Ildefonſum non egiſſe contra eos, qui duntaxat partum ſanguine cruentabant,ſed qui ſimul aiebant, Virginem ſanctam in eo dolores, diruptiones, vexationéſque viſcerum,vt cæteras puerperas pertuliſſe, quod tamen erroneum eſt. Fateor ingenuè diſputatores illos tria ſimul

ſimul inculcaſſe, quæ in partu cæterarũ mulierum reperiũtur, dolores, viſcerum diſruptiones, & ſanguinis profluuium cum ſecũdarum emiſſione: attamen Ildefonſus non ſolùm coniunctim in illa tria capita inuehitur, ſed & diuiſim; & non minus abominatus fuit, ſanguinis & ſecundarum effuſionem, quàm ruptiones viſcerum & dolores; omnia enim æquè inſectatus eſt, vt conſtat ex illis verbis, *Hinc ergo colligitur, quòd ſuperſtitioſa ſit iſtorum cunctatio, qui dicunt, Chriſtum in ortu ſuo oſtia ventris, & vuluæ aperuiſſe, & colluuionem ſanguinis, vt cæteri omnes, & ſecundarum ſpurcitias poſt ſe traxiſſe.* Quinimò aduerſarij Ildefonſi, de ſanguinis emiſſione præcipuè diſputabant, quod ex illo Euangelij, *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis*, &c. & Hieronymi teſtimonio comprobabant; quæ duo de ſolo eo capite agere poſſunt. Et tamen Ildefonſus in ſecundo præſertim opuſculo, in eo etiam ſpecialiter eos impugnat; Hieronymíque dictum modeſtè interpretari conatur, *Idcirco* (ait) *non ceſſit iſtis cum Heluidio errantibus, ſed corripuit, vt diſcerent, non infamare Virginem*, &c. & illud, *Videtur B. Virgini, non infamiam vllius colluuionis intuliſſe.* Ergo exiſtimabat, eos infamare Virginẽ, ſeu illi infamiam inferre, qui dicebant, Chriſtum cruentum natum, & Virginem in partu ſanguinem effudiſſe. & in his quoque vtpote offenſis Abbas Agalienſis erat enſis. Certè quod ad ſanguinis effuſionem ſpectat, multi ex Catholicis idem ſenſere, atque illi quos Ildefonſus

Abulenſis. Caiet.

impugnat; præſertim Abulenſis in c. 12. Leuit. q. 1. 2. 3. & 20. & Caietanus 3. p. q. 35. a. 6. ad 3. Et quo ad ſecundarum emiſſionem, id etiam lego S. Brigittæ reuelatum, lib. 7. c. 21. ſuarum reuelationum. Iam verò id ab Ildefonſo infamia Virginis reputatur. Quomodo igitur non reputaret infamiam, maculam denigrantem, ac tam dirè fœdantem Virginis animam, vt ſit ab originali peccato? Tantum abeſt, quòd ipſe non omnimodis ſe opponeret, & enſem vibraret ſuum, vt potiùs ex originalis peccati carentia intulerit carentiam ærumnarum prædictarum in partu vt ſuperiùs monſtratum eſt.

FINIS.

258378

Google

Digitized by Google